Frontonis (test. 25), ubi insuper Plautus ne commemoratur quidem et ubi Aelium Scipioni et Titio operam dedisse minime disertis uerbis traditur, sed colligi solum potest, tamen nolui silentio praeterire, quod secundum Suetonii librorum de uiris inlustribus fragmentum 108* R. = test. 26 cum Varrone et Sinnio Capitone inter eos erat, qui criticas fecerunt adnotationes ad Ennii, Lucilii, historicorum libros. Itaque si omnino talibus negotiis operam dabat, fortasse etiam Plauto et Titio operam nauauit.[1]) Ex scriptoribus autem iis, qui apud Suetonium enumerantur, Lucilius, quocum Stilo amicitia coniunctus erat, is mihi uidetur esse, cuius libros critica adnotatione ornauit. — Restat liber ille grammaticus, quem Heusdius (p. 60) Aelio uindicare uult, quod 'apud grammaticos Aelii inuenitur sententia de rebus, quae ad grammaticam artem pertinent'. Quae cum diceret Heusdius, quattuor locos uidetur respexisse: apud Varronem de l. Lat. VI 59 = test. 21, apud Gellium V 21, 6 = test. 22, apud Charisium Inst. gr. I p. 84 et 129/30 K. = frg. 16 et 33, qui sane multum differunt a ceteris Aelii fragmentis, quae quantum potuimus singulis libris inseruimus. Sed ut omittam primum et alterum locum non fragmenta esse, sed testimonia (cf. adn. ad test. 21 et 22), ea quae illis quattuor locis tractantur etiam in libro quodam etymologico strictim attingi potuerunt, praesertim cum de libri illius indole nihil certius nobis traditum sit. Accedit, quod locis illis Charisii, quorum ille alterum e Romani, alterum ex alius cuiusdam scriptoris, certe non Stilonis, exscripsit libro, facile etymologia, quae olim apud Aelium exstiterat, potest omissa esse.[2]) Itaque duo illa fragmenta libro etymologico puto uindicanda esse neque de peculiari libro grammatico cogitandum.

Libri igitur Aelii Stilonis mea quidem sententia hi sunt: 1) interpretatio carminum Saliarium. 2) indices Plauti. 3) commentarius de proloquiis. 4) orationes aliquot. 5) liber etymologicus (cuius inscriptionem nescimus). 6) recensiones librorum Metelli Numidici et Lucilii satirarum, fortasse etiam Scipionis orationum.

Restat ut a quibusnam scriptoribus illi Aelii libri adhibiti sint, paucis adumbremus, qua de quaestione cum ab iis, qui de posteriorum grammaticorum fontibus disputauerunt, permulta sagacissime enucleata sint, nihil mihi faciendum est, nisi ut ea dispersa ac dissipata in unum congeram.

Commemoratur Aelius Stilo a Varrone, Cicerone, Verrio Flacco, Plinio maiore, Quintiliano, Suetonio, Frontone, Gellio, Nonio, Arnobio,

1) Cf. Osann., Anal. crit. p. 158. 2) Cf. adn. ad frg. 16 et 33.

Charisio, Seruio, Isidoro, unde notitiam eius apparet uiguisse ab aurea quam dicimus latini sermonis aetate usque ad saeculum post Chr. n. septimum.

Tamen Gellium et qui eum secuti sunt scriptores ipsum Aelium inspexisse ex tota illius aetatis indole uix est credibile: itaque nunc qui uiri ipsi ipsum Aelium inspexerint et quo usque ipsi eius libri durauerint uideamus. — Atque unum eius librum, commentarium de proloquiis, ab ipso Gellio inspectum esse iam uidimus, de reliquis libris post Verrium Flaccum, ubi tamen unus tantum liber commemoratur, certa testimonia non habemus. Sed sine dubio Varro, Aelii discipulus, etsi solam carminum Saliarium interpretationem aperte nominat, omnia eius opera ipse inspexit. Atque illam, ut iam diximus, de l. Lat. VII 2 commemorat: quae uero praeterea Stilonis fragmenta exhibet, ea ex opere illo etymologico sumpta sunt. Praeterea uero Varronem, quem summe Plauto dedisse operam scimus (Ritschelii Opusc. III p. 455), magistri sui indices Plautinos neglexisse uix credas, praesertim cum Gellius totum illud caput, quo de indicibus Plautinis agit, Varroni uideatur debere. Ac ne '*leues quidem Aelii oratiunculas*' nec Metelli aut Lucilii librorum recensionem eum despexisse existimo, etsi neque apud Varronem ipsum neque apud alios praeter Ciceronem, Suetonium, Frontonem quidquam de iis est traditum. Commentarium uero de proloquiis Varronem nouisse ex ipso Gellii loco XVI 8 satis apparet, quem tamen librum praeter illos duos nemo commemorat. — Praeter Varronem autem Verrius eum inspexit, quod cum multi illi loci, ubi nomen eius affert, tum is praecipue confirmat, ubi Cloatium et Aelium iisdem fere uerbis usos esse dicit (p. 309 M. = frg. 12)[1]), unde et Cloatii et Aelii librum ipsum eum adhibuisse ueri fit simillimum. Accedit quod plurimorum hominum doctorum iudicio Verrius Varronis libros de lingua Latina, e quibus solis, nisi ab Aelio ipso, tot Aelii explicationes sumere potuit, omnino non adhibuit. — Praeterea Ciceronem, etsi duas tantum Aelii profert explicationes, magistri sui libros euoluisse crediderim. — Plinius utrum Aelium ipsum adierit necne, nemo adhuc satis perscrutatus est; mihi loco illo N. H. IX 123 (= frg. 41) ubi legimus: '*(Uniones) primum coepisse circa Sullana tempora minutas et uiles Fenestella tradit manifesto errore, cum Aelius Stilo Iugurthino bello unionum nomen impositum maxime grandibus margaritis prodat*' Plinius propterea, quod Stilonis uerba tam aperte Fenestellae obiciuntur, ipsum Aelii librum

1) Cf. Reitzenstein., Verrian. Forschg. (Vratisl. 1887) p. 90.

uidetur usurpasse. Contra aliis tribus locis, ubi Aelius apud eum commemoratur (XIV 93 et ind. XIV et XV) propterea quod quoque loco una cum Scaeuola et Ateio Capitone occurrit, e libro aliquo, ubi una cum illis appellatus erat, uel fortasse ex Ateii coniectaneis eius mentio mihi uidetur hausta esse.[1]) De qua Plinii citandi ratione cf. Brunn, de auct. ind. Plinianis (Bonnae 1856) p. 1 sq. In libris autem quos scripsit dubii sermonis quin Aelium respexerit uix potest dubitare, quisquis quanta Aelius in rebus grammaticis floruerit auctoritate uel paululum perspexit. Et sane habemus duos huius libri locos, ubi Stilo commemoratus est: ap. Charisium ed. K. p. 129, 31—130, 3.[2]) Tamen Plinius, cum H. N. praef. 28 dicat 'Stoicos parturire aduersus libellos quos de grammatica ediderit', Aelium Stilonem, qui ipse '*Stoicus esse uoluit*', aut non ita saepe adhibuisse aut plerumque ab eo uidetur dissensisse. — Quintilianus num ad ipsa Aelii opera escenderit, Claussenus[3]) in dubio uidetur relinquere, neque enim quidquam de hac quaestione dicit; mihi tamen ex omnibus, quae et Christius[4]) et Birtius[5]) doctissime de Remmio Palaemone Quintiliani in grammaticis magistro disputauerunt, uerisimillimum uidetur fieri Quintilianum quicquid Stilonis profert, Remmio debere. Quid? Claussenus nonne ne Varronem quidem ipsum a Quintiliano inspectum esse negari posse dicit? Quod etsi ego defendendum non suscipiam, tamen hoc certe, quod Wilmannsius in libelli quem scripsit de Varronis libris grammaticis p. 46 dicit, Quintilianum Remmio Palaemoni impugnationes illas debere quibus (I 6, 37 sq.) Varronem insectatur, multo magis etiam de Stilonis impugnationibus dici potest. Quintilianus igitur Stilonis libris non uidetur usus esse. — Suetonius, si uera est lectio anecdoti Parisini a Reifferscheidio (Suet. p. 138) paullulum mutata, Aelii recensionem satirarum Lucilianarum in manibus habuit, sicut Fronto Metelli Numidici libros ab eo descriptos. — Gellius (de quo conferatur Kretzschmer de A. Gellii fontibus Part. I. Posnaniae 1860. p. 41) uno, ut iam uidimus, loco Stilonem ipse inspexit, uno (V 21, 6) e Sinnii Capitonis epistula aliqua eius mentionem hausit[6]), uno, ut mihi quidem uidetur, Verrium Flaccum[7]) secutus est, reliquis Varronem. — Arnobius quam (adu. nationes

1) Cur omnino Stilonem hic intellegendum putem exposui in adn. ad test. 20. 2) De Plinio horum locorum auctore cf. Schottmüller, de C. Plinii Secundi libris grammaticis p. 39. 3) Quaestiones Quintilianeae Lps. 1873. p. 392. Etiam in Iahnii Annal. suppl. VI. 4) Philol. 18 p. 126. 5) Mus. Rhen. 34, p. 24 sq. 6) Cf. M. Hertz. de Sinnio Capitone p. 17. Mercklin, Iahn. annal. suppl. III p. 644 et 666. 7) Cf. adn. ad fragm. 40.

III 38) Aelii facit mentionem sine dubio Varroni debet, quem saepissime sequitur. — Nonius uno illo loco, ubi Aelium commemorat, a Varrone se pendere ipse testis est[1]); quae Aeliana habet omisso Aelii nomine (p. 18 M. cf. adn. ad fr. 24), ea uel ab Pomponianarum fabularum interprete uel e commentario quodam Plautino eum sumpsisse Schmidtius[2]) contendit. — Quae Charisius affert Aeliana ex libro eius sumpta esse iam negauimus: adiciamus tamen ea quae I p. 129/30 habet, Pliniana esse recte a Schottmuellero[3]) demonstratum esse; Plinius ipse, ut docet Charisii locus p. 125, 4 Iulium Modestum secutus erat. — Vnum quod apud Seruium Danielis exstat Aelii fragmentum (ad Georg. I 75) sine dubio sumptum est ex Varronis libro quodam de lingua latina nobis amisso. — Quae Isidorus uerba affert Aeliana ad Varronem redire Goetzius (philol. Wochenschr. 1886, nr. 25, p. 742) uerisimile fecit. — Iam omnia complectamur: diutissime uidentur durauisse Aelii commentarius de proloquiis et recensiones, quas adornauit: hos enim libros Gellius et Fronto inspexerunt. Interpretationem carminum Saliarium post Verrium Flaccum nemo uidetur adhibuisse, libros etymologicos postremus Plinius inspexit. Et indices Plauti iam post Varronem uidentur euanuisse. Maior igitur eius librorum pars post Augusti Caesaris tempora non diu in usu fuisse uidetur, id quod sine dubio accidit propter libros Varronis[4]) et Verrii, qui easdem res, quas Stilo, sed copiosius et, ni fallor, etiam elegantius tractabant.

Caput IV.

De L. Aelii Stilonis fragmentis.

Fragmentorum priusquam demus conspectum, pauca praemittere oportet de ratione, qua singuli scriptores in nominando auctore nostro usi sunt. Nam cum plures eodem fere tempore exstiterint Aelii uel plures ab iisdem scriptoribus adhibiti sint, si, ut saepe fit, '*Aelius*' solum legimus, utrum noster, an Aelius Gallus, an S. Aelius, an Aelius Tubero intellegendus sit, saepe nescimus. — Atque ubi apud Varronem Aelius commemoratur, etsi in interpolatis libris plerumque cognomen Gallus adscriptum est, sine dubio semper magister eius Stilo intellegendus est[5]), id quod etiam fragmentis confirmatur. Aelius enim

1) Frg. 29. 2) De Nonii Marcelli auctoribus gramm. Lps. 1868. p. 141. adnn. 47 et 48. 3) De C. Plinii Secundi libris gramm. Lps. 1858. p. 39. 4) Cf. Nettleship, Iourn. of philology XV p. 190.
5) Cf. L. Spengelii praef. ad Varr. de ling. Lat. librorum edition. p. LI.

Gallus, quod quidem sciamus[1]), nihil scripsit praeter libros '*de significatione uerborum, quae ad ius ciuile pertinent*', ex quibus nullum eorum quae sub Aelii nomine apud Varronem inuenimus fragmentorum potest sumptum esse. Dubitatio autem oritur apud Festum, ubi sane nonnulla exstant fragmenta, quae et ex Stilonis scriptis et ex Galli libris petita esse possunt. Tamen de omnibus illis et Festi et aliorum locis rectissime mihi uidetur iudicasse Schoellius[2]), qui grauissimis usus argumentis dicit, ubicunque apud scriptores simplex Aelii mentio exstet, unum L. Aelium Stilonem significari. Restant tamen singuli loci, qui ne Schoellio quidem prorsus dubitatione carere uidentur; de quibus partim in fragmentorum dubiorum partim in testimoniorum adnotatione agemus. Quod uero Merkelius[3]) contendit, ubicunque apud Festum et Paulum Aelius simpliciter exstet, esse eum locum desumptum non ex libro aliquo Aelii Stilonis, sed ex scriptis discipulorum eius, Varronis potissimum et Cincii, quin fortasse Varronis solius, ita accipio, ut Cincii, qui fortasse Aelii discipulus erat, scriptis Verrium illa debere posse arbitrer, de Varrone uero, cuius libros de ling. Lat. Verrium repudiasse uiri docti contendunt — ex illis enim plurima Aelii fragmenta essent petita — ualde dubitem. — Itaque nos Schoellium secuti ubicunque[4]) Aelii nomen certo legebatur locum illum inter certa Aelii Stilonis fragmenta rettulimus, quibus etiam eos addidimus locos, ubi etsi in codicibus 'laelius' exstat, tamen omnium uirorum doctorum consensu L. Aelius scribitur.

Restat, ut paucis disputemus de iis quattuor fragmentis, quae Varronem non ex libris magistri, sed e disciplina hausisse homines docti[5]) Heimbachium[6]) secuti suspicati sunt eam ob causam, quod illis locis Varro non dicit: '*scribit Aelius, ait A., putat A.*', sed '*dicebat A.*' uel '*putabat A.*'. Et sunt illi loci de ling. Lat. V 66. 101. VI 7; De r. r. III 12, 6[7]) = fr. 15. 17. 18. 44. Quae sententia etsi minime absurda est, tamen procul abesse ut certa sit neminem adhuc monuisse satis miror. Neque enim solum in Aelii nomine afferendo cuius, ut magistri sui, dicta sane afferre potuit, Varro illa loquendi forma utitur, sed etiam in citandis iis hominibus, qui iam antequam Varro nasceretur mortui erant, uel certe adeo erant aetate superiores, ut cum iis eum collocutum esse minime sit uerisimile. Sic de l. L. VII 65 legimus: '*Iuuentius comicus*

1) Teuffel, R. L.-G.[4] p. 397. 2) XII tabb. p. 27—30. 3) Proll. in Ou. Fast. p. CV. 4) Vno loco excepto. Cf. frg. spuria 1. 5) Heusd. p. 54. Schoell. p. 26 adn. 2. Teuffel, R. L.-G.[4] p. 231. 6) De C. Aelio Gallo ICto. Lps. 1823. p. 42. 7) Schneideri editionem adhibui.

dicebat a uermiculo piloso', Iuuentius autem sexto urbis saeculo floruit. Idem ualet de Valerio, qui post Iuuentium ita commemoratur, ut '*dicebat*' supplendum sit. Itaque nisi ex toto loco audita referri apparet, ut de r. r. II 4, 11, III 2, 17. 6, 6, e solo imperfecti usu tale quid mihi non uidetur posse colligi et fragmenta illa Stilonis ex aliquo eius libro mihi uidentur sumpta esse. Accedit etiam, quod Varro Aelii de leporis nomine sententiam uno loco (de r. r. III 12) uerbis '*Aelius putabat*' inducit, in libro autem rerum diuinarum XIV (ap. Gell. I 18, 2) eandem eius explicationem adiectis uerbis '*ut ait*' profert, ita ut si illorum sententia uera esset, uno loco scripta, altero audita referre censendus esset.

Iam sequuntur ipsa fragmenta, quae sic disposuimus, ut primo loco ea poneremus, in quibus uerba Aelii ipsa seruata sunt: deinde ea, in quibus non uerba Aelii ipsa, sed explicatio eius uel sententia refertur: quibus succedunt fragmenta incerta et spuria. Fragmenta excipiunt ueterum de Aelio testimonia, quae nondum in unum inueni congesta quibusque nonnulla adiecimus, quae ab Heusdio uel Eggero minus recte ipsis fragmentis inserta erant. Denique et fragmenta et testimonia adnotationibus adornauimus, quibus quae explicanda restabant, exposuimus.

I.

Fragmenta, in quibus ipsa Aelii uerba exstant.

(Ex libris etymologicis.)

1. *Alae ex lupino, s[urculi sine fo]liis.*[1])
2. *Latro est latero, a latere, insidiator uiae.*
3. *Petaurista proprie Graece ideo quod is*[2]) πρὸς ἀέρα πέταται.

1. H. p. 74. E. p. 12.[3]) Seru. Dan. ad Verg. Georg. I 75: *Nonnulli proprie calamos lupinorum alas dici putant, ut Aelius: alae — liis. Cato in Originibus: alae ex lup * leg * . . . . . Varro de lingua Latina alam culmum fabae dic *.*

2. H. omisit hoc fragmentum, apud Egg. p. 12 exstat. Isid. origg. X 160: *Latro insessor est uiarum a latendo dictus. Aelius autem, latro est, inquit, latero — uiae.*

3. H. p. 70. E. p. 8. Fest. p. 206 M. *Petauristas Lucilius a petauro existimare uidetur, cum ait: 'sicut mechanici cum alto exsiluere petauro.' At Aelius Stilo [quod]*[4]) *in aere uolent, cum ait: petaurista*, e. q. s.

1) Danielis recepi supplementa. 2) *is* M. *his* cod. 3) H. et E. sunt Heusdii et Eggeri fragmentorum collectiones. 4) '*quod*' in cod. non exstare testis est Thewrewkius, cuius editionem typis exprimi coeptam ut inspicerem Goetzii praeceptoris liberalitate mihi contigit.

II.

Fragmenta, in quibus Aelii explicatio refertur.

A.

Ex interpretatione carminum Saliarium.

4. *Manuos in carminibus saliaribus*[1]) *Aelius Stilo significare ait bonos unde*[2]) *inferi di Manes pro boni dicantur*[3]) *a suppliciter eos uenerantibus propter metum mortis, ut immanes quoque pro ualde [non bonis]*[4]) *dicuntur.*

5. *Molucrum .... idem Aelius in explanatione carminum Saliarium eodem nomine appellari ait quod sub mola supponatur.*

6. *Pescia in saliari carmine Aelius Stilo dici ait capitia ex pellibus agninis facta, quod Graeci pelles uocent pesce, neutro genere pluraliter.*

7. *Manias Aelius Stilo dici ait ficta quaedam*[5]) *ex farina in hominum figuras, quia turpes fiant, quas alii maniolas appellent. Manias autem, quas nutrices minitentur paruulis pueris, esse laruas.*

8. *Monstrum, ut Aelius Stilo interpretatur, a monendo dictum est, uelut monestrum.*

9. *Obstitum Cloatius et Aelius Stilo esse aiunt uiolatum attactumque de caelo.*

10. *Refriua faba . . . Aelius dubitat an ea sit, quae prolata in segetem domum referatur, an quae refrigatur.*

4. H. p. 62. E. p. 6. Fest. p. 146 M.: *Manuos — dicatur.*
5. H. p. 62. E. p. 6. Fest. p. 141 M.: *Idem — supponatur.*
6. H. p. 63. E. p. 6. Fest. p. 210 M.: *Pescia — pluraliter.*
7. H. p. 66. E. p. 9. Fest. p. 129 M.: *Manias — larvas, id est manes deos deasque qui aut ab inferis ad superos emanant, aut Mania est eorum auia materna. Sunt enim utriusque opinionis auctores.*
8. H. p. 67. E. p. 9. Fest. p. 138 M.: *Monstrum — monestrum. Item Sinnius Capito, quod monstret futurum et moneat uoluntatem deorum.*
9. H. p. 69. E. p. 9. Fest. p. 193 M.: *Obstitum — caelo. Cincius quom deo deaeque obstiterit, id est qui uiderit quod uideri nefas esset.*
10. H. p. 78. E. p. 10. Fest. p. 277 M.: *Refriua faba dicitur, ut ait Cincius quoque, quae ad sacrificium referri solet* e. q. s.
Aelius — refrigatur. Sed opinionem Cincii adiuuat e. q. s.

1) *saliaribus* M. *saecularibus* cod. 2) *unde* M. *et* cod. 3) *dicantur* M. *dicuntur* cod. 4) Aldus et Vrsinus ex Paulo suppleuerunt. 5) *dici ait* M. *dicit* cod. *quaedam* idem *quas* cod.

11. *Salias uirgines . . . Aelius Stilo scripsit sacrificium facere in regia cum pontifice paludatas cum apicibus in modum Saliorum.*

12. *Subuculam Aelius Stilo et Cloatius iisdem fere uerbis demonstrant uocari quod diis detur ex alica et oleo et melle.*

B.

Ex libris etymologicis.

13. *Caelum dictum scribit Aelius, quod est caelatum aut contrario nomine celatum quod apertum est.*

14. *Daliuum . . . ait esse . . . Aelius stultum.*

15. *Aelius Dium Fidium*[1]) *dicebat Diouis filium, ut Graeci Διόσκορον Castorem, et putabat*[2]) *hunc esse Sancum*[3]) *ab Sabina lingua et Herculem a Graeca.*

16. *Ferocior tanquam peior melior ait Stilo in eis accusatiuo posse proferri, ferocioreis.*

Ferientium ferienteis idem Stilo putat facere debere, ut docenteis, saltanteis, quoniam quaecunque secum uerbi iura traxissent, ea accusatiuis pluralibus, adiuuante dumtaxat genetiuo plurali, in eis sonarent.[4])

17. *Intempestam Aelius dicebat cum tempus agendi est nullum.*

18. *L. Aelius putabat ab eo dictum leporem, quod leuipes esset.*

11. H. p. 72. E. p. 6. Fest. p. 329 M.: *Salias uirgines Cincius ait esse conducticias, quae ad Salios adhibeantur, cum apicibus paludatas, quas Aelius Stilo — Saliorum.*

12. H. p. 72. E. p. 10. Fest. p. 309 M.: *Subuculam Aelius Stilo — melle. Nam de tunicae genere notum est omnibus.*

13. H. p. 64. E. p. 10. Varro de l. L. V 18: *Caelum — est, male*[5]), *quod posteriora multo potius a caelo quam caelum a caelando* [*aut caelando* add. L. Sp.]. *Sed non minus illud alterum de celando ab eo potuit dici, quod interdiu celatur, quam quod noctu non celatur.*

14. H. p. 75. E. p. 8. Paulus p. 68 M.: *Daliuum supinum ait esse Aurelius, Aelius stultum. Oscorum quoque lingua significat insanum.*

15. H. p. 65. E. p. 10. Varro de l. L. V 66: *Aelius — Graeca.*

16. H. p. 65. E. p. 11. Charis. Inst. gr. p. 129/30 K.: *Ferocior — sonarent.*

17. H. p. 65. E. p. 11. Varro de l. L. VI 7: *In Bruto Cassii quod dicit Lucretia: nocte intempesta ad nostram deuenit domum. Intempestam Aelius dicebat — nullum, quod alii concubium appellarunt.*

18. H. p. 66. E. p. 8 adn. 1. Varro de r. r. III 12, 6: *L. Aelius — esset. Ego arbitror a Graeco uocabulo antiquo, quod eum Aeoles Boeotii λέποριν appellabant.* Cf. Gell. I 18, 1—2.

1) *fidum* Flor. et Bas. 2) *putabat* Puccius *putabant* libri. 3) *Sancum* Scal. *sanctum* libri. 4) *adiuuante — sonarent* K. *adiuuante re dumtaxat genē plū in eis sonare* cod. 5) *non male* cod. *non* incl. A. Sp.

19. *L. Aelius*[1]) *lessum quasi lugubrem eiulationem* (sc. *suspicatur*).

20. *Locuples enim est assiduus, ut ait Aelius, appellatus ab asse*[2]) *dando.*

21. *Militem Aelius a mollitia κατὰ ἀντίφρασιν dictum putat, eo, quod nihil molle, sed potius asperum quid gerat.*

22. *Minam Aelius uocitatum ait mammam alteram lacte deficientem, quasi minorem factam.*

23. *Naucum ait . . . Aelius Stilo omnium rerum putamen.*

24. *Nebulo dictus est, ut ait Aelius Stilo, qui non pluris est quam nebula aut qui*[3]) *non facile perspici possit, qualis sit, nequam, nugator.*

25. *Nouensiles . . . Granius Musas putat, consensum accommodans Aelio.*

26. *Nuptias dictas esse ait . . . . Aelius . . . ., quia flammeo caput nubentis obuoluatur, quod antiqui obnubere uocarint: ob quam causam legem quoque peruetustam*[4]) *iubere caput eius obnubere, qui parentem necauisset.*

19. H. p. 63. E. p. 6. Cic. de leg. II 23: *Tollit etiam lamentationem lex XII tabularum: Mulieres genas ne radunto neue lessum funeris ergo habento. Hoc ueteres interpretes S. Aelius, L. Acilius non satis se intellegere dixerunt, sed suspicari uestimenti aliquod genus funebris. L. Aelius — eiulationem, ut uox ipsa significat. Quod eo magis iudico uerum esse, quia lex Solonis id ipsum uetat.*

20. H. p. 74. E. p. 26 hoc frg. Aelio Gallo uindicat. Cic. Top. II 10: *Cum lex assiduo uindicem assiduum esse iubeat, locupletem iubet locupleti; locuples enim est assiduus, ut ait Aelius, appellatus ab aere dando.*

21. H. p. 76. E. p. 9. Paul. p. 122 M.: *Militem Aelius — gerat; sic ludum dicimus in quo minime luditur.*

22. H. p. 76. E. p. 9. Paul. p. 122 M.: *Minam Aelius — factam.*

23. H. p. 68. E. p. 9. Fest. p. 166 M.: *Naucum ait Ateius Philologus poni pro nugis. Cincius, quod in oleae nucisque intus sit. Aelius — putamen. Glossematorum autem scriptores* etc. (Sequuntur exempla ex Plauto Naeuio Ennio sumpta.)

24. H. p. 68. E. p. 9. Fest. p. 165 M.: *Nebulo — nugator.*

25. H. p. 77. E. p. 12. Arnob. adu. nat. III 38: *Nouensiles Piso deos esse credit nouem in Sabinis apud Trebiam constitutos. Hos Granius — Aelio.*

26. H. p. 77. E. p. 10 et 37. Fest. p. 170 M.: *Nuptias dictas esse ait Santra ab eo, quod νυμφεῖα* etc. *Cornificius, quod* etc. *Curiatius, quod* etc. *Aelius et Cincius, quia — necauisset, quod est obuoluere.*

1) *L. Aelius* Turnebus. *Laelius* codices. 2) *Asse* H. E. *aere* Cicero. 3) *qui* M. *quam* cod. 4) Sic scripsi secutus Eggerum (p. 37), cuius coniecturam Schoellius XII tabb. p. 55 probat. Bergk., Ephem. litt. Hal. 1842 nr. 105 p. 232 proposuit '*Praenestinam*', quod a Schoellio l. l. merito mihi uidetur reiectum esse. *parenstam* cod.

27. *Nuscitiosum*[1]) . . . *ait appellari solitum* . . . *Aelius Stilo qui plus uideret uesperi quam meridie nec cognosceret, nisi quod usque ad oculos admouisset.*

28. *Ordinarium hominem* . . . *ait dici solitum* . . . *Aelius Stilo qui minime ordine uiueret.*

29. *Hanc deam Aelius putat*[2]) *esse Cererem; sed quod in asylum qui confugisset, panis daretur, esse nomen fictum a pane dando pandere quod est aperire [ideoque a pandendo dictam Pandam].*[3])

30. *Aelius Pituitam* (sc. *appellatam ait*) *quia petat uitam.*

31. *Portisculus est, ut scribit Aelius Stilo, qui in portu modum dat classi.*

32. *Aelius procestria aedificia dixit esse extra portam.*

33. *In Nelei carmine 'eaque prisco saucia puer filia sumam,' ubi tamen Varro cum a puera putat dictum, sed Aelius Stilo, magister eius, et Asinius contra.*

34. *Puticuli* . . . *ut Aelius scribit* . . . . *quod putescebant ibi cadauera proiecta.*

27. H. p. 69. E. p. 9. Fest. p. 173 M.: *Nuscitiosum Ateius philologus ait appellari solitum, qui propter oculorum uitium parum uideret. At Opilius Aurelius nuscitiones esse caecitudines nocturnas. Aelius Stilo — admouisset.*

28. H. p. 69. E. p. 9. Fest. p. 182 M.: *Ordinarium hominem Oppius ait dici solitum scurram et improbum* etc. *At Aelius Stilo — uiueret . . . in ea oratione, quam scribit de suis uirtutibus contra Thermum: 'quid mihi fieret, si non ego stipendia in ordine omnia ordinarius meruissem semper?'*

29. H. p. 69. E. p. 12 in hoc fragmento mirifice lapsus est uerba Aelii a Varrone citata cum Nonii uerbis quae antecedunt confundens. Varro apud Non. s. u. Pandere p. 44 M.: *De uita populi Romani lib. I: 'hanc deam — pandere, quod est aperire.'*

30. H. p. 70. E. p. 10. Quintil. Inst. orat. I 6, 37: *Aelius — uitam.*

31. H. p. 70. E. p. 10. Fest. p. 234 M.: *Portisculus est — classi. Id autem est malleus. Cuius meminit Cato in suasione de rege Attalo et uectigalibus Asiae: C. Licinio* etc.

32. H. 78. E. p. 26 hoc frgm. Aelio Gallo tribuit. Paul. p. 225 M.: *Procestria dicuntur quo proceditur in muro. Aelius — portam. Artorius procastria, quae sunt ante castra.*

33. H. p. 71. E. p. 11. Charis. Inst. gr. I p. 84 K.: *In Nelei carmine — contra.*

34. H. p. 71. E. p. 10. Varro de l. L. V 25: *Extra oppida a puteis puticuli, quod ibi in puteis obruebantur homines, nisi potius, ut Aelius scribit Puticulae*[4]) *quod — proiecta, qui locus publicus ultra Exqui-*

1) *Nuscitiosum* scripsi, *nusciciosum* cod. cf. Bugge, Iahn. Annal. 105 p. 103. 2) *deam Aelius* Carrio, *deam melius* codices. *putate* Paris. 7667. 3) Kettneri supplementa adscripsi, de quibus cf. adnotationem. 4) *Puticulae* L. Spengelius recte delendum putat, neque enim usquam praeter hunc locum haec feminina forma reperitur. Masculinae uero, quam modo posuerat, repetendae nulla erat Varroni causa.

35. *Sobrium uicum [dictum putant .....]*[1]) *et Aelius quod [in eo nullus tabernae]*[1]) *locus neque caup[onae fuerit].*[1])

36. *Sonticum morbum in XII significare ait Aelius Stilo certum cum iusta causa.*

37. *Tamne eo usque, ut Aelius Stilo et Opilius Aurelius interpre-[tantur.*

38. *Terra dicta ab eo, ut Aelius scribit, quod teritur.*

39. *[Tongere Aelius Sti]lo ait noscere esse, [quod Praenestini tongi]tionem dicant pro no[tionem].*[2])

40. *Sed ego quidem cum L. Aelio et M. Varrone sentio, qui 'triones' rustico cetera uocabulo boues appellatos scribunt, quasi quosdam terriones.*

41. ... *cum Aelius Stilo Iugurthino*[3]) *bello unionum nomen inpositum maxime grandibus margaritis prodat.*

42. *Aelius hoc loco uapula positum esse ait pro dole.*

43. *Victimam Aelius Stilo ait esse uitulum ob eius uigorem.*

44. *Volpes, ut Aelius dicebat, quod uolat pedibus.*

lias. Itaque eum Afranius Putilucos in togata appellat. Fest p. 217 M. p. 270 Th.: *[Puticulos dicunt esse ap]pellatos, quod uetustissimum genus sepulturae in pute]is fuerit [eumque locum fuisse publicum .....] extra p[ortam Exquilinam ...... Sed] inde p[otius appellatos esse existimat puticu]los Aeliu[s Stilo, quod cum in eum locum patres] familias [...pecudes morticinas et] uilia proicer[ent mancipia, ibi cadauera] ea putesce[rent].*

35. H. p. 79. E. p. 10. Fest. p. 297 M.: *Sobrium — [fuerit]. Alii quod in eo M[ercurio lacte non] uino solitum [sit supplicari].*

36. H. p. 63. E. p. 7. Fest. p. 290 M.: *Sonticum — causa, quem nonnulli putant esse qui noceat, quod sontes significat nocentes. Naeuius ait: sonticam esse oportet causam, quam ob rem perdas mulierem.*

37. H. p. 72. E. p. 7. Fest. p. 359 M.: *Tamne — interpretantur. Itaque Afranius: tamne arcula tua plena est aranearum.*

38. H. p. 72. E. p. 10. Varro de l. L. V 21: *Terra — teritur. Itaque tera in augurum libris scripta cum R uno.*

39. H. p. 72. E. p. 13. Fest. p. 356 M.: *[Tongere] — no[tionem significat et la]tius dominari Ennius: [alii rhetorica] tongent. Et uincere [etiam quandoque] uidetur significare.*

40. H. p. 73. E. p. 8. Gell. N. A. II 21, 8: *Sed ego cum L. Aelio et M. Varrone sentio, qui 'triones' rustico cetera uocabulo — 'terriones', hoc est arandae colendaeque terrae idoneos.*

41. H. p. 74. E. p. 4. Plin. H. N. IX. 123 ... *cum Aelius — prodat.*

42. H. p. 73. E. p. 5. Fest. p. 372 M.: *Vapula Papiria in prouerbio fuit antiquis ..... Plautus in Feneratrice: 'heus tu — uapula Papiria.' In barbaria est in Italia. Aelius — dole. Varro pro peri.*

43. H. p. 73. E. p. 7. Fest. p. 371 M.: *Victimam — uigorem. Alii autem, quae uincta ducatur ad altare, aut quae ob*[4]) *hostes uictos immoletur.*

44. H. p. 74. E. p. 10. Varro de l. L. V 101: *Volpes — pedibus.*

1) Scaligeri sunt supplementa. 2) Vrsini adscripsi supplementa a Muellero paululum mutata. 3) *Iugurthinum bellum* codices. 4) *ob* M. *ad* cod.

III.

Fragmenta dubiae auctoritatis.

1. *Classis a calando.*

2. *Dium, quod sub caelo est extra tectum, ab Ioue dicebatur et Dialis flamen et Dius heroum aliquis ab Ioue genus ducens.*

3. *Sunt qui honori nomen* (sc. *iuglandis*) *interpretentur et Iouis glandem esse dicant.*

4. ...... *lucus quia umbra opacus parum luceat, et ludus quia sit longissime a lusu et Ditis quia minime diues.*

5. *Cloatius etiam [et Aelius Stilo]*[1]) *in libris sacrorum molucrum esse aiunt lignum*[2]) *quoddam quadratum, ubi immolatur.*

6. *[Noualem a]grum Aelius [Stilo et .... Graecum uocabulum] aiunt esse [cum Graeci eum νειὸν dixerint. In qua re Homero quoque [teste utuntur, qui dixit: ν]ειοῖο βαθείης πε[λ6ον† ἱκέσθαι].*

7. *Pennatas impennatasque agnas in Saliari carmine spicas significat cum aristis, et alias sine aristis: [sed Aelius oues ueteres et]*[3]) *agnas nouas uoluit intellegi.*

8. *Simultas, id est odium, dicta ex contrario, quia minime sint simul.*

9. *Poetae appellarunt summa terrae, quae sola teri possunt, sola terrae.*

10. *[Transdato nota]uit Aelius in XII signi[ficare tradito].*

1. Quintil. Inst. or. I 6, 33: *Iam sit et classis a 'calando' et 'lepus leuipes' et 'uulpes uolipes'.*
2. Paulus p. 74 M.: *Dium — ducens.*
3. Plinius H. N. XV 91: *Sunt — dicant.*
4. Quintil. Inst. or. I 6, 34: *Etiamne a contrariis aliqua sinemus trahi, ut lucus* etc.
5. H. p. 76. E. p. 6. Fest. p. 141 M.: *Cloatius etiam in libris — immolatur. Idem Aelius* etc. Cf. fr. certa 5.
6. Fest. p. 174 M.: *[Noualem a]grum — [ἱκέσθαι. . . . Sed C]incius eum esse, ubi [terra sine cultura ad nouam] sementem sit relic[ta].*
7. Paul. p. 211 M.: *Pennatas — aristis: agnas — intellegi.*
8. Paul. p. 337 M.: *Simultas — simul; potest et a simulatione dicta existimari, quia simulata loquuntur ad inuicem.*
9. Varro de ling. Lat. V 22: *Igitur tera terra et ab eo poetae appellarunt summa terrae quae solae teri possunt, sola terrae.*
10. Fest. p. 352ª, 5 M., quem locum sic restituit Schoell. XII tab., p. 29. 163.

1) Haec ego addidi, postquam iam Vrsinus '*et Aelius*' addidit. 2) *lignum* pro *ligneum* Aldus restituit. 3) Haec Muellerus addenda putat.

11. *Tumulus est [cumulus are]nae editus secundum mare fluctibus in [altum ele]uatus. Vnde similiter et manufac[tus et na]turalis proprie dici potest.*

12. *Vacerram [Aelius] et alii complures uocari aiunt stipitem, [ad quem equos] solent religare.*

13. *Endoplorato implorato.*

14. *Implorare inclamare, ad auxilium inuocare.*

15. *Ob uos sacro in quibusdam precationibus est pro uos obsècro, ut sub uos placo, pro supplico.*

16. *Plorare flere*[1]) *nunc significat, et cum praepositione implorare, id est inuocare: sed*[2]) *apud antiquos plane inclamare.*

17. *Sub uos placo, in precibus fere cum dicitur, significat id, quod supplico, ut in legibus: transque dato, et endoque plorato.*

18. *Meltom meliorem dicebant.*

19. *Pro*[3]) *nefrendibus [alii nefrundines intellegunt, quos] usus recens [dicit uel renes*[4]) *uel testicul]os, quos Lanu[uini appellant nebrundines,] Graeci νεφρο[ύς, Praenestini nefrones].*

20. *Sanctum [ait dici] ... Aelius [... quod utrumque esse] uideatur, [et sacrum et religiosum].*

21. *Συνημμένον ἀξίωμα .... alii nostrorum adiunctum, alii conexum dixerunt .... συμπεπλεγμένον nos uel coniunctum uel copulatum dicimus.*

11. Fest. p. 355 M.: *[Tumulum] Aelius sic definit: Tumulus — potest.*

12. E. p. 11. Fest. p. 375 M.: *Vacerram [Aelius] — religare. Ateius uero Philologus hoc nomine significari maledictum magnae acerbitatis.*

13. Paul. p. 77 M: *Endoplorato implorato, quod est cum questione inclamare.*

14. Paul. p. 109 M.: *Implorare — inuocare.*

15. Fest. p. 190 M.: *Ob uos sacro — supplico.*

16. Fest. p. 230 M.: *Plorare — inclamare.* (Sequuntur exempla.)

17. Fest. p. 309 M.: *Sub uos placo — plorato.*

18. Paul. p. 122 M.: *Meltom meliorem dicebant.*

19. Fest. p. 162 M.: *[Nefrendes dictos asserit Q. Muci]us Scaeuola [arietes, quod dentibus frendere non pos]sint. Ateius [Capito infantes esse nondum fre]ndentes, id est [frangentes. Liuius ...]ri* (sequitur exemplum). *Pro nefrendibus [alii — nefrones.*

20. H. p. 79. Fest. p. 317 M.: *Sanctum [ait dici Opilius Aure]lius, quod [nec sacrum est nec religiosum]. At Aelius [Gallus, quod utrumque esse] uideatur, [et sacrum et religiosum].*

21. Gell. N. A. XVI 8, 9: *Sed quod Graeci 'συνημμένον ἀξίωμα' dicunt, id alii nostrorum 'adiunctum', alii 'conexum' dixerunt.... Item quod illi 'συμπεπλεγμένον', nos uel 'coniunctum' uel 'copulatum' dicimus.*

1) *flere* M. *flere inclamare* cod. 2) *sed* M. *et* cod. 3) *Prae* cod. 4) *Rienes* scribendum putat Reitzenstein, Verr. Forsch. p. 91 adn. 1.

IV.

Fragmenta spuria.

1. *Aelius*[1]*): impubes libripens esse non potest neque antestari, προδιαμαρτυρηθῆναι.*

2. *In foro Lacum Curtium a Curtio dictum constat, et de eo triceps historia; nam et Procilius non idem prodidit quod Piso, nec quod is, Cornelius*[2]*) Stilo secutus ...... Cornelius*[2]*) et Lutatius scribunt eum locum esse fulguritum et ex S. C. septum esse.*

1. Priscian. Inst. gr. VIII. 16: *Aelius — προδιαμαρτυρηθῆναι.*
2. H. p. 75. E. p. 8. Varro de ling. Lat. V 148: *In foro — secutus.* 150: *Cornelius — esse.*

Caput V.

Veterum scriptorum de L. Aelio Stilone testimonia.

I. Nomen.

1. Varro de l. Lat. VIII 81: *Quod si Marcus Perpenna uirile est nomen et analogia sequenda, Lucius Aelia et Quintus Mucia uirilia nomina esse debebunt.*

2. Suet. de gramm. 2: *L. Aelius Lanuuinus, ... cognomine duplici fuit, nam et Praeconinus ... uocabatur et Stilo.*

3. Plin. H. N. XXXIII 29: ..... *sicut patrem L. Aelii Stilonis, Praeconini ob id cognominati ....*

4. Lucil. fragm. III M.: *Has, Aeli, scriptas res ad te misimu', Luci.*

II. Vita.

5. Suet. l. c.: ... *L. Aelius Lanuuinus generque Aelii Ser. Clodius uterque eques Romanus, multique ac uarii et in doctrina et in re publica usus ... Aelius ... et Praeconinus quod pater eius praeconium fecerat uocabatur, et Stilo quod orationes nobilissimo cuique scribere solebat; tantum optimatium fautor, ut Metellum Numidicum in exilium comitatus sit. Seruius, cum librum soceri nondum editum fraude intercepisset et ob hoc repudiatus .... secessisset ab urbe, in podagrae morbum incidit.*

6. Cicero Brut. 205: *Fuit is* (sc. *L. Aelius*) *omnino uir egregius et eques Romanus cum primis honestus.*

7. Plin. H. N. XXXVII 9: ... *uolgato Stilonis Praeconini sale...*

8. Cicero orator 69, 230: *Et hic quidem* (sc. *Cael. Antip.*), ... *hanc a L. Aelio*[3]*), ad quem scripsit, cui se purgat, ueniam petit.*

1) '*Laelius*' ug., '*celius*' cod. Halb., '*melius*' optimi codd., *Aelius* H.
2) *C. Aelius* ug. ex B. Spengelii. 3) Sic Popma, codd. *Laelio:* cf. p. 8.

III. Doctrina et scripta.

9. Varro de l. Lat. VII 2: *Aelii hominis in primo in litteris latinis exercitati interpretationem carminum Saliorum uidebis et exili littera expeditam et praeterita obscura multa.*

10. Cicero Brut. 46, 169: *Cui orationi Caepionis ore respondit Aelius; qui scriptitauit orationes multis, orator ipse nunquam fuit.* Ibid. 56, 205: *Cottae pro se lege Varia quae inscribitur, eam L. Aelius scripsit Cottae rogatu.*

11. Cicero Brut. 56, 205—207: *Aelius... fuit... eruditissimus et Graecis litteris et Latinis: antiquitatisque nostrae et in inuentis rebus et in actis scriptorumque ueterum litterate peritus: quam scientiam Varro noster acceptam ab illo auctamque per sese... pluribus et illustrioribus litteris explicauit. Sed idem Aelius Stoicus esse uoluit, orator autem nec studuit umquam nec fuit. Scribebat tamen orationes, quas alii dicerent, ut Q. Metello F., ut Q. Caepioni, ut Q. Pompeio Rufo, quamquam is etiam ipse scripsit eas, quibus pro se est usus, sed non sine Aelio. His enim scriptis etiam ipse interfui, cum essem apud Aelium adolescens eumque audire perstudiose solerem. Cottam autem miror ... Aelianas leues oratiunculas uoluisse existimari suas.*

12. Varro ap. Gellium I 18, 2: *L. Aelius noster, litteris ornatissimus memoria nostra, errauit aliquotiens.*

13. Gell. X 21, 2: ... *qui doctissimus eorum temporum fuerat, L. Aelius Stilo ...*

14. Gell. III 3, 12: *Homo eruditissimus L. Aelius quinque et uiginti eius* (sc. *Plauti*) *esse solas existimauit.*

15. Gell. XVI 8, 2: *Commentarium de proloquiis L. Aelii, docti hominis, qui magister Varronis fuit, studiose quaesiuimus eumque in Pacis bibliotheca repertum legimus. Sed in eo nihil edocenter neque ad instituendum explanate scriptum est, fecisseque uidetur eum librum Aelius sui magis admonendi, quam aliorum docendi gratia.*

16. Gell. III 3, 1: *Bene litteratos homines dicere audiui, qui plerasque Plauti comoedias curiose atque contente lectitarunt non indicibus Aelii nec Sedigiti nec Claudii nec Aurelii nec Accii nec Manilii super his fabulis, quae dicuntur ambiguae, crediturum.*

17. Cicero Acad. post. I 2, 8: *Quae autem nemo adhuc docuerat nec erat unde studiosi scire possent, ea ... feci ut essent nota nostris; a Graecis enim peti non poterant ac post L. Aelii nostri occasum ne a Latinis quidem.*

18. Cicero de orat. I 43, 193: *Siue quem haec Aeliana studia delectant, plurima est et in omni iure ciuili et in pontificum libris*

et in XII tabulis antiquitatis effigies, quod et uerborum uetustas prisca cognoscitur et actionum genera quaedam maiorum consuetudinem uitamque declarant.

19. Quintilian. Inst. or. X 1, 99: *Licet Varro Musas, Aelii Stilonis sententia, Plautino dicat sermone locuturas fuisse, si latine loqui uellent . . .*

20. Plinius H. N. XIV 93: *Scaeuolam quoque et L. Aelium*[1]) *et Ateium Capitonem in eadem sententia fuisse uideo, quoniam in Pseudolo sit:*

Quod si opus est, ut dulce promat indidem ecquid habet: rogas?
Murrinam, passum, defrutum, mella . . . .,

quibus apparet non inter uina modo murrinam, sed inter dulcia quoque nominatum. Praeterea Aelius auctor Plinii commemoratur in indicibus librorum IX, XIV, XV.

21. Varro de l. Lat. VI 59: *Nouissimum . . . mea memoria ut Aelius sic senes aliquot nimium nouum uerbum quod esset uitabant.* Cf. Gell. X 21.

22. Gell. V 21, 6: *Velim doceas nos, cur 'pluria' siue 'compluria', nihil enim differt, non Latine sed barbare dixerint M. Cato, Q. Claudius, Valerius Antias, L. Aelius*[2]), *P. Nigidius, M. Varro, quos subscriptores approbatoresque huius uerbi habemus.*

23. Gell. VII 15, 5: *Noster autem, qua est rerum omnium uerecunda mediocritate, ne si Aelii quidem, Cincii et Santrae dicendum ita censuissent, obsecuturum se fuisse ait contra perpetuam Latinae linguae consuetudinem.*

24. Gell. XII 4, 5: *L. Aelium Stilonem dicere solitum ferunt, Q. Ennium de semet ipso haec scripsisse picturamque istam morum et ingenii ipsius Q. Ennii factam esse.*

25. Fronto, epist. ad Caesarem et inuicem I, 7 (Naber): *Contigisse quid tale M. Porcio aut Q. Ennio aut C. Graccho aut Titio poetae? quid Scipioni aut Numidico? quid M. Tullio tale usu uenit? quorum libri pretiosiores habentur et summam gloriam retinent, si sunt [a] Lampadione, aut Staberio . . . ui aut [Tirone] aut Aelio . . . . . aut Attico, aut Nepote.*

26. Anecdotum Parisinum Suet. p. 138 ed. Reiff.: *His solis* (sc. *signis*) *in adnotationibus Ennii Lucilii*[3]) *et historicorum usi sunt Varro Sinnius Aeliusque*[4]) *et postremo Probus.*

1) Heusdii coniectura a Iano et Detlefseno probata sum usus. 2) *Aelius* Carrio, *lelius* cod. 3) *Lucilii* R., *Lucii* cod. 4) Sic scripsi; cod.: *Varros hennius haelius aequae;* Bergk., Annal. ant. III 15 (1845), p. 114 scribit: *Vargunteius Laelius Archelaus;* Reiff.: *Vargunteius Ennius Aeliusque.*

Caput VI.

Adnotationes ad fragmenta.

1. Ad fragmenta certa.

Ad 1. Aeli mentio sicut Catonis, quae sequitur, sine dubio apud Varronem, qui post ambos memoratur, exstitit. — Ceterum Aelii uerba ad Catonem spectare et eam ob rem uerisimile uidetur, quod statim post eum Cato nominatur, et eo quod eodem modo quo Catonis incipiunt, ita ut Aelius uerba illius '*alae ex lupino*' tanquam lemma positum suis uerbis '*surculi sine foliis*' explicauisse uideatur.

Ad 2. Aelii quae exstat apud Isidorum explicationis simillima est ea, quam apud Paulum inuenimus p. 118 M.: '*latrones ... nunc uiarum obsessores dicuntur, quod a latere adoriuntur, uel quod latenter insidiantur*', unde apud Festum Aelii mentionem exstitisse uerisimile fit. Ceterum quae Isidorus attulit ad locum quendam redeunt Varronis nobis amissum, quem Seruius quoque respicit ad Aen. XII 7: '*Varro tamen dicit hoc nomen posse habere etiam Latinam etymologiam, ut latrones dicti sint, quasi laterones.*'[1]) Tamen Varro etiam de l. Lat. VII 52: '*latrones dicti ab latere, qui circum latera erant regi atque ad latera habebant ferrum ...*' et paulo post: '*[sic etiam dicti qui circa uias sunt]*[2]) *quod item ut milites cum ferro, aut quod latent ad insidias faciendas*', ad Aelium respicit, etsi nomen eius non affert. — Praeterea quaeritur, num ea, quae apud Isidorum exstat, Aelianae explicationis sit genuina forma necne. Atque ego quidem suspicor Aelium fortasse nihil scripsisse nisi: '*latro est latero, ab latere*'. Quae eius uerba — et praecipue etymologiam '*ab latere*' — cum ii, qui eum secuti sunt, alius aliter intellegerent, magna illa explicationum exorta est uarietas, quam nunc apud Varronem Paulum Seruium miramur. Quarum explicationum ea, quam apud Paulum uidemus, '*quod a latere adoriuntur*', optimum est exemplum ueriloquii '*per id quo continetur*'[3]) inuenti: tunc enim latus (scil. uiae) est id, quo insessor continetur.

Ad 3. Verba Aelii ad Lucilium spectare duobus argumentis demonstratur: primum enim Verrius, ut Leidolphus[4]) uidit, plerumque uersus, quos attulit, non ex ipsis poetarum operibus, sed ex commentariis et aliis grammaticorum libris exscripsit, ut etiam hunc Lucilii uersum ex Aelii libro illo, quo rariores uoces explicauit et

1) Cf. Goetzius in Berl. phil. Wochenschr. 1886, nr. 25, p. 782. 2) Lacunam suppleui ex Seru. Dan. ad Aen. XII 7, cf. Goetz. l. c. 3) Cf. p. 12. 4) De Festi et Pauli locis Plautinis, in Commentat. philol. Ienens. II p. 208 adn.

poetarum uersibus illustrauit, petiuisse uideatur. Deinde, quod multo grauius est, ex toto Festi loco apparet Aelium uerbis suis hunc Lucilii locum spectare; nam cum diceret: '*petaurista proprie Graece*', quo uerbo Lucilius in hoc uersu minime utitur, significare uoluit Lucilium non proprio uerbo Graeco, sed alio usum esse. — Aelii explicatio recurrit apud Nonium p. 56 M.: '*petauristae a ueteribus dicebantur, qui saltibus uel schemis leuioribus mouerentur: et haec proprietas a Graeca nominatione descendit, ἀπὸ τοῦ πετᾶσθαι.*'

Ad 4. Plura quam Heusdius Stiloni uindicaui uerba, nisus coniunctiuo '*dicantur*', quem ex edit. Aldina reposuit Thewrewkius[1]), postquam Muellerus iam et Corssenus[2]) indicatiuum uitiosum esse suspicati sunt. Quo coniunctiuo recepto etiam altera Muelleri suspicio, pro '*et*' scribendum esse '*unde*', certissima fit. Si uero legimus '*unde — dicantur*', quin haec et sequentia uerba Stilonis sint, nemini potest dubium esse. Totus igitur hic Festi locus Stilonis est, id quod etiam eo firmatur, quod apud Paulum (p. 122 M.) s. u. 'Matrem Matutam' eodem modo atque hic '*manus bonus*' et '*manes boni*' inter se uidemus coniuncta, ut duae illae explicationes iam Festo cohaerentes ante oculos fuisse uideantur. — Quod uero apud Paulum (p. 147) legimus '*Aurelius*' pro '*Aelius Stilo*', mero librarii errore puto factum esse neque, ut Muell. uult, apud Festum '*et Aurelius*' addendum: neque enim usquam Opilium Aurelium carminibus Saliaribus explicandis operam nauasse traditum est. — Pro '*manuos*' fortasse '*manos*' scribendum est: omnibus enim aliis, ubi idem uerbum occurrit, locis et praecipue in titulo illo antiquissimo nuper reperto, de quo Buechelerus in Mus. Rhen. uol. 36 p. 235 sqq. agit, '*manus*' uel '*manos*', non '*manuus*' legitur.[3]) — Explicationem uero Heusdius recte monuit Aelium a patriae suae sermone uideri hausisse. Nam Macrobio[4]) teste Lanuuini '*mane*' pro bono dicebant. Eadem explicatio saepissime iterum occurrit: Macr. Sat. I 3, 13; Varro de l. Lat. VI 4; Paul. p. 122 M., p. 125 M., p. 159 M.; Acro ad Hor. carm. I 4, 16; Nonius p. 66 M.; Seru. ad Verg. Aen. I 110, 139, II 268, III 63; Isid. orig. V 30, 14, X 140; Comment. Eins. in Donat. art. mai. in Gr. L. Suppl. p. 241, 1.[5])

Ad 5. De hoc fragmento conferantur quae explicata sunt in adnotatione ad fragm. dub. auct. 5.

1) Nam *dicantur* scribit sine cruce. 2) Orig. poes. Rom. p. 73. 3) Tituli uerba, quae huc spectant, sunt: *Duenos med feced en manom.* 4) Sat. I 3, 13. 5) Cf. etiam Nettleship, Lectures and Essays (Oxf. 1885) p. 319.

Ad 6. Ex hoc fragmento apparet Aelium, etsi plurimae eius etymologiae latinae sunt, tamen etiam carminum Saliarium uerba quaedam ex Graeco deriuasse. Adiectis uerbis '*neutro genere pluraliter*' sine dubio explicare uoluit latinam terminationem '*ia*'. Graecum uerbum inuenitur apud Hesychium: *πεσκέων· δερμάτων* et *πέσκον· πικρόν. ἢ κώδιον ἢ δέρμα.* Corssenus (orig. poes. rom. p. 75) hoc uerbum a pectendo declinatum putat.

Ad 7. Hoc fragm. Corssenum (orig. p. 49) secuti ad explanationem carminum Saliarium referre eo minus dubitauimus, quod ap. Varr. de l. L. IX 61 legitur: '*uidemus enim Maniam matrem larum dici, Luciam Volaminiam Saliorum carminibus appellari.*' — Locus Festi, ubi hoc fragmentum seruatum est, et in schedis tantum exstat, quae Laeti dicuntur, et foede est mutilatus. Nos tamen eis uerbis, quae sine dubio Festi uel Verrii sunt — a uerbis: '*id est manes*' — missis Aeliana solum, quae quam late pateant minus clarum est, contemplemur. Quam quaestionem, cum Heusdius p. 67 rectissime de ea disseruerit, breuiter tantum hic adumbrabo. Quaeritur enim, utrum duo illa additamenta: '*quas alii maniolas appellent*' et '*quas nutrices minitentur paruulis pueris*', Stilonis sint necne. De quo nos melioribus Festi editionibus adiuti multo facilius possumus iudicare quam Heusdius, neque tamen minus recte eum censuisse uidemus: nam tota quaestio inde pendet, utrum coniunctiui '*appellent*' et '*minitentur*', quos dubios esse Heusdius dicit, reuera a Festo scripti sint necne. Ac '*minitentur*' sine dubio rectum est; neque enim usquam nisi in Pauli uulgata editione '*minitantur*' exstat, et tota sententia hoc additamentum Stilonis esse flagitat. Itaque posterius additamentum Stilonis esse et ex codicibus et ex sententia apparet. Priorem coniunctiuum, de quo sane schedarum apographa uariant, antea putaui ex indicatiuo natum, nunc uéro, cum etiam Thewrewkius, nuperrimus Festi editor, eum tenuerit, facere non possum, quin coniunctiuo seruato hoc quoque additamentum Aelianum existimem. Falso tamen Heusdius de eis uerbis mihi uidetur cogitare, quae in fine huius articuli a Festo adduntur[1]): neque enim, ut Heusdius, ad duas illas quas Stilo seiunxit Manium significationes ea spectare puto, sed, ut Muellerus, ad duo illa uerbi '*Maniae*' ueriloquia, quorum alterum mutilatum est. Ceterum hanc Stilonis explicationem '*quia turpes fiant*' per contrarietatem accipiendam esse ex eo apparet, quod fragm. 4. Manuos et Manes bonos significare ait.

1) '*Sunt enim utriusque opinionis auctores.*'

Ad 8. Aelii Stilonis ueriloquium '*monstrum a monendo*' iterum occurrit apud Seruium ad Aen. II 681: '*monstrum .... dictum a monstrando, id est monendo.*'[1]) Deinde apud Isidorum orig. XI 3, 3: '*monstra uero a monitu dicta,*' quem locum Isidori Varronianum esse ex antecedentibus elucet. Etiam Sinnius Capito[2]) a Stilone uidetur pendere. Ceterum Corssenum (p. 49) secuti hoc fragmentum ad carmina Saliaria rettulimus.

Ad 9. Hoc quoque fragmentum recte mihi uidetur Corssen. p. 74 et 85 ad carmina Saliaria reuocare. Aelii explicationi respondent etiam ea, quae apud Ciceronem (de leg. II 9, 21) scripta uidemus: '*quibus diuis creuerint, procuranto idemque fulgura atque obstita pianto.*' Et Stilonem recte iudicasse etiam Vahlenus censet, qui Annal. gymn. Austr. 1861 p. 2—4 doctissime de hoc uocabulo disseruit. Cf. de hoc fragmento etiam Hertzius de Luciis Cinciis p. 53.

Ad 10. De hoc fragmento ad carmina Saliaria spectante uide Corssenum (p. 49 et 79—80). De sacrificio, quod Festus postea commemorat, uide Macrob. I 12, 33. Ceterum de hoc fragmento egit etiam Hertzius de Luciis Cinciis p. 54.

Ad 11. Hoc fragmentum in interpretatione carminum Saliarium exstitisse ita per se apparet, ut iam ab Eggero inter huius libri fragmenta relatum sit, cui Corss. (p. 49 et 80) assentitur. — De coniunctione quae fortasse intercedebat inter Aelium et Cincium cf. Hertzius de Luciis Cinciis p. 72 sqq.

Ad 12. Verbum '*subucula*', cum ad res sacras spectet, recte mihi uidetur Corssenus (orig. p. 81), qui etiam de uocis origine docte disputauit, ad carminum Saliarium interpretationem referre. Ceterum ex Festi uerbis '*iisdem fere uerbis*' apparet et Aelium et Cloatium libro quodam de hoc uerbo egisse, et Verrium utriusque librum inspexisse.[3]) Num etiam de tunicae genere, de quo quae apud Verrium exstabant Festus omisit, illi disseruerint, nunc non liquet. Cf. Acro in Hor. Epist. I 1, 95.

Ad 13. Varro hoc loco non sine aliqua acerbitate magistri sententiam refutat, cum alias, ut VII 4 et Gell. N. A. I 18, 2, de eius erroribus lenissime iudicet. — Quae apud alios scriptores inueniuntur similes huius uerbi explicationes, sine dubio ad Stilonem redeunt, quamquam ex hoc Varronis loco uix haustae sunt. Nam etsi Varronis sine dubio sunt, quae legimus apud Plinium N. H. II 8: '*caelum ... haut dubie caelati argumento diximus, ut interpretatur*

1) *id est monendo* in schol. Dan. exstat. 2) Apud Festum l. c.
3) Eandem sententiam inueni apud Reitzenstein., Verrian. Forschungen p. 90.

M. Varro' tamen cum hic Varro contrarium probet eius, quod illo loco, Plinium sane dormitantem haec descripsisse putandum nobis esset, si ex nostro loco ea hausisset. Quod iam A. Spengelius (Varr. de ling. Lat. praef. p. LXXI) rectissime monuit. Et idem ualet de ceteris ubi illa explicatio inuenitur locis: Isid. orig. III 31, 1 et XIII 4, 1; Beda de Orthographia apud K. VII p. 268, 28. Albinus Orthographia ibid. p. 299, 8. Comm. Eins. in Donati art. min. in Gr. L. suppl. p. 215, 23 et 237, 8.

Ad 14. Stilonis hoc fragmentum esse ex uerbo explicato apparet. Verba, quae Paulus addit: '*Oscorum quoque lingua significat insanum*' fortasse et ipsa Stilonis sunt, ut ille ex Oscorum lingua huius uerbi significationem petiuisse uideatur. Quod non alienum fuisse ab eius doctrina docet fragmentum 39.

Ad 15. Aelii explicationem omnes ueteres, qui de illo deo scripserunt, agnouerunt. Cf. Paul. p. 147 M. s. u. Medius Fidius. Fest. p. 229ᵃ, 13; p. 241ᵃ, 2 '*in aede sanctus qui deus dius fidius uocatur*' ubi sine dubio '*sanci*', ut M. uult, uel '*sancus*' legendum est. Cf. etiam Seru. Dan. ad Aen. IV 204. Placid. ed. D. p. 32, 10. Loewe, Prodr. p. 379 e cod. Amplon.[1] p. 351, 112: '*medius fidius: deus sanctus mala auertens*', ubi non minus quam Festi illo loco '*Sancus*' aut scribendum est aut ille deus intellegendus est. — Sed apud Ouidium quoque Aelianae explicationis uestigia apparent, etsi sine dubio ex Varrone hausta sunt, Fast. VI 213—216 enim legimus:

'*Quaerebam Nonas Sanco Fidione referrem*
An tibi Semo pater. Tum mihi Sancus ait:
Cuicumque ex istis dederis, ego munus habebo.
Nomina terna fero. Sic uoluere Cures.'

Cf. etiam Comm. Eins. in Donati art. min. in Gr. L. suppl. p. 212, 37—213, 4 et id. in Don. art. mai. in eod. uol. p. 260, 16—21. — Latissime igitur ualuit Aelii explicatio. De deo illo cf. Preller., Myth. Rom. p. 633—637 et de Ouidiano illo loco Merkel., Fast. praef. p. CXXXV, CLXXXIII, CCIII, CCIX sq. — De Aelio uocem '*dius*' cum Ioue conferente inspicias etiam fragmentorum dubiae auctoritatis 2.

Ad 16. De hoc fragmento e libris etymologicis petito conferatur supra p. 22 et infra adnotatio ad fragm. 33. Charisius hoc fragmentum, sicut totum fere caput de analogia, Iulio Romano debet, qui ipse Plinii dubii sermonis librum sextum exscripsit.[1]) Plinius Stilonis ipsius librum uidetur adhibuisse. Cf. p. 24.

1) Cf. Schottmueller, De C. Plinii Secundi libris grammaticis p. 35 et 39; Neumann, De Plinii dubii serm. l. Charisii et Prisciani fontibus p. 11.

Ad 17. Stilonis hoc fragmentum sine dubio est, etsi quae Heimbachius (de C. Aelio Gallo ICto p. 42) de uerbo '*dicebat*' disserit, non sunt probanda (cf. p. 26—27). Spectat sine dubio ad locum illum Bruti quem Varro commemorat, id quod eo uerisimilius fit, quod VII 72 cum eodem uersu iterum eadem huius uerbi explicatio occurrit. De hoc uersu cf. Ribb., Scaen. Rom. Poes. fragm. I p. 285. — In ipso Aelii libro copiosior mihi uidetur fuisse huius uerbi explicatio: quae fortasse apud Festum uel Verrium exstabat. Comparata enim Pauli (p. 110 M.) explicatione: '*intempestam noctem dicimus pro incertiore tempore, quia non tam facile noctis horae, quam diei possint intelligi*' cum Seruii ad Aen. III 587: '*intempesta dicta est nox media, inactuosa, carens actibus, per quos tempora dinoscimus*' apparet ambas ex eodem fluxisse fonte, cuius tamen Paulus minorem tantum partem retinuit. Quo in fonte cum eadem fere, quae apud Varronem (h. e. intempesta nox: actu carens) fuerint scripta, non uideo, cur eum Aelium fuisse negemus. — Eadem fere exstant apud Seruium (ad Georg. I 247), apud Placidum (ed. Deuerl. p. 70, 7), apud Macrobium (Sat. I 3, 15), Isidorum (orig. V 31, 9—10). Bedam (de orthogr. Gr. L. VI p. 275, 1). Ex qua explicatione apparet Aelium hoc uerbum *κατὰ στέρησιν* (p. 13) putasse factum.

Ad 18. Gellii locum (I 18, 1—2) quem supra commemoraui, hic adscribam:

In XIV. rerum diuinarum libro M. Varro doctissimum tunc ciuitatis hominem L. Aelium errasse ostendit, quod uocabulum Graecum uetus traductum in linguam Romanam, proinde atque si primitus Latine fictum esset, resoluerit in uoces Latinas ratione etymologica falsa. Verba ipsa super ea re Varronis posuimus: In quo L. Aelius noster, litteris ornatissimus memoria nostra, errauit aliquotiens. Nam aliquot uerborum Graecorum antiquiorum, proinde atque essent propria nostra, reddidit causas falsas. Non enim 'leporem' dicimus, ut ait, quod est leuipes, sed quod est uocabulum anticum Graecum. Multa uetera illorum ignorantur, quod pro his aliis nunc uocabulis utuntur; et illorum esse plerique ignorent 'Graecum', quod nunc nominant 'Ἕλληνα', 'puteum', quod uocant 'φρέαρ', leporem, quod 'λαγωόν' dicunt. In quo non modo Aelii ingenium non reprehendo, sed industriam laudo; successus enim fortunae, experientiam laus sequitur.

Hic locus eam ob rem magni est momenti, quod Varro hic aliam atque in libris de r. r. affert etymologiam. Haec uero etymologia de l. Lat. V 101 redit. Aelii ueriloquium probant Quintilianus (Inst. or. I 6, 33) et Isidorus (orig. XII 1, 23).

Ad 19. Cicero probat Aelii explicationem, quam *κατὰ μίμησιν* (cf. p. 12) factam esse uerba eius indicant: '*ut uox ipsa significat*'. Cf. Tuscul. II 23, 55.

Ad 20. De Aelio Stilone huius fragmenti auctore diu dubitatum est et ne Heusdius quidem certi quidquam statuit, sed dubitat, an fortasse Sex. Aelius intellegendus sit, de quo Dirksenus (Bruchstücke aus den Schriften d. röm. Jurist. p. 44) cogitauit. Eggerus (serm. lat. uet. rell. p. 26) Aelio Gallo hoc fragmentum tribuit. Sed Aelio Stiloni tribuendum esse euicit M. Hertzius, qui eius Iahnii annal. uoluminis, quod prodiit anno 1862 p. 45 de eo dicit: 'Demselben [Stilo] gehört offenbar auch das Fragment aus Cicero Top. 2, 10 locuples etc.; seiner Art ist diese Etymologie ganz angemessen, Sex. Aelius kommt nie ohne nähere Bezeichnung bei Cicero vor, während Lucius ihm als sein Lehrer persönlich nahe stand und auch sonst [Brut. 169] ohne Hinzufügung des Vornamens bei ihm genannt wird, und endlich bietet der Leydener Codex 84 laelius, wonach Kayser mit vollem Recht an dieser Stelle L. Aelius hergestellt hat, auch die bisher vermisste äussere Beglaubigung für Stilo, deren es meines Erachtens nicht einmal bedurft hätte, um das Fragment auf ihn zu beziehen.'[1]) Stilonis igitur est haec explicatio. Restat ut rationem reddam de causis, quibus commotus Heusdium et Eggerum secutus '*ab asse dando*' scripserim, cum optimi Ciceronis codices in '*aere dando*' consentiant. Quod eam ob causam feci, quia etymologia ipsa, quam Cicero hic sine dubio ex memoria attulit, multo magis apparet, si scribimus '*ab asse dando*': nam apud ueteres modo haec modo illa ueriloquii forma inuenitur. Conferatur Paulus (p. 9 M.): '*alii assiduum locupletem, quasi multorum assium, dictum putarunt. Alii eum, qui sumptu proprio militabat, ab asse dando uocatum existimarunt,*' Charisius (Gr. L. I 75, 10—12): '*ditiores, qui asses dabant, assidui dicti sunt. Et quoniam soli in negotiis publicis frequentes aderant, eos, qui frequentes adsunt, assiduos ab assibus dixerunt,*' Priscianus (Gr. L. II 118, 18): '*uel ab asse, ut quibusdam placet, assiduus,*' Isidorus (orig. X 17): '*assiduus dicebatur apud antiquos, qui assibus ad aerarii expensam conferendis erat, et in negotiis quoque publicis frequens: unde et per s, non per d scribendus est.*' Quibus opponi possunt praeter Topicorum locum etiam alter Ciceronis locus (de rep. II 22, 40), ubi legimus: '*cum locupletes assiduos appellasset ab aere dando.*' (Sic enim cod., *ab asse dando* Osann.) Deinde

1) Cf. etiam Schoell, XII tab. p. 30 et 31 adn. 1. Huschke, Iurisprud. anteiust.[4] p. 1 adn.

apud Quintilianum (Inst. Or. V 10, 55): '*praeterea finimus aut vi, sicut superiora, aut ἐτυμολογίᾳ, ut si assiduum ab aere dando et locupletem a locorum, pecuniosum a pecorum copia.*' Etiam Gellius (N. A. XVI 10, 15) '*ab aere dando*' exhibet. Quater igitur *aere* legimus, quater *asse*. Sed Stilonem, qui in aliis ueriloquiis tam saepe litteras premit (cf. fragm. 27, 29, 30, 31 et quae p. 15 exposuimus) multo magis puto *ab asse dando* scripsisse. Quod uero totiens *ab aero dando* legimus, id sine dubio eo factum est, quod *as* et *aes* promiscue potuerunt usurpari, et quod Cicero et alii Stilonis etymologiam e memoria attulerunt. Ceterum e Ciceronis Topicorum loco illo et Gellii quae N. A. XVI 10, 15 exstant uerbis apparet Aelium in hoc uerbo explicando locum quendam respexisse duodecim tabularum.

Ad 21. De contrarietate uide quae antea p. 12 et 13 disputauimus. Verba quae Paulus addit '*sic ludum*' etc. fortasse et ipsa Stilonis sunt, de quibus conferas fragm. dub. auct. 4.

Ad 22. Vnica exstat in Romanis litteris Aelii explicatio neque tale, quale Aelius uult, significans hoc uerbum usquam iterum occurrit. Comparatur uulgo Varro de r. r. II 2, 6: '*minam* (sc. *ouem*) *id est uentre glabro.*' Et sane utroque loco sermo est de uitio corporis.

Ad 23. Mira est Aelii explicatio: possis enim negare omnes res habere putamen, nisi putamen id esse putes, quod fere abicitur et inutile est. Sed tamen miror Aelium non dixisse '*omnium rerum putamina*', quod etsi fortasse Festi neglegentia corruptum est tamen coniectura restituere non ausim. Certe Cincii et glossematorum scriptorum ('*fabae grani quod haereat in fabulo*') explicationes multo magis mihi placent. — Spectabat autem Aelii explicatio sine dubio ad unum alterumue eorum exemplorum, quae Verrius huic articulo addidit. (Cf. Leidolph, De Festi et Pauli locis Plautinis Commentat. philol. Ienenses II p. 208) et redit ap. Priscianum Inst. gr. VI 3, 12 = Gr. L. II p. 204, 13: '*nauci quoque, quod putamen nucis significat et pro nihilo accipitur.*'

Ad 24. Ad Stilonem fortasse redeunt, quae legimus apud Nonium p. 18, 24 M.[1]): '*nebulones et tenebriones dicti sunt qui a mendaciis et astutiis suis nebulam quandam et tenebras obiciant; aut quibus ad fugam et furta haec erant accommodata et utilia.*' De quo loco cf. P. Schmidt, De Nonii Marcelli auctoribus grammaticis p. 141.[2]) — Cur hoc fragmentum p. 13 exemplum dixerimus esse etymologiae '*per similitudinem*' inuentae, facile intellegitur:

1) Lersch. phil. ling. III p. 148. 2) Cf. etiam Acro ad Hor. Serm. I 1, 102—104. In epist. I 2, 28. Porphyr. in Hor. Serm. I 2, 12. Nettleship, Lectures and Essays p. 299 et 358.

nam sicut crura propter similitudinem crucis, quod uerbum *κατὰ μίμησιν* factum est, nomen suum acceperunt, ita '*nebulo*' propter '*nebulae*' *κατὰ μίμησιν* appellatae similitudinem nomen accepit suum.

Ad 25. Stilonem intellegendum esse docet etymologia, cui ceteri Aelii raro operam nauauerunt. Praeterea Aelius saepius deorum nomina explicare studuit: ut Dius Fidius, Manes, Maniae, Panda. Deriuabat autem hoc uerbum a '*nouem*' et '*sedes*', ut rationem secutus sit '*per id quo continetur*', nouensiles enim sunt Musae, quod nouem sedibus praeditae sunt, h. e. nouem sedibus continentur. Eadem explicatio occurrit apud Mar. Victorinum apud Keil. VI 26, 1—6: '*Nouensiles siue per l siue per d scribendum. Communionem enim habuit l littera cum d apud antiquos ut dinguam et linguam et dacrimis et lacrimis ..... nouensiles autem, quos Graeci συνεννέα, post nouendii a considendo, id est eadem sede praediti.*' Qui locus Victorini cum e fonte satis uetusto (Verrio Flacco; cf. Guil. Schady de Marii Victorini libri I capite IV [Bonnae 1869] p. 41) haustus sit, fortasse etiam uerba '*Nouensiles — antiquos*' e Stilonis libro sunt orta. — Varro de l. Lat. V 74 '*Feronia, Minerua nouensides a Sabinis*' non Aelii, sed Cincii explicationem sequitur, quae exstat apud eundem Arnobium (III 38). Quae cum spectet ad deuotionis formulam apud Liuium (VIII 9, 6) seruatam, fortasse Aelius quoque hoc uerbum inde sibi sumpsit explicandum. Cf. Pluess., De Cinciis rerum Romanarum scriptoribus (Bonn. 1865) p. 30. Hertz., De Luciis Cinciis p. 57. De diis nouensilibus cf. Preller, Myth. Rom. p. 81. p. 89 sqq.

Ad 26. Aelii Stilonis explicatio inuenta est '*per efficientiam*' (p. 12): '*nuptiae a nubendo, quo nuptiae fiunt*'; et repetitur apud Placidum, ubi bis, p. 69, 18 et p. 72, 7 D., legimus: '*nuptiae ... ab obnubendo puellis capita dicuntur.*' Eadem occurrit apud Paulum p. 184 M.: '*nuptiae dictae a capitis opertione*', et apud Seruium ad Aen. XI 77: '*nuptiae dicuntur quod nubentum capita obnubantur id est*[1]) *uelantur.*'[2]) Vestigium Aelianae etymologiae etiam apud Varronem occurrit de l. L. V 72: '*ab nuptu, id est opertione, ut antiqui, a quo Nuptiae.*'

Ad 27. Stilonis explicatio obiter inspicienti ex duabus possit uideri coaluisse: '*qui plus uidet uesperi quam meridie*' et '*qui non cognoscit nisi quod usque ad oculos admouisset.*' Quod tamen ut statuamus minime opus est; inter omnes enim constat, myopes saepe uespere melius uidere quam meridie, uel certe uespere melius uidere quam ceteros homines sanis oculis praeditos. Itaque Aelii explicatio accuratissima est. Tamen Aurelius Opilius, eius aequalis,

1) *obnubantur id est* in schol. Dan. solum exstant. 2) Cf. etiam Suet. Pratum fr. 146* Reiff. Caper de orthographia ap. Keil. VII p. 103, 14.

explicationem protulit prorsus contrariam, dicens nuscitiones esse caecitudines nocturnas. Putabat igitur nuscitiosos nocte uel uespere nihil uidere. Quos duos grammaticos posteri auctores ita secuti sunt, ut alii Stilonis alii Opilii sententiam suam facerent. Et Aelii sententia praeter Festi locum laudatum etiam apud Paulum s. u. luscitio (quod idem est atque nuscitio) p. 120 M. apparet: '*luscitio uitium oculorum, quod clarius uesperi quam meridie cernit.*' Vnde mihi uidetur apparere Verrium Aelii sententiam probasse. Deinde apud Fulgentium Exp. serm. ant. s. u. luscitius: '*luscitios dici uoluerunt interdiu parum uidentes, quos Graeci meriopes uocant.*'[1]) Praeterea in glossis eam apparere Loewius testis est, qui Prodr. p. 17 non improbabile esse ducit ex Aelii Stilonis largis copiis deriuatam esse hanc pusillam glossam: '*nusciosus, qui plus uespere uidet*', et deinde in adn. dicit: 'non deest alia persimilis glossa ad eandem uocem spectans quae sic occurrit: "*nosciosus qui melius uespere uidet*".' Opiliiu ero explicatio iterum occurrit apud Plinium II. N. XXVIII 170: '*sanguine hircino lusciosos sanari putant nyctalopas a Graecis dictos*', apud Varronem a Nonio s. u. luscitiosi (p. 135 M.) laudatum: '*luscitiosi, qui ad lucernam non uident: et μύωπες uocantur a Graecis. Varro Disciplinarum lib. VIII:* "*uesperi non uidere, quos appellant luscitiosos*",' apud Isidorum, orig. X 164: '*luscus, quod lucem ex parte sciat, sicut luscitiosus, qui uespere nihil uidet.*' — Plures igitur scriptores Opilium quam Aelium uidentur secuti esse, inter quos ipse Varro, Aelii discipulus. De formis 'nuscitiosus' et 'luscitiosus' cf. Loewe, Prodr. p. 340. — Corssenus (orig. p. 49) hoc fragmentum ad carm. Sal. refert, quod cur fecerit neque ego uideo neque ipse in illo libro exposuit.

Ad 28. Ad Catonis locum, qui post Aelii uerba a Festo commemoratur, Aelii explicatio sine dubio non spectat. Ceterum Aelium hoc uerbum per contrarietatem explicasse quiuis uidet.

Ad 29. Verba Aelii, quae Nonius ex Varrone affert, sano sensu carere Heusdium non uidisse miror: neque enim, quod nomen illi deae fuerit neque quomodo natum sit, cognoscimus. Itaque recte puto Kettnerum censere, qui in dissertationis, quam conscripsit de M. Terentii Varronis de uita populi Romani librorum reliquiis (Halis 1863) p. 21 dicit Varronem fortasse addidisse: '*ideoque a pandendo dictam Pandam.*' Sic sana efficitur sententia.[2]) Sed ego plura audeo quam Kettnerus, cum etiam, quo conexu Varro Aelii uerba attulerit, mihi ita uidear cognoscere, ut, si ea, quae proferam,

1) Gerlachii et Rothii adhibui editionem. 2) Aliter huic loco mederi studet Nettleship, Lect. and Ess. p. 352.

recta sunt, nouum habeamus librorum de uita populi Romani fragmentum. Arnobius enim, qui Varronem multis locis nominat, adu. nationes IV 3 (p. 143 R.) de dea Panda haec habet: '*quod Tito Tatio, Capitolinum ut capiat collem, uiam pandere atque aperire permissum est, dea Panda est appellata uel Pantica.*' Quae uerba nonne uides optime posse praeponi uerbis illis Aelii apud Nonium ex Varrone citatis, ut statim post 'Pantica' sequerentur: '*hanc deam Aelius putat esse Cererem*'? Sic etiam illud '*sed*' in uerbis Aelii habet quo referatur, aliam enim Aelius huius nominis putabat esse causam atque quae antea prolata erat. Itaque quin Arnobii ille locus e libris de uita pop. Rom. sumptus sit nullus dubito. Accedit quod non multo ante Arnobius ipsum Varronem arcessit neque ad hunc usque locum alium nominat auctorem.[1])

Ad 30. Quintilianus hanc etymologiam non dignam putat esse, quam refellat.

Ad 31. Verba Aelii spectare uidentur ad locum Catonis a Festo laudatum. '*In portu*' uidetur adiecisse ueriloquii causa, neque enim in portu solum, sed ubique remigibus portisculo signum dabatur.[2]) Aelii explicationem, omissis tamen '*in portu*' uerbis exhibent Nonius[3]) p. 151, 18 M.: '*portisculus proprie hortator est remigum*'; Isid. orig. XIX 2, 13: '*porticulus malleus in manu portatus, quo modus signumque datur remigantibus.*' Etiam in glossis exstat '*portisculo malleo*', de quo cf. Loewe, Prodr. p. 135.

Ad 32. Explicatio Aelii nusquam denuo occurrit. Etymologiam eius supra (p. 13) exemplum diximus esse '*abusionis*' (cf. p. 12), quia Aelius non potuit non uidere *procestria* idem esse atque *procastria,* quod non minus saepe occurrit, eoque uerbo ea significari aedificia quae essent extra castra; sed ut apud Augustinum piscina dicitur etiam receptaculum illud aquae, quod in balneis est, etiamsi nulli in ea insint pisces, sic Aelius etiam aedificia illa, quae omnino ante portas sunt, non ante portas castrorum, *procestria* uoluit esse. Quamquam Lerschius (III p. 149) aliter censet.

Ad 33. Hoc fragmentum, quod Heusdio ex libro quodam Stilonis grammatico petitum uidebatur, facile in libro etymologico potuit exstare: quid enim illum prohibuit, postquam de uerbi alicuius

1) Aliter de hoc loco iudicauit G. Kettner in dissertationis quam de Cornelio Labeone scripsit (progr. Pfort. 1877) p. 16. 2) Vnde luculentissime apparet hanc etymologiam esse inuentam '*per id quo continetur*' (p. 12); malleus enim ille, cum in portu sit, portu continetur, unde nomen habet. 3) Nonium sua e commentario quodam Plautino hausisse Schmidtius l. c. p. 141 putat.

ueriloquio disseruit, etiam de feminina eius forma pauca exponere? Ceterum Charisium non ex ipso Aelii libro hoc fragmentum sumpsisse per se patet, quem uero scriptorem secutus sit, adhuc ambigitur. De loco carminis illius hic commemorato cf. Ribb. trag. Rom. p. 631. Trag. fragm. p. 233.

Ad 34. Recte L. Spengelium censuisse puto '*puticulae*' apud Varronem esse delendum. Itaque Festum secutus non '*puticulas*', sed '*puticulos*' Aelium feci explicantem. Quos Aelium sic apparet explicasse, ut rationem sequeretur '*per id, quod continet*' (p. 12): puticuli enim continebant cadauera putescentia.

Ad 35. Quis apud Festum cum Aelio coniunctus fuerit, non iam liquet. Ceterum hoc quoque fragmentum luculentissimum est exemplum etymologiae '*per id, quod continet*' inuentae (p. 12): uicus enim, quod sobrios continet homines, et ipse sobrius appellatur.

Ad 36. Aelii explicationem nunc breuissimam olim longiorem fuisse puto: neque enim in tanta breuitate, quid uellet, potuit intellegi. Quid existimauerit Aelius, quodammodo assequimur ex alio Festi loco sane aliqua ex parte suppleto: p. 344ᵃ, 8 M.: '*[sontica] causa dicitur a morbo [sontico, propter quem, quod est g]erendum, agere [desistimus].*' Et magis loco Iul. 5 Dig. (D. XLII 1, 60): '*morbus sonticus etiam inuitis litigatoribus ac iudice diem differt.*' Putamus igitur Aelium dicere uoluisse, morbum sonticum esse certum quendam morbum h. e. de quo nemo potest dubitare ut ficticio uel simulato, quique iustam praebet excusandi causam. Idem etiam apparet e Gellii loco N. A. XVI 4, 4: '*concipiebatur iusiurandum, ut adessent, his additis exceptionibus: "nisi harunce quae causa erit: funus familiare .... morbus sonticus".*' — Praeterea conferantur de hoc uerbo Paulus s. u. insons. p. 111 M. et Curtius, Grundzüge[4] p. 207. Ceteros ueterum scriptorum locos collegit M. Voigt XII tab. I, p. 542 adn. 24.

Ad 37. Aelii Stilonis uerba spectare uidentur ad locum illum Afranii, quem Festus laudat. Vix tamen propter uerbum '*tamne*' Aelius hunc uersum in libro suo interpretatus est, sed fortasse propter '*arcula*' uel '*aranea*'. '*Tamne*' bene potuit interpretari '*eo usque*': est enim compositum ex '*tam*' et '*-ne*' particula interrogatiua. De uersu cf. Ribb. Scaen. Rom. poes. fragm. II p. 217.

Ad 38. Verba quae Varro addit '*itaque tera in augurum libris scripta cum R uno*' fortasse et ipsa e Stilonis libro petita sunt. Certe ille quidem, cum etymologiam inueniret, ad augurum libros respexit. Etiam quae sequuntur apud Varronem de '*territorium, tritura, triuolum*', fortasse ad Stilonem redeunt, etsi id

demonstrari non potest. Summa autem cum ueritatis specie ad eum referri posse puto, quae Varro sub finem paragraphi 22 dicit: '*poetae appellarunt summa terrae, quae sola teri possunt, sola terrae.*' De quibus cf. fragm. dub. auct. 9. Isidorus Aelii explicationem repetit orig. XIV 1, 1: '*terra dicta a superiori parte qua teritur.*'

Ad 39. Stilonis uerba sine dubio ad Ennium pertinent, cui eum operam dedisse etiam Gell. XII 4, 5 testis est. Ex hoc fragmento elucet Aelium ad rariorum uocum uim eruendam etiam dialectos[1]) quas nos dicimus adiisse. Cf. frg. 4 et 14 cum adn.

Ad 40. Quaeritur, unde Gellius Aelii nomen sumpserit: neque enim eo Varronis de l. L. loco, quo de septentrionibus agitur, VII 74, eius nomen exstat, neque Verrii loco simillimo (p. 339 M). Restat igitur, ut Aelium ipsum a Gellio inspectum esse statuamus, quod tamen falsum esse dicit Kretzschmerus in dissertationis, quam scripsit de A. Gellii fontibus (Posnaniae 1860) p. 41 et 48. Cui homini docto, Gellii dicendi scribendique consuetudinis sine dubio peritissimo, quin credamus facere uix poterimus. Sed ut ea quae ille dicit et quae nos sentimus, melius possint perspici, opus est, ut Gellii Varronis Festi locos inter se conferamus:

Gellius.	Varro.	Festus.
Sed ego quidem cum L. Aelio et M. Varrone sentio, qui 'triones' rustico cetera uocabulo boues appellatos scribunt quasi quosdam terriones, hoc est arandae colendaeque terrae idoneos. Itaque hoc sidus, quod a figura posituraque ipsa, quia simile plaustri uideatur, antiqui Graecorum ἅμαξαν dixerunt, nostri quoque ueteres a bubus iunctis 'septentriones' appellarunt, id est septem stellis, ex quibus quasi iuncti 'triones' figu-	*Has septem stellas Graeci ut Omerus uocant ἅμαξαν et propinquum eius signum βοώτην, nostri eas septem stellas triones et temonem et prope eas axem; triones enim et boues appellantur a bubulcis etiam nunc maxime cum arant terram; e quis ut dicti ualentes glebarii qui facile proscindunt glebas, sic omnes, qui terram arabant a terra terriones unde triones ut dicerentur de tritu. . . . . . Possunt triones dicti,*	*[Septentriones] septem stellae appell[antur, ut duae sint pro bu]bus iunctis, quos trio[nes a terra rustici] appellent, quod iun[cti simul terram arent] quasi terriones. [Reliquos axem dixerunt] quod id astrum Grae[ci ἅμαξαν dicunt, idque habet] partem quan[dam temonis specie. Vnde ait] Ennius: 'Supera[t temo stellas.' Sed] et physici eum situm [septem stellarum] contemp [lati septentriones dici] aiunt,*

1) Cf. Iordan, Krit. Beitr. z. Gesch. d. lat. Spr. p. 129.

Gellius.	Varro.	Festus.
rantur. Praeter hanc, inquit, opinionem id quoque Varro addit, dubitare sese, an propterea magis hae septem stellae 'triones' appellatae sint, quia ita sunt sitae, ut ternae stellae proximae quaeque inter sese faciant 'trigona', id est triquetras figuras.	*septem quod ita sitae stellae, ut ternae trigona faciant aliquem.*	*quod ita sunt [septem stellae sitae] ut ternae proximae [quaeque efficiant tria] trigona.*

Videmus igitur tres illos locos in uniuersum ita inter se consentire, ut Gellium unum alterumue uel utrumque adhibuisse statuendum sit. Et cum Varronem se secutum esse ipse dicat, Kretzschmerus p. 48 huic eum se ita applicasse censet, ut alterum quendam de septentrionibus locum nobis amissum, ubi eadem fere, quae hoc loco, Aelio tamen commemorato, Varro disputauerat, libro suo adscriberet. Quae sententia etsi summam prae se fert ueritatis speciem, nescio tamen an aliud possit non minus bene statui. Nonnulla enim apud Gellium inueniuntur, quae ille communia habet cum Verrio, non cum Varrone. Sic Gellius et Festus habent '*bubus iunctis*', quod apud Varronem deest, Gellius et Festus '*ternae proximae*', Varro '*ternae*'. (Quam congruentiam Kretzschmerus iam uidit, sed ita explicauit, ut Verrium quoque locum illum Varronis amissum exscripsisse statueret, cum Verrius, ubi Aelii sententiam affert, quantum quidem nos cognouimus, eum semper ipsum inspexerit.) Itaque Gellius fortasse Verrium magis secutus est quam Varronem; tamen ne apud Festum quidem Aelii mentio exstat. Sed habemusne integrum Festum? An non ipse hic locus, quo de septentrionibus agitur, mutilatus et uirorum doctorum acumine suppletus est? Neminem igitur puto demonstrare posse apud Festum Aelii Stilonis mentionem hoc loco non exstitisse, praesertim cum auctoris alicuius sententiam a Festo referri ipsa eius uerba '*quos triones appellent*' adhibito coniunctiuo ostendant. Neque quidquam obstat, quominus initium huius loci sic suppleamus:

„*[Septentriones] septem stellae appell[antur; ut Aelius dicit, a bu]bus iunctis, quos trio[nes a terra rustici] appellent,*' quod supplementum una tantum littera Muelleri supplementum superat.

Accedit quod ea, quae Muellerus proximo uersu coniecit: '*reliquos axem dixerunt*', quibusque prius eius supplementum '*ut duae sint*' etc., quodammodo stabilitur, falsa esse M. Voigtius Mus. Rhen. 24 p. 333 euicit. Et haec uerba '*reliquos*' etc. si falsa sunt, etiam '*ut duae sint*' etc. cadere uel certe non iam necessaria esse apparet. (Etsi M. Voigtius ea recte esse suppleta putat.) Itaque meo iure Aelium apud Festum posse restituere mihi uideor. Sed licet omissum fuerit etiam in integra Festi epitome nomen Aelii, tamen apud Verrium id exstitisse mihi concedes. Ex Verrii igitur opere, quod inscribitur de uerborum significatu quodque se inspexisse Gellius ipse V 17, 1 et V 18, 2 testis est, Aelii mentionem hausit noctium Atticarum compilator, cetera quae de trionibus et septentrionibus dicit, et ex Verrio et ex Varronis loco supra laudato transcribere potuit, sed Verrium ab eo esse expilatum, ut iam dixi, magis credam. Solum exitum loci Gelliani '*Varro addit, dubitare sese an propterea magis ... triones appellatae sint*' etc. multo uerisimilius ad Varronem referendum esse quam ad Verrium praeter nomen Varronis laudatum etiam uerbum '*dubitare*' ostendit, quod mirum quantum concinit cum Varronis uerbis VII 75: '*possunt triones dicti*' etc. — Aelii ueriloquium redit apud Isidorum orig. III 71, 7: '*triones proprie sunt boues aratorii, dicti eo, quod terram terant quasi teriones.*' Inuentum autem est '*per effectum*' (cf. p. 12 et 13): boum enim effectus est terrae aratio, sicut putei potatio, quam ob rem terriones et postea triones appellati sunt.

Ad 41. Cf. Plin. H. N. IX 112. Isid. orig. XVI 10, 1.

Ad 42. Aelii uerba ad locum Plauti a Festo citatum spectare manifesto apparet. Notauit hoc uerbum fortasse propter passiuam significationem, de qua conferantur Quintilianus (Inst. or. IX 3, 7) et Seruius (ad Aen. I 194); quamquam quae de ea disseruit Aelius, interierunt. — Ceterum hoc fragmentum quod in altera litterae u parte exstat, quae fortasse non ab ipso Verrio edita est, ad Festum mihi uidetur referendum, quem Aelii mentionem e Varronis libro aliquo sumpsisse docet Varronis nomen Aelii nomini succedens.

Ad 43. Aelii ueriloquium nunquam repetitum inueni.

Ad 44. Aelii ueriloquium praeterea seruatum est apud Quintilianum (Inst. or. I 6, 33): '*uulpes uolipes*' et apud Caprum (de uerbis dubiis, Gr. L. VII p. 112, 4). Alia exstat apud Isidorum addita mira quadam interpretatione, quam uno loco excepto, quem infra adscribemus, nusquam inueni repetitam: dicit enim orig. XII 2, 29: '*uulpes dicta quasi uolupes. Est enim uolubilis pedibus, et numquam rectis itineribus, sed tortuosis anfractibus currit.*'

Eadem fere exstant in codicis Bernensis 83 quaestionibus grammaticis, quas Hagenus in supplemento edidit, cuius p. 180, 2 scriptum est: '*uulpes pro uolpes, eo quod sit uolubilis pedibus.*'

2. Ad fragmenta dubiae auctoritatis.

Ad 1. Hanc etymologiam Stiloni uindicauit Lerschius, phil. ling. III p. 147 sq. Et sine dubio recte. Nam cum '*lepus leuipes*' et '*uulpes uolipes*' Stilonis sint, etiam etymologia huius uerbi, quam Quintilianus coniuncte cum illis commemorat, ad eundem uidetur referenda. — Alia huius uerbi ueriloquia praebent Seru. ad Aen. I 39 et VI 1 et Priscian. Part. XII = Gr. L. III p. 482, 21.

Ad 2. Hanc explicationem, quacum conferantur quae apud Paulum p. 71 M. exstant: '*dium antiqui ex Graeco appellabant, ut a deo ortum et diurnum sub coelo lumen, ἀπὸ τοῦ Διός*'[1]), Stilonis esse iam Muellerus in adnotatione ad hunc Pauli locum suspicatus est eam ob causam, quod bene concinit cum Stilonis explicatione nominis Dius Fidius, quam Varro de l. Lat. V 66 seruauit (fragm. 15). Accedit, quod etiam apud Paulum heros quidam commemoratur nomine Dius, a Ioue genus ducens, cuius nomen e '*Dius Fidius*' corruptum esse Scaliger suspicatus est. Itaque rectissime Muellerum arbitror censuisse.

Ad 3. Hunc Plinii locum eam ob rem ad Aelium puto referendum esse, quod in indice huius libri L. Aelius inter auctores nominatur, neque ullus in hoc libro exstat locus alius, qui melius ad Stilonis doctrinam quadret. Cui tamen hoc obstare uidetur, quod apud Macrobium (Sat. III 18, 3) Gauius Bassus eiusdem ueriloquii auctor nominatur. Sed cum ille in Plinii indice non commemoretur — ut Plinium ab eo id ueriloquium petiuisse non uerisimile sit — tamen de Stilone auctore cogito, a quo Gauius fortasse sententiam illam sumpsit, id quod etiam uerisimilius fit Varronis loco de ling. Lat. V 102: unde idem ueriloquium iam ante Gauium Bassum exstitisse apparet. Praeterea haec etymologia simillima est eius, quam Stilo proposuit nominis *Dius Fidius*, et insuper Cloatius, qui apud Festum saepissime cum Stilone consentit, eandem uerbi *iuglandis* apud Macr. Sat. III 18, 4 proponit etymologiam. — Praeterea idem exstat apud Seruium ad Buc. VIII 29 et apud Isidorum orig. XVII 7, 21.

Ad 4. Haec tria ueriloquia cum Lerschio, phil. ling. III p. 149 ad Stilonem redire uideantur, his fragmentis inserui. Nam Lerschii

1) Cf. etiam Acro in Hor. carm. I 34, 5. III 2, 29.

sententia et eo firmatur, quod tria alia Stilonis ueriloquia apud Quintilianum his etymologiis antecedunt, et eo, quod '*ludus*' uerbi etymologia cum alia sine dubio Aeliana coniuncta exstat apud Paulum p. 122 M. s. u. Miles. Praeterea Stilonem antiphrasis rationi fauisse etiam aliunde apparet. Cf. p. 13.

Ad 5. Hoc fragmentum arctissime cohaeret cum fragm. cert. quinto. Atque Festi loco post '*Cloatius etiam*' nomen aliquod excidisse apparet cum ex uerbo '*aiunt*', quod uix potest aliter intellegi atque de Cloatio, tum e uerbis deinde apud Festum sequentibus '*idem Aelius*' etc., cf. fragm. 5, ubi '*idem*' nominatiuus singularis est generis masculini[1]), ut Aelium iam antea laudatum esse eluceat. Accedit quod saepius apud Festum Aelius Stilo et Cloatius inter se coniunguntur. Itaque Vrsini coniecturam rectissimam puto esse, quam ita tantum mutaui, ut pro '*Aelius*' ponerem '*Aelius Stilo*', quod saepius quam simplex nomen apud Festum occurrit. — Ceterum hoc fragmentum non ita accipiendum esse, quasi Cloatius et Aelius libros sacrorum composuerint, Muellerus in adn. ad hunc Festi locum rectissime monuit.[2]) Sacrorum enim libri indices continebant utensilium et donorum in templis collocatorum, et in his libris Cloatius et Aelius Stilo hoc uerbum inuenerunt. Cf. Seru. Dan. ad Aen. III 287. IX 406. Ecl. VII 31. — Apud reliquos ueterum scriptores neutra explicationum Aelianarum iterum occurrit.

Ad 6. Apud Festum post '*Aelius*' lacuna est, in qua cognomen illius Aelii et alius grammatici alicuius nomen uidetur exstitisse. Et Vrsinus quidem '*Gallus*' cognomen excidisse putauit, sine dubio quod noualem agrum quodammodo ad ius ciuile pertinere arbitrabatur. Sed cum postea Cincius commemoretur, malim cum Muellero et Hertzio[3]) de Aelio Stilone cogitare, quem uerba quaedam ex Graeco deriuare iam saepius uidimus. Cf. fragm. 3 et 6. Praeter Stilonem fortasse Cloatius[4]) intellegendus est, qui saepius apud Festum una cum eo laudatur (cf. p. 141. 193 M.), quemque librum scripsisse uerborum a Graecis tractorum Gellius[5]) et Macrobius[6]) testes sunt.

Ad 7. Hic Aelii auctoritas sola Muelleri coniectura nititur. Nam cum ante uerba '*agnas nouas uoluit intelligi*' nomen aliquod excidisse appareat cumque lemma petitum uideatur e carminibus Sa-

1) Corssenus orig. p. 73 sq. accusatiuum neutri putat esse, cui obstant sequentia uerba: '*eodem nomine*', quid enim esset: '*idem* (sc. *molucrum*) *eodem nomine uocatur, quod sub mola supponitur*'? 2) Cf. Heusd. p. 57. Lersch. III p. 167 sq. 3) De Luciis Cinciis p. 53. 4) Hertz l. c. 5) N. A. XVI 12, 1. 6) Sat. III 18, 4.

liaribus, docto illi Festi editori Aelii nomen inserendum uidebatur. Quod uerum esse etsi mihi quoque uidetur tamen demonstrari non potest.

Ad 8. Hoc fragmentum Stiloni uindicat Lobeckius in Act. soc. Graec. II p. 292 nulla alia re commotus nisi quod uerilоquium per contrarietatem inuentum est. Et potest sane a Stilone profectum esse, stabiliri tamen haec sententia non potest: quam qui sequitur quaecunque in litteris Romanis *ἀντιφράσεως* exstant exempla ad Stilonem referre potest, quod certe audacius esset. — Eandem ob causam Lobeckius eodem loco Stiloni uindicat uerbi '*aridum*' etymologiam, quam legimus apud Paulum p. 11 M.: '*aridum* ... *dicitur* ... *per contrariam significationem quod irrigari desierit. Nam ἀρδεύειν Graece irrigare est*'; de qua opinione quid sentiam, ex eis apparet quae modo exposui. Ac ne Lobeckius quidem pro certo illa duo ueriloquia Stiloni tribuit, sed antiphraseos ea uoluit esse exempla, quae ut nonnulla alia per contrarietatem inuenta ad eum redire possent.

Ad 9. Hanc etymologiam cum simillima sit eius, quam Stilo uerbi '*terra*' inuenit, eiusdem puto auctoris esse. Accedit quod etiam una cum ea commemoratur apud Varronem.

Ad 10. Hoc fragmentum a Schoellio ingeniosissime inuentum est, postquam Stilonis fragmentum aliquod hoc Festi loco latere iam Merkelius suspicatus est.[1]) In eo tamen me a Schoellio dissentire, quod ille ex commentario in XII tabulas hoc putat sumptum esse, ego ex libro illo etymologico, per se patet.

Ad 11. Hoc fragmentum Aelio Gallo uindicat Reitzenstein, Verrian. Forschgn. p. 82: simile enim id dicit esse alius eiusdem auctoris ap. Fest. p. 206 M. s. u. Petrarum seruati. Quod cum non iniuria dicat neque tamen prorsus mihi persuadeat, hoc fragmentum dubiis inserui.

Ad 12. Hoc fragmentum eam ob rem dubiis inserui, quia '*Aelius*' quod Festi editiones exhibent, in schedarum textu non exstat. In textu enim non solum interpretis, sed etiam explicationis pars quaedam intercidit. Quas lacunas cum ii, qui Festum ediderunt, sic expleuerint, ut explicationem ex Pauli uerbis — sine dubio recte — reficerent, pro nomine autem desiderato aut *Aelius* aut *Verrius* substituerent, iis fidem habendam puto, qui *Aelius* inseruerunt: neque enim usquam apud Festum legimus '*Verrius et alii complures*', neque usquam post Verrium ullus alius grammaticus laudatur, sed semper Verrii explicatio omnium quae afferuntur, ultima est.

1) Prol. in Ou. Fast. CV.

Ad 13—17. Haec fragmenta Reitzensteinius (l. l. p. 89 adn.) Stiloni uindicat propter similem glossam '*transdato*' (fr. dub. 10). Idem p. 91 etiam Festi glossas e carminibus Saliaribus desumptas (p. 205ᵃ, 10—26 et 290ᵃ, 26—32) e Stilonis commentario haustas putat.

Ad 18. Hoc fragmentum cum Reitzensteinio (l. l. p. 91) Aelianum uideatur, inter dubia recepi. Cf. de '*meltom*' Corssen, Philol. XX p. 734, qui hanc glossam scribit: '*meltom mellosum dicebant.*'

Ad 19. Hoc fragmentum idem Reitzenstein. p. 91 adn. propter commemoratam Lanuuinorum dialectum Stiloni putat uindicandum esse. De forma *riènes* cf. schol. Prisc. (Gr. L. suppl. p. CLXXV): '*rien testiculus, unde Plautus: glaber erat tamquam rien.*'

Ad 20. Hoc fragmentum utrum Gallo tribuendum sit an Stiloni, ualde est dubium. Vrsinus Stiloni attribuit, deinde uero Heimbachius[1]) propter similem explicationem uerborum *sacer* et *religiosus*[2]), quae sine dubio Galli est, hoc quoque fragmentum eidem uindicauit. Cui Heusdius (p. 79) et Muellerus assentiuntur. Nuper uero Reitzensteinius (p. 89) denuo de Stilone cogitauit, cum et antea Aurelius Opilius laudatus esset, quocum Gallus nunquam coniungeretur a Festo, et praecipue post Aelii nomen in codice Farnesino reliquiae exstarent litterae alicuius, quae non posset non fuisse S. Quorum argumentorum etsi prius non ita magni momenti est — minime enim pro certo habeo illud '*lius*' in '*Opilius Aurelius*' esse supplendum — alterum tamen me permouit, ut hoc fragmentum dubiis adscriberem.

Ad 21. Cf. Wilmanns., de Varr. libr. gramm. p. 21: 'Incertum est num (Gellius) utramque quam profert proloquii *συνημμένου* et *συμπεπλεγμένου* uersionem Varroni an fortasse alteram Aelio debuerit.' Quae cum Wilmannsius non improbabiliter mihi uideatur dicere, neque tamen utra explicatio Aelii sit, possit demonstrari, ego, cum Aelii liber sine dubio antiquissimus esset librorum latine scriptorum, quos Gellius hoc loco adhibuit, priorem utriusque uerbi Stiloni uindicaui explicationem.

3. Ad fragmenta spuria.

Ad 1. Non possum Schoellio adsentiri, qui XII tab. p. 32 eam ob causam, quod uerbum '*libripens*' in XII tabulis exstat, hanc explicationem Aelii Stilonis putat esse, praesertim cum in optimis libris '*melius*' exstet, in alio codice '*celius*', quod ad Gallum bene quadrat, in uulgata solum scriptura '*laelius*'. Itaque etsi Hertzium recte restituisse puto '*Aelius*' et quanquam, ubicunque apud scri-

1) De Aelio Gallo ICto p. 47. 2) Fest. p. 278ᵇ, 10—281ᵃ, 2 M.

ptores '*Aelius*' legitur, Stilonem intellegendum esse Schoellio in uniuersum concedo, tamen hic puto Gallum intellegendum[1]), quem ille VI. saeculi scriptor fortasse non iam disiunxit a Stilone, ita ut utrumque eodem nomine laudare minime uereretur. Cf. Huschke, Iurispr. antei[4]. p. 95.

Ad 2. Eggerus hoc fragmentum Aelio Stiloni uindicat et locum Varronis ita putat emendandum esse, ut pro '*Cornelius Stilo*' scribat '*L. Aelius Stilo*', pro '*Cornelius*', quod deinde sequitur, '*Aelius*'; Heusdius mauult de Cornelio Sisenna cogitare. Atque Eggeri suspicio ea de causa minus probari potest, quod Varro omnibus aliis locis, ubi magistrum laudat, solo nomine gentili utitur omissis et praenomine et cognomine.[2]) Heusdii sententia multo magis mihi arridet neque tamen ab omni parte placet. Itaque, ut meam quoque suspicionem profitear, de Caelio Antipatro cogitandum puto[3]), in cuius libro historico tale fragmentum bene potuit exstare. Nam cum eo ipso loco, de quo nunc agitur, codex Florentinus nos deficiat, fortasse paulo plus fidei uulgatae tribuendum est. Itaque si sumimus in Florentini fonte fuisse '*caelius*', is qui hoc in '*C. Aelius*' dissoluit, facile potuit adscribere '*Stilo*', ueri Stilonis memoria deceptus. Qui deinde apographum Laurentianum LI, 5 e Florentino descripsit, oculorum uel calami lapsu '*Cornelius*' substituit, qui uero codicem, quo B[4]) usus est, confecit, '*C. Aelius*' retinuit. Itaque '*Caelius*' puto restituendum esse. Quod eo imprimis firmatur, quod duobus Ciceronis locis (de orat. II 12, 54 et de leg. I 2, 6) Antipater eodem modo, quo apud Varronem, post Pisonem laudatur.

Reliqua quae Heusdius et Eggerus Stiloni uindicanda putant fragmenta ex Scauro et Prisciano petita, ubi pro Accio Aelium substituere uolunt, Ritschelii de L. Accio grammatico dissertatione[5]) ita refutata sunt, ut ne ascribere quidem ea operae pretium sit. Idem ualet de fragmento illo, quod Heusdius apud Festum p. 329 M. sibi uisus est detexisse, ubi pro '*Critolaus*' scribere uoluit '*Stilo Aelius*', quod, cum talis nominum eius collocatio nusquam occurrat, a Schoellio[6]) merito reiectum est.

1) Idem censet praeter Hertzium (in adn. ad hunc locum et Jen. allg. Lit.-Ztg. 1844, p. 728) Lachmannus (kl. Schr. zur classischen Philologie p. 249). 2) Cf. Hertz., Jen. allg. Lit.-Ztg. 1844, p. 728 et Jahrb. f. wiss. Kritik 1842, II, Nr. 100, p. 795 adn. 3) Osannus, Beitr. z. griech. u. röm. Litt. II p. 360 adn. 8 de Cornelio Epicado cogitat. 4) De hoc critico cf. L. Spengelii praef. in noua Varronis editione p. XVII. 5) Monum. epigr. tria III in Opusc. IV p. 142. 6) XII tab., p. 29 adn. 3.

Adnotationes ad testimonia.

Ad 18. '*Aeliana studia*', quae uerba Maduigius ingeniosissime restituit pro codicum lectione '*aliena studia*', utrum ad Stilonem pertineant ad an S. Aelium Paetum Catum, Tripertitorum auctorem — alii enim procul habendi sunt — magna est inter homines doctos dissensio. Nam Heusdius (p. 55), Orellius[1]), Henrichsenus[2]), Ellendtius[2]) de Aelio Stilone cogitauerunt, Hertzius[3]) contra et M. Voigt[4]) de S. Aelio. De quo etiam Sanio[5]) ita cogitat, ut ea credat studia intellegenda esse, quibus Varro in legendis Aelii Tripertitis operam dederit. Atque posse hoc loco de Aelii Cati Tripertitis cogitari nemo infitiabitur, inspectis praecipue eis, quae Voigtius l. c. doctissime de pontificum libris, legis actionibus, aliis rebus disputauit, et quibus hoc certe, quod Heusdius[6]) e loco illo Ciceronis collegerat, Aelium Stilonem de sacris rebus scripsisse, adeo labefactatum est atque euersum, ut neminem putem futurum, qui id denuo restituere et defendere uelit. Sed tamen quin ego quoque hoc loco Stilonem intellegendum putem facere non possum. — Atque omnia pendere ab loco illo Ciceronis recte et interpretando et explicando iam Voigtius uidit, qui eam ob rem, quod Cicero iam antea (§ 187) de grammaticis studiis locutus sit, hoc loco Stilonem, hominem grammaticum, intellegi posse negat. Sed totus locus spectandus est: quem Cicero eo scripsit consilio, ut explicaret, quaenam mira illa esset suauitas et delectatio, quae inesset in cognoscendo iure ciuili. In quo tria inesse dicit quae studio digna essent: antiquitatis effigiem scientiam ciuilem philosophiam; ut et antiquitatis studiosi et ciuilis scientiae cupidi et philosophi habeant quo delectentur. Antiquitatis autem studiosi sunt ii, quos '*Aeliana studia delectant*', unde haec studia antiquitatis esse studia apparet. Talia uero studia qui Crassi temporibus colebat, non S. Aelii imitabatur exemplum, qui tum ipse '*antiquus*' erat, sed Aelii Stilonis. Accedit, quod omnia illa, quae Cicero commemorat: ius ciuile, pontificum libri, XII tabulae, tunc temporis in iure qui dicitur Aeliano, quod ad S. Aelium sane redit, comprehensa erant, ut Ciceroni, si quidem ad S. Aelium respicere uoluit, non antiquitatis solum studiosorum, sed etiam scientiae ciuilis cupidorum et philosophorum studia, quae omnia uersabantur in iure illo Aeliano, Aeliana studia

1) Onomast. Tull. II p. 10. 2) In librorum de orat. edit. 3) Iahn., Annal. 1862 p. 45 adn. 2. 4) Aelius- u. Sabinus-System, Abh. d. sächs. Gesellschaft d. Wissensch. VII p. 324. 5) Varroniana p. 94. 6) p. 57.

nominanda essent. Itaque summa ego cum confidentia contendo Stilonem hoc loco intellegendum esse. Accedit, id quod Henrichsenus l. l. rectissime monuit, quod etiam uerbo '*haec*' apparet Crassum ad suae aetatis hominem spectare.

Ad 20. H. p. 77. E. p. 4 hunc Plinii locum inter Aelii Stilonis fragmenta rettulerunt, quod ego eam ob causam non feci, quod de Aelii sententia nihil nobis dicitur, nisi eandem eam fuisse quam Plinii. Praeterea quaesitum est, num omnino Aelius Stilo hic intellegendus esset. Heusdius enim codicum scripturam '*laelium*' in '*L. Aelium*' dissoluit: quod cum Ianus et Detlefsenus probent Ritschelius[1]) ita reiecit, ut Aelium Gallum intellegendum putaret, secutus codices episcopi Aleriensis. Quae Ritschelii sententia tamen nunc eo refellitur, quod codex rescriptus s. VI, quem Moneus in monasterio quodam Carinthico inuenit, eo indicis huius libri loco, qui huc spectat, '*L. Aelius*' exhibet, ut de Aelio Stilone hic intellegendo non iam possit dubitari. Cf. etiam Schoell. XII tab. p. 31.

Testimonia 21—22, quae H. et E. inter fragmenta rettulerunt, ego hic inserui, quod non sunt fragmenta, sed testimonia.

Ad 25. Locus hic Frontonis, quo nisus Lerschius (Museum d. Rhein.-Westphäl. Schulmännervereins III p. 237) Aelium suspicatus est recensiones fecisse orationum a Metello Numidico habitarum et fortasse Plautinarum fabularum atque Titianarum, etsi ualde mutilatus est, facile tamen ex tota huius epistulae indole sic et potest suppleri et est suppletus, ut Fronto dicat libros Catonis Ennii aliorum a Lampadione Staberio Aelio aliis descriptos esse.

Ad 26. Si uera est Reifferscheidii coniectura '*Aeliusque*', quin Stilo intellegendus sit, nemo potest dubitare. — '*Varro Sinnius*' dubitanter scripsi, quod hoc propius abest a codicis scriptura, quam '*Vargunteius Ennius*'. Praeterea Sinnium saepius apud antiquos una cum Aelio Stilone et Varrone nominari notum est.[2])

Restat, ut pauca quaedam, quae dum plagulae corriguntur, addenda uel corrigenda esse intellexi, subiungam. P. 7. De Metelli consulatu non Mommseni index erat commemorandus, sed Fastorum consularium locus qui exstat in C. I. L. uol. I p. 536. — P. 10. In Ciceronis Bruti loco legendum est: *Fuit is* (sc. *Aelius*). — P. 12. vs. 20—36. Augustini uerba non ueritus sum interdum in angustum contrahere, dummodo eadem sententia seruaretur: itaque cur-

1) Parerga p. 371/2. 2) Hertz., De Sinnio Capit. p. 15.

siuis litteris non recte usus sum. — P. 15. adn. 2. Magna Moralia quae Aristoteli tribui non sunt ab ipso Aristotele profecta: attamen quae in eis insunt ex illius philosophi doctrina uidentur fluxisse. — Eadem pagina cum diceremus in fragmentis 15 et 25 litterarum mutationes excusari, non respeximus eos locos, unde fragmenta illa sumpsimus, sed locos Pauli (p. 147 M.) et Marii Victorini (Gr. L. VI p. 26, 1—6), quos in adnotationibus ad illa duo fragmenta commemorauimus. — P. 27 adn. 2. *his* sched. corr. Vrs. adn. 4. *quod* apud Aldum et Vrsinum exstat, in Thewrewkii editione omissum est. — P. 28 adn. 1. *saliaribus* Ald. *saecular.* Vrs. ibidem adn. 2. *unde* M.' *et* Vrs. et Ald. ibidem adn. 3. *dicantur* Ald. *dicuntur* Vrs. ibidem adn. 5. *dici ait* Ald. *dicit* Vrs. *quaedam* Ald. *quae* Vrs., sed infra textum *quaedam*. — P. 30. adn. 3. *qui* Ald. et Vrs. *quam* cod. — P. 32. fr. 37. Codices schedarum Vat. R S teste Mommseno exhibent *tanne*. — P. 40. ad vs. 25. Etiam cod. Monac. exhibet *minitantur*. ad vs. 29. *appellant* Ald. *appellent* Vrs. — P. 47 ad 29. Heusdius non omnia Varronis uerba adscripsit, quibus ille Aelii sententiam referre uoluit, sed ea solum, quae sanam sententiam efficiunt. Vnde eum de corrupto illo loco tacere non mirum est. — Varronis uerba nunc a Luciano Muellero sic eduntur: *hanc deam Aelius putat esse Cererem; sed quod in asylum qui confugisset, panis daretur, esse nomen fictum a pane dando; et quod nunquam fanum talibus clauderetur, [dictum] pandere quod est aperire*. — Pro *hanc deam* Nettleship. l. c. proponit *Pandam deam*.

PLUTI ARISTOPHANEAE

UTRAM RECENSIONEM VETERES GRAMMATICI DIXERINT PRIOREM

SCRIPSIT

CAROLUS LUDWIG

Quam antiquis temporibus omnium Aristophanis fabularum maxime placuisse ideoque creberrime lectitatam esse Plutum fabulam constat cum ex eo qui olim huic comoediae in fabularum editionibus concessus fuit primo loco (cf. Schneider, de scholiorum Ar. fontibus) tum inde, quod nullius comoediae Aristophaneae ueterum commentatorum uberiora quam in hanc exstant scholia: ea nostra aetate quam parui existimari soleat, tam clarissimorum uirorum indicio sunt sententiae, quas collectas habes in C. F. Hermanni libello eo qui inscriptus est 'de Aristophanis Pluto priore', quam quod Roetscherus in libro illo satis amplo quem composuit 'de Aristophane eiusque aetate' Pluti fabulae ne mentionem quidem fecit.

Ab hac iudiciorum iniquitate profectus, quam cum ueterum existimatorum laude non congruere uidebat, nouissimis adeo temporibus Aemilius Brentano (Untersuchungen über das griechische Drama p. 109—142) huius maleuolentiae causae unde petendae essent, inuestigare indeque probare conatus est, quam nos legimus Plutum superstitem, eam ipsius Aristophanis fabulam eius nominis esse nec priorem nec posteriorem, sed a grammatico nescio quo Byzantino ineptissimo ex utraque ineptissime perturbatam conglutinatamque. Idem etiam Nubibus Auibus Vespis atque adeo ceteris omnibus fabulis Aristophaneis accidisse, ut est eloquentissimus hic uir doctus, blandissime demonstrare studuit.

Quae opinio quamquam a nullo ad id tempus quod sciam probata, tamen impugnata magis est quam refutata. Nam ut in annalium eorum, quibus nomen est 'Literarisches Centralblatt', uolumine anni 1872 p. 388 ne digna quidem haec sententia esse dicitur, quam quis refutet: ita ne Chr. Muffius quidem in 'indicibus philologicis' annorum 1872 et 1873, quamuis uehementer cum ea luctatus, totam eam prosternere potuit. Nec profecto prius prosternetur quam aut Aristotelis de tragoedia praecepta non etiam ad comoediam transferri posse argumentis probatum aut Byzantinos fabulas conglutinare propterea non potuisse demonstratum erit, quod unam tantum comoediam de eadem re conscriptam habuissent. Hoc

Hoc iam intellexit uir doctissimus, F. V. Fritzsche, qui in quaest. Aristoph. p. 187 de hac didascalia haec uerba fecit: 'Miror haec credidisse uiros doctos, in his ipsum Meinekium. Equidem potius censeo, alteros binos ex his quattuor Comicis cum Pluto I certasse (Ol. XCII 4 Diocle archonte), alteros uero binos cum Pluto II (Ol. XCVII 4 archonte Antipatro). Neque alteros ab alteris discernere magni laboris est.'

Haud mediocriter huic sententiae fauet C. F. Hermannus (Ges. Abh. p. 40, adn. 4), qui etiam omni dubitationi eam exemptam esse arbitratur, et Meinekius, qui hist. crit. p. 245 de ea sic iudicauit: 'Vera haec puto, quamquam exempla quinque fabularum simul in certamen commissarum satis certa habemus in monumento didascalico apud Boeckhium C. I. G. I 231' atque paullo ante p. 211 etiam nouum huic sententiae praesidium addidit, inde, quod in tanta uitae longinquitate Aristomenem (docuit iam Ol. 88, 4 = 425/4) quinque tantum fabulas scripsisse permirum est, 'Admeti' commissionem ad Pluti editionem primam spectare concludens.

Sed licet simillima sit ueri haec sententia — neque enim ego eam prorsus propulsauerim — tamen postquam ex Koehleri commentationibus receptis in annalium eorum, qui uocantur 'Mitteilungen des deutschen archaeologischen Instituts in Athen' uol. III reuera quarto a. Chr. saeculo quinque simul comoedias in scenam commissas esse apparuit, neminem iam, mihi crede! inuenirem mihi assentientem, si Fritzschii opinionem amplecterer indeque didascaliam scholiis praemissam minime idoneam esse efficerem, qua ea, quam de altera Pluto Alexandrinorum temporibus iam deperdita supra confirmauimus, ratio refelleretur; quamquam

inter titulos a Koehlero publici iuris factos nulla exstat inscriptio, ex qua iam ante Plutum Aristophaneam doctam quinque simul fabulas in scenam commissas esse manifestum sit, tamen nemo esset, quin, quoniam postea quinque fabulas doctas esse constaret, id cur non iam ante 388 factum esse statueretur, intellegere se negaret.

§. 23. Aliam igitur uiam ingrediamur opus est, qua progredientes hanc didascaliam ad Alexandrinorum de Pluto opinionem cognoscendam pretii omnino nullius esse intellegemus. Ad quod demonstrandum aliquamdiu ad Nubium et Pacis didascalias examinandas digrediamur.

I. Atque ut primum de Nubium didascalia iudicium faciam, ex schol. 520: *διπλῆ εἴσθεσις εἰς τὴν παράβασιν. οὐχ ἡ αὐτὴ δέ ἐστιν οὐδὲ τοῦ αὐτοῦ μέτρου τῇ ἐν ταῖς Νεφέλαις πρώταις.*

schol. 524: *τοῦτο ἐπὶ τῶν προτέρων Νεφελῶν.*

schol. 543: *ἐν δὲ ταῖς πρώταις Νεφέλαις τοῦτο οὐ πεποίηκε.*

schol. 580: *ἐκ τῶν πρώτων δὲ Νεφελῶν ἐστι ταῦτα.*

schol. 591: *ταῦτα δὲ ἀπὸ τῶν προτέρων Νεφελῶν. τότε γὰρ ἔζη ὁ Κλέων, ἐπὶ δὲ τούτων τέθνηκε.*

schol. 624: *παρ' ἱστορίαν δὲ εἶπεν τὸ τῆτες· οὐδεὶς γὰρ ἱστορεῖ ἐν ἐκείνῳ τῷ ἔτει ἱερομνήμονα εἶναι Ὑπέρβολον, ἐν ᾧ αἱ Νεφέλαι ἐδιδάχθησαν.*

luculentissime apparet ueteres interpretes Nubium fabulam non priorem, sed prioris *διασκευὴν* tractare sibi uisos esse, atque hanc opinionem iam inde ab Eratosthenis aetate percrebruisse facile demonstrari potest ex schol. u. 552.

Nihilominus scholiis praemissa est prioris fabulae didascalia: *αἱ πρῶται Νεφέλαι ἐδιδάχθησαν ἐν ἄστει ἐπὶ ἄρχοντος Ἰσάρχου, ὅτε Κρατῖνος μὲν ἐνίκα Πυτίνῃ, Ἀμειψίας δὲ Κόννῳ*; ea enim, quae sequuntur, in quibus etiam alterarum Nubium mentio fit his uerbis: *αἱ δὲ δεύτεραι Νεφέλαι ἐπὶ Ἀμεινίου ἄρχοντος*, ab homine nescio quo stupido et hariolante excogitata esse non ideo solum statuendum est, quod alteras Nubes in scenam omnino non commissas esse iam pridem inter uiros doctos constat, sed ea quoque de causa, quod alterarum Nubium didascaliam omnino nullam exstitisse apparet ex schol. 549: *ἐπεὶ οὐ φέρονται αἱ διδασκαλίαι τῶν δευτέρων Νεφελῶν.* Secundam igitur argumenti V partem, quamuis inuito Brentanone p. 31 sqq., spuriam esse arbitror; fluxit fortasse ex scholiastae ad u. 31 nugis.

Iam uide, quo peruenerimus: Alexandrini Nubium fabulae non

integram priorem recensionem, sed retractationem se habere opinabantur: tamen priorum Nubium didascalia fabulae est praefixa.

II. Eandem inter scholia et didascaliam discrepantiam intercedere arbitror Pacis fabulae.

1. Vtram recensionem ueteres grammatici manibus terere sibi uisi sint, luculentissime, nisi omnia me fallunt, apparet ex argumento Pacis tertio, ubi haec disputata sunt: *Φέρεται ἐν ταῖς διδασκαλίαις δεδιδαχὼς Εἰρήνην ὁμωνύμως ὁ Ἀριστοφάνης. ἄδηλον οὖν, φησὶν Ἐρατοσθένης, πότερον τὴν αὐτὴν ἀνεδίδαξεν, ἢ ἑτέραν καθῆκεν, ἥτις οὐ σώζεται.* De his enim uerbis I. Richterum, quem in aliis rebus multis a uero mirum quantum aberrasse arbitror, unus omnium, assentiente Braeuningio, über Aristoph. Frieden p. 4, recte iudicasse persuasum habeo, inde Eratosthenem fabulam superstitem priorem esse colligentem censuisse. Cur hanc conclusionem Zielinski, 'Gliederung' p. 63 e libidine factam ('willkürlich') esse putet, ego satis mirari non possum; si is nullum aliud ante oculos habuit argumentum, quam quod in annotatione posuit, certissime errauit. Nam cum uerba supra exscripta ita germanice interpretatus est: 'es ist unklar, ob Ar. dasselbe Stück zweimal aufgeführt, oder ein [vom erhaltenen Stücke] verschiedenes, das verloren gegangen ist, auf die Bühne gebracht hat', non uidit uir doctus uerbo, quod est *ἀναδιδάσκειν*, non idem significari, quod in phrasi 'zweimal aufführen' uel 'bis docere' inest, sed eandem contineri notionem atque locutione ea quae est: 'iterum docere', i. e. in secunda commissione eandem fabulam integram docere atque in prima. Cf. Richter p. 9. Itaque in hunc fere modum uertenda sunt illa uerba: 'incertum est, utrum in secunda commissione eandem fabulam iterum docuerit atque in prima (commissione) an (in secunda commissione) aliam (atque in prima) fabulam ediderit, quae deperdita est.' Si quis haec etiam ita dicta esse putabit, ut de Eratosthenis sententia nihil eluceat, id putare non poterit nisi Eratosthenis uerba etiam in hunc modum accipi posse statuerit: 'incertum est, utrum in prima commissione eandem fabulam docuerit (*ἀνεδίδαξεν*!) atque in secunda an (in prima scilicet commissione) aliam ediderit.' Haec autem si fieri possunt, equidem me omnino nihil sapere confiteor.

2. Quoquo igitur te uerteris, semper eo redibis, ut Eratosthenem primam Pacem legere sibi uisum esse cum Richtero ac Braeuningio statuas. Nunc quaerendum est, eandemne sententiam sequantur etiam scholiastae. Quorum sententiam ut cognoscamus, plurimum interest, quid iudicandum sit de scholio ad u. 990 hoc: 'Hic in

margine χ signum appositum est, quod quae dicit Aristophanes, ea cum temporum ratione non congruunt. Ipse quoque Aristophanes in Acharnensibus sex belli annos circumactos esse dicit. Sed ⟨concedendum est annorum numeros saepe uariare; exempli gratia⟩ etiam Philochorus inde a Pythodoro, quo archonte bellum geri coeptum esse uidetur, usque ad Isarchum tredecim annos circumactos esse narrat. Rursus Thucydides, qui in rebus narrandis hiemum et aestatum ordinem sequitur, ne ipse quidem ad hunc, quem Aristophanes dixit, numerum tredecim annorum peruenit, sed in nono iam anno consistit. Quae cum ita sint, Aristophanem belli prolusionem modo pro pace, modo pro bello numerasse dicendum est.'

Offendit igitur scholiasta eo, quod Aristophanes inde ab initio belli usque ad fabulae commissionem tredecim annos praeteriisse dixerit, i. e. numerum multo maiorem posuerit, atque, ut Aristophanem hoc loco falso numerasse arguat, poetam ipsum usque ad Acharnenses sex tantum annos numerasse demonstrat. Hoc autem loco certissime lacunam esse uel dicam scholiorum collectorem in excerpendo aliquid omisisse apertum est; quod enim Aristophanes ipse usque ad Acharnenses sex tantum numerauit annos, id per se non idoneum est ad numerum in 'Pace' propositum refellendum, nisi, quot anni inter Acharnenses et Pacem intercesserint, addideris. Ac tale quid reuera in genuino scholio exstitisse ex altero ad hunc locum scholio elucet, ubi est: *ἀπὸ δὲ τῆς τῶν Ἀχαρνέων διδασκαλίας γʹ ἔτη εἰσίν*. Sex autem et tres annos si computauerimus, ad eundem peruenimus numerum, quem ex Thucydide scholiasta protulit nouem annos numerante. Hac autem computatione nihil probari exemplo demonstrat ex Philochori libris desumpto, quo non poetas solum, sed historicos quoque de numeris errare manifestum sit.[1])

Atque huc usque omnia bene se habent. Sed si nunc scholiastae rationem examinare et numerare coeperimus inde a Pythodoro incipientes usque ad Alcaeum (cf. didascalia) descendentes, summis implicamur difficultatibus; neque enim nouem, sed decem anni efficientur.

'Fortasse igitur non a Pythodoro, sed ab Euthydemo nume-

1) Sed Philochorum reuera talem errorem non commisisse luce clarius est, et facillime eum huius accusationis liberabis, si pro *Πυθοδώρου* in integro Philochori contextu *Θεοδώρου* scriptum fuisse, sed huius nomen iam ante scholiastae tempora in *Πυθοδώρου* deprauatum esse statueris. Cf. Palmerii ad schol. pac. 605 adnotatio, ubi eadem eorundem nominum confusio est.

randi initium faciendum est.' Sed Thucydides, cuius auctoritate nititur scholiasta, a Pythodoro (uid. II 2, 1), non ab Euthydemo belli annos numerare coepit; praeterea etiam in scholio insequenti inde a Pythodoro numerandi initium captum est: *ἀπὸ γαρ Πυθοδώρου μέχρι Ἀλκαίου θ' ἔτη*. Huc accedit, quod Thucydides ad finem hiemis 423/2 lib. IV c. 135 adnotauit: *καὶ ὁ χειμὼν ἐτελεύτα, καὶ ἔνατον ἔτος τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα τῷδε ὃν Θουκυδίδης ξυνέγραψεν*, contra secundum didascaliam Pacis fabula docta est Alcaeo archonte i. e. anno 422/1.

Hae autem difficultates etiam augentur, si scholium insequens adhibuerimus. Hic enim non solum inde a Pythodoro usque ad Alcaeum numerandum esse disertis uerbis exponitur, sed ne hic quidem decem, sed nouem tantum anni computantur. Deinde nouus accedit numerandi error, cum inde ab Acharnensibus Euthyno archonte docta usque ad Pacem tres tantum anni numerentur, desiderentur autem quattuor.

Quid igitur statuendumst? Scholiastam uel scholiastae auctorem inter numerandum lapsum esse? At tot in hoc scholio insunt errores, ut hoc ne credibile quidem sit. An scholii uerba corrigenda putamus? At tum tribus locis mutandum est, ut ne huc quidem confugere liceat. Mea quidem opinione nihil relinquitur nisi ut scholiastae rationem et didascaliae memoriam non ad eandem Pacis editionem, sed illius ad priorem, huius ad posteriorem referamus, quo statuto omnia bene se habebunt uno excepto loco. Sed ibi aliquid falsum esse adeo in propatulo est, ut textum correxisse ne mutatio quidem nominari possit. In altero enim scholio expungenda esse persuasum habeo uerba quae sunt: *μέχρι Ἀλκαίου*, ita ut legendum sit: *ἀπὸ γὰρ Πυθοδώρου [μέχρι Ἀλκαίου] θ' ἔτη* et a librario sequiore desiderante, ut ita dicam, 'terminum ad quem' huius archontis nomen insertum esse putemus, didascaliae ratione habita. Ne enim pro *θ'* facilius *ι'* scribendum esse putes, prohibemur cum eo, qui e Thucydide prolatus est numero, tum eo, quod usque ad Acharnenses sex annos praeteriisse bis dicitur et inter Acharnenses Pacemque tres annos intercessisse commemoratur, quibus computatis non *ι'*, sed *θ'* numerus euadit.

Quae cum ita sint, etiam huius scholii auctorem item atque Eratosthenem non posteriorem, sed priorem Pacis editionem tractare sibi uisum esse statuendum est. Et uide nunc etiam id, quam egregie hoc scholio confirmetur Droyseni sententia, qui iam pridem priorem Pacis editionem ad Aminiae anni, i. e. Ol. 89, 2 = 423/2 Dionysia magna rettulerat.

3. 'At certissime haec de Eratosthenis et scholiastae u. 990 sententiis disputatio refellitur scholio u. 48, ubi Cleonem ante fabulae commissionem non solum mortuum esse, sed etiam ex Eratosthenis ratione octo mensibus ante occidisse narratur. Cleonis igitur mors, si inde a Dionysiis menses retro numeramus, ad initium anni Graecorum referenda est; quoniam autem Thucydides eum aestate anni 422 occidisse V c. 10 narrat, Cleon mortuus esse putandus erit initio Ol. 89, 3 = 422/1, octo igitur mensibus ante eam Pacis recensionem, quae docta est Alcaeo archonte. Inde scholii u. 990 interpretationem supra propositam abiciendam esse consequitur.' Sed uidetur tantum abicienda esse, non est. Quid enim? si Eratosthenes Cleonem iam anno 423/2 occidisse putauit? Tune hoc nullo modo demonstrari posse arbitraris? At diserte traditum est in schol. nub. 549: *ὁ Κλέων ἀποθνήσκει ἐπὶ Ἀμεινίου*, i. e. anno 423/2, eamque memoriam usque ad Eratosthenis aetatem pertinere concludere licet ex schol. nub. 552 cum illo fere coniuncto; anno autem 422/1 Cleonem mortuum esse illic Androtionem solum putasse ita narratur, ut, illiusne opinio rectior sit, minime dicatur. Itaque quod scholium ad interpretationem nostram scholii 990 refellendam adhiberi posse uidebatur, id ad stabiliendam potius idoneum esse eluxit.

4. Similis est condicio schol. pac. 466, quod item primo quidem obtutu ad interpretationem nostram reprobandam adhiberi posse uidetur, sed si accuratius rem consideraueris, scholiastam nescientem, cur Boeoti Megarenses Argiui segniter trahere dicantur, itaque historicorum libros peruoluentem concedes eum descripsisse locum, qui primus ei occurrerit scrutanti. Id enim solum egit, ut locum aliquem inueniret, quo illorum segnitia explicaretur; apud Philochorum talem inuenit, sed qui ad annum insequentem pertineret; hoc ipse intellexit, itaque, qua erat diligentia, expresse archontis annum addidit, ne quis ea, quae exscripserat, ad eundem, quo prior fabula docta est, annum referret. 'Dissimilemne ueri hanc interpretationem dicis et res ex posteriore anno ad hunc locum afferri potuisse negas?' Sed quid? ex rebus anni insequentis nonne conclusio fieri potuit de rebus anni proximi? Ac uide ne tum quidem, si scholii auctorem posteriorem Pacis editionem tractare sibi uisum esse statuas, scholii uerba ad idem, quo fabula docta est, tempus pertinere, sed etiam tum ad id, quod insecutum est. Quae enim in scholio commemorantur, quinquaginta annorum indutiae, eae post Dionysia demum, i. e. post Pacem doctam initae sunt ex Thucydidis V 20 uerbis his: *αὗται αἱ σπονδαὶ ἐγένοντο*

τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος ἅμα ἦρι, ἐκ Διονυσίων εὐθὺς τῶν ἀστικῶν. Cf. Mommsen, Heortolog. p. 390.

De scholiis pac. 270, 353, 648, 681 ex eis, quae supra explanata sunt, accuratius disserere non iam operae pretium est.

5. His omnibus de causis iam haud cunctanter contendere audeo ueteres grammaticos eam Pacis recensionem interpretari sibi uisos esse, quae edita est Ol. 89, 2 archonte Aminia = anni a. Chr. 423/2 Dionysiis magnis. Didascalia uero in argumento primo memoriae prodita: *ἐνίκησε δὲ τῷ δράματι ὁ ποιητὴς ἐπὶ ἄρχοντος Ἀλκαίου ἐν ἄστει* ad eam Pacis editionem pertinet, quae insequenti anno scenae commissa est.

III. Dolendum est, quod Thesmophoriazusarum didascalia intercidit, quam inter et scholia fortasse eandem rationem intercedere inuenissemus. Sed etiam ea, quae adhuc disputata sunt, sufficere, immo abundare arbitror ad iudicium de Pluti didascalia faciendum. Rebus enim sic se habentibus quis porro Pluti didascaliae patrocinium subibit? quis inde ueterum grammaticorum de Pluto sententias cognoscere studebit? quis denique ea ad rationem nostram utetur refellendam, qua adducti Alexandrinis alteram tantum Plutum fuisse eamque priorem recensionem uisam esse statuimus?

Caput VI.

De Athenaei lib. IX p. 368 D.

Deinceps secundum eum, quem proposueram, ordinem Athenaei uerba qualia sint, uideamus. Is postquam de uocibus, quae sunt *σίναπυ* et *νᾶπυ*, uerba fecit, p. 368 D sic dicere pergit: *καὶ κωλῆνα δὲ λέγουσι καὶ κωλῆν· Εὔπολις Αὐτολύκῳ ... Εὐριπίδης Σκίρωνι . . . ἀπὸ δὲ τοῦ κωλέα συνῃρημένον ἐστὶν ὡς συκέα συκῆ, λεοντέα λεοντῆ, κωλέα κωλῆ. Ἀριστοφάνης Πλούτῳ δευτέρῳ·*

οἴμοι δὲ κωλῆς ἣν ἐγὼ κατήσθιον.

Exstat reuera uersus ab Athenaeo laudatus in ea, quae aetatem tulit, Pluti fabula; est enim u. 1128, e Mercurii Carionisque diuerbio desumptus. Ac profecto nihil in hac re commorandum esse uideretur, nisi supra grammaticos antiquos et Plutum superstitem quasi una uoce priorem esse clamasse et alteram tantum manibus uersasse cognossemus. Athenaei enim de Pluto secunda sententiam cum nostra ratione conciliari non posse nemo est, quin primo obtutu suspicetur; rursus autem ne hoc quidem cuiquam impro-

babile uidebitur, quoniam adhuc nullis argumentis nisi satis firmis nixi sumus, aliquam uiam non inueniri non posse, quam ingressi Athenaei locum cum scholiastarum opinione non pugnare intellegemus. Talis autem uia reuera exstare mihi uidetur.

§. 24. Atque primum Athenaei libros euoluamus et qui ex Pluto Aristophanea uersus ab eo laudati insunt, hos in uno quasi conspectu ponamus.

Lib. II p. 67 D: *Ἀριστοφάνης δὲ ἐν Πλούτῳ φησίν· ὄξει διέμενος Σφηττίῳ* (u. 720).

Lib. IV p. 170 D: *καὶ Ἀριστοφάνης Πλούτῳ· πρὸ τοῦ δ' ὑπὸ τῆς πενίας ἅπαντ' ἐπήσθιεν* (u. 1005).

Lib. VI p. 229 E: *Ἀρ. δὲ ὁ κωμῳδιοποιὸς . . . ἐν τῷ Πλούτῳ τῷ δράματι κατὰ τὴν τοῦ ὁμωνύμου θεοῦ ἐπιφάνειαν τοὺς ἰχθυηροὺς φησι πίνακας ἀργυροῦς ἀναφανῆναι, καθάπερ καὶ τὰ ἄλλα ἅπαντα, λέγων ὡδί* (u. 812—815).

ὀξὶς δὲ πᾶσα καὶ λοπάδιον καὶ χύτρα
χαλκῆ γέγονε· τοὺς δὲ πινακίσκους τοὺς σαπροὺς
τοὺς ἰχθυηροὺς ἀργυροῦς πάρεσθ' ὁρᾶν.
ὁ δ' ἰπνὸς γέγον' ⟨ἡμῖν⟩ ἐξαπίνης ἐλεφάντινος.

Lib. XIII p. 592 C/D: *ἐστὶν οὖν γυνὴ ἑταίρα Ναΐς ὄνομα, ἧς Ἀρχίας κύριός ἐστιν. ὁ δ' Ὑμέναιος ἐπιτήδειος, Φιλωνίδης δ' ἐρᾶν φησί. μνημονεύει αὐτῆς καὶ Ἀριστοφάνης ἐν τῷ Γηρυτάδῃ, μήποτε δὲ κἀν τῷ Πλούτῳ, ἐν ᾧ λέγει· 'ἐρᾷ δὲ Λαΐς οὐ διὰ σὲ Φιλωνίδου'. γραπτέον Ναΐς καὶ οὐ Λαΐς* (u. 179).

Attulit igitur Athenaeus ex Aristophanis Pluto quinque tantum locos eosque ita laudat, ut quater eos ex Aristophanis Pluto desumptos esse simpliciter dicat, utrum e priore an posteriore huius fabulae editione, in medio relinquens, semel tantum uersum Pluto posteriori ascribendum esse diserte indicet. Atque si Pluto secundae idem atque priori accidisset, ut intercideret, sed scholia mansissent, huic uersuum distributioni ab Athenaeo factae nemo esset, quin fidem haberet neque, si forte ei comicorum fragmenta colligenda ac disponenda essent, illos IV uersus scholiorum ratione habita inter prioris Pluti reliquias, hunc ad posteriorem referre dubitaret. Nunc uero optime contigit, quod Plutus II mansit ex eaque non solum omnes, quos Athenaeus attulit, uersus posteriori fabulae tribuendos esse docemur, uerum etiam in his rebus ne summam quidem diligentiam suspicionemque nimiam esse monemur. Itaque iam considerandum erit, quid inde concludamus, quod Aristophanis

uersus ab Athenaeo laudati, quamquam illi IV Pluto uniuerse, hic unus expresse posteriori fabulae adnumeratur, tamen omnes, et illi et hic, in eadem Pluti fabula exstant.

§. 25. Primo quidem obtutu simplicissima haec res uideatur facileque aliquis eo impellatur, ut hanc difficultatem eo dissolui opinetur, quod fortasse Athenaeus, ut ipse quidem alteram tantum Pluti editionem habuerit, itaque ceterorum de Pluto errorem animaduertere non potuerit, ita illo uno loco non ipse Plutum inspexerit, sed quem affert uersum Aristophaneum ex alio scriptore, cui duae Pluti recensiones ad manum fuerint, descripserit. Sed uide, ne dum hac explicatione proposita omnem difficultatem putas facillime esse amotam, in aliam nouam incurreris *ἀπορίαν*. Nam ut parum credibilem hanc explicationem mihi propterea uideri praetermittam, quod Athenaeum etiam eos scriptores, quibus nomen 'fontibus indirectis' imponimus, plerumque accurate nominare solitum esse animaduerti (ut 479 C, 366 E, 387 E, 343 F, 414 F, 267 B/C, 425 C, 297 E, 174 C, 77 A etc. etc.); ne praeterea commemorem, quam sit ueri dissimile, si Athenaeum hoc uno loco non ex ipsa Pluto, sed ex alio scriptore uersum prompsisse statuas, cum ceteris locis ipse fabulam inspexerit; ne exponam, quanto etiam magis a ueri similitudine recesseris, si Herodianum (cf. §. 34) sua non ex ipsa Pluto, sed ex alio quodam libro hausisse contendas, cui tales, quales fortasse Athenaeo fuerunt, rerum collectiones suppeditasse uel ideo improbabile est, quod ante Alexandrinorum aetatem nemo studiis prosodiacis dedita opera incubuerat: certe in aetatem Alexandrinis priorem, qua altera Pluti editio nondum interciderat, referendi essent ei scriptores, quos secuti eorumque uerba in suos libellos transferentes Athenaeus Herodianusque scripsissent: *Ἀριστοφάνης Πλούτῳ δευτέρῳ*. Nunc uero uide, quo depellaris! Vt enim Alexandrini tum quoque de Pluti numero errare potuerunt, si uno loco (schol. ran. 1093) uersum inueniebant e Pluto priore laudatum, qui tamen in ea, quam priorem esse crederent, fabula non legebatur: ita idem statuere non iam licet, ubi praeterea duo loci accesserint, quibus uersus e Pluto II desumpti laudantur quique in ea, quam Alexandrini priorem esse censerent, recensione etiam tum exstabant.

Alia igitur uia procedendum erit; hanc autem ut inuestigemus, summo adiumento est illud, quod prorsus eandem rationem intercedere uidemus inter Aristophanis uersus ab Athenaeo ex Nubium comoedia petitos; quae res eo magis ad nostram quaestionem disceptandam ualere putanda est, quod ne Nubium quidem utramque

editionem Alexandrinis ad manus fuisse et Ritterus in 'Philologi' uol. 34 p. 447 sqq. accuratissime demonstrauit et Weyland ibid. uol. 36 p. 73 sq. comprobauit, quorum uirorum sententiae quamuis intercedente Kockio prorsus me addico.

§. 26. Itaque fieri non potest, quin aliquamdiu in 'Nubium' uersibus ab Athenaeo laudatis commoremur, quorum conspectus hic est:

Lib. II 64 F: *κίχλαι . . . Συρακούσιοι δὲ τὰς κίχλας κιχήλας λέγουσιν . . . μέμνηται τούτων καὶ Ἀριστοφάνης ἐν Νεφέλαις* (u. 339).

Lib. III 94 F: *Ἀριστοφάνης ἐν Νεφέλαις* (u. 455)· *ἐκ μου χορδὴν | τοῖς φροντισταῖς παραθέντων.*

Lib. IX 374 C: *Ἀριστοφάνης . . ἐν δὲ Νεφέλαις διδάσκων τὸν πρεσβύτην . . . φησί· 'νῦν δὲ πῶς με χρὴ καλεῖν; | ἀλεκτρύαιναν, τὸν δ' ἕτερον ἀλέκτορα'* (u. 665).

Lib. IX 387 A: *Ἀριστοφάνης . . . καὶ τὸ ἐν Νεφέλαις δὲ ἐπὶ τῶν ὀρνίθων ἔγωγε ἀκούω . . 'τοὺς φασιανούς, οὓς τρέφει Λεωγόρας'* (u. 109).

Lib. XI 467 B: *Ἀριστοφάνης Νεφέλαις* (u. 122)· *οὔτ' αὐτὸς οὔθ' ὁ ζύγιος οὔθ' ὁ σαμφόρας.*

Lib. XI 479 C: *ὡς Νίκανδρός φησιν ὁ Θυατειρηνὸς παρατιθέμενος τὸ ἐκ Νεφελῶν Ἀριστοφάνους· 'μηδὲ στέψω κοτυλίσκον.'* (fr. 380).

Lib. IV 171 C: *Ἀρ. ἐν προτέραις Νεφέλαις* (u. 1196 sq.)· *'πῶς οὐ δέχονται — ἡμέρᾳ μιᾷ.'*

Lib. VII 299 B: *Ἀριστοφάνης . . . καὶ δευτέραις Νεφέλαις* (u. 559)· *'τὰς εἰκοῦς τῶν ἐγχέλεων τὰς ἐμὰς μιμούμενοι.'*

Lib. VIII 345 F: *Ἀριστοφάνης ἐν Νεφέλαις δευτέραις* (u. 983)· *'⟨οὐδ'⟩ ὀψοφαγεῖν οὐδὲ κιχλίζειν.'*

Lib. V 188 C sine Aristophanis fabulaeque nomine afferuntur uu. 103/4.

Priusquam autem quaeramus, quam rationem Athenaeus secutus alios eiusdem fabulae uersus *ἐν Νεφέλαις προτέραις*, alios *ἐν Νεφέλαις δευτέραις*, reliquos *ἐν Νεφέλαις* exstare dixerit, secernendum est 'fragmentum' illud ex Nicandri Thyatireni libris desumptum, de quo fusius egit Ritterus l. c. p. 459. Ceteros autem locos considerantes Athenaeum uidemus quinquies uersus Aristophaneos Nubibus simpliciter dedisse, bis ut e Nubibus posterioribus, semel tantum ut e prioribus desumptos citasse, ita ut facile quis cum Brunckio hoc uno loco pro *προτέραις* scribendum esse suspicari possit: *δευτέραις*, librariorum neglegentia hoc mendum

ortum esse declarans. Sed haec uia, quaecumque sunt nobis incommoda, ea omnia corrigendo de medio tollendi uide quam decliuis praecepsque sit atque a sana iudicandi ratione aliena. Eodem enim iure mihi statim etiam illum de Pluto locum p. 368 D mutare et Ἀριστοφάνης Πλούτῳ προτέρῳ pro δευτέρῳ corrigere liceret, quam sententiam si eloquerer, neminem, mihi crede! inuenirem mihi consentientem. Accedit, quod hac ratione semel accepta non hoc tantum loco, sed etiam apud schol. Plat. 465 Bekk. eadem mutatio in textum recipienda esset, ubi item uersus (est 1417) ex fabula superstite petitus ἐν Νεφέλαις α' esse dicitur.

Contextum igitur mutare et id, quod scriptum esse malimus, δευτέραις legere nimiae est audaciae; itaque ne hanc uiam ingrederemur, iam monuit Fritzsche, quaest. Ar. p. 141, monuit iterum ante aliquot annos Brentano, Gr. Drama p. 77. Sed quod ipse Fritzschius p. 166 rem explicare studuit, 'primo id fortuito fieri potuisse declarans, ut semel tantummodo πρότεραι Νεφέλαι dilucide commemorarentur, uel etiam quadam grammaticorum non omnia curantium neglegentia; tum id nullo certe accidisse nostro periculo, quoniam altera fabula, quae tota aetatem tulisset, omnis error sublatus esset; denique hoc, quidquid esset, paullum fortasse admirationis, nihil uero habere incommodi etiam propterea, quod nonnulli loci nostrarum Nubium secundis plane perspicueque adscriberentur', sed tamen 'Athenaeum errasse' statuens p. 141, 'quemadmodum, ne ipsius Athenaei, hominis satis alioquin diligentis, uerecundiam saepius obiurgaret, Hephaestioni inuito excidissent uerba ἐν ταῖς προτέραις Θεσμοφοριαζούσαις pro δευτέραις': ne haec quidem explicatio, ignorantiae insuper refugiorum plenissima, talis est, quae cuiquam satisfacere possit, quippe quae ne ipsi quidem Fritzschio satisfecisse uideatur concedenti rem, etsi non multum, at certe aliquid admirationis habere; 'admirari' autem philologum minime decet, sed 'admirationem' dissoluere.

Multo etiam minus probabilitatem alia explicatio prae se fert, quam postea 'Schweighaeusero persuadente' idem uir doctus in quarta earum, quas 'de fabulis retractatis' conscripsit, dissertationum parte proposuit, p. 6. Ipsius autem Schweighaeuseri uerba sunt haec: 'Potuit enim, cum ista scriberet Athenaeus, προτέρας Νεφέλας ob oculos habere nec uero simul recordari eosdem uersus etiam in δευτέραις Νεφέλαις conseruatos esse.' Recedit a probabilitate mirum quantum haec sententia, sed conuincitur etiam Ritteri commentatione supra laudata de priore Nubium fabula amissa iam Alexandrinorum temporibus, cuius sententiae quasi semen iam con-

tinetur Fritzschii uerbis his p. 141: 'ut uero maxime Athenaeus priores Nubes umquam sibi acquisiuerit.'

Ad eundem amissae prioris Nubium fabulae scopulum frangitur etiam Dindorfii opinio, qui in Aristoph. fragmentorum collectione p. 17 Brunckium non cogitasse uideri scribit 'Athenaeum fortasse nihil aliud significare uoluisse quam se, cum illa scriberet, priorum Nubium exemplar uersasse, alterarum non inspexisse'; sed etiam hoc neglecto mirum est, in opinionem uel per se tam dissimilem ueri quomodo incidere potuerit hic uir doctissimus.

Aliam igitur defendit sententiam is, qui de Aristophanis uita commentationem amplissimam conscripsit, F. Ranke p. 289 sqq. Explanat is Athenaeum non imprudenter in citandis Nubibus prioribus et posterioribus esse uersatum atque illam ipsam sententiam, quam scriptor argumenti sexti anonymus proposuit, apprime esse secutum demonstrat. Vt enim hic *τὴν παράβασιν τοῦ χοροῦ ἠμεῖφθαι* itemque eam scenam, *ὅπου ὁ δίκαιος λόγος πρὸς τὸν ἄδικον λαλεῖ*, posteriori editioni concludendo tribuit, sic etiam Athenaeus uersum 559, qui est in parabasi, et uersum 983, qui exstat in Iusti et Iniusti concertatione, posterioribus Nubibus adscribit. Quae autem comoediae partes ex ipsa comoedia argumenti scriptor anonymus, utrum priori an posteriori fabulae tribuendae essent, enucleare non potuit, de quibus igitur caute tacuit, eas tantum aberat, ut etiam Athenaeus priori posteriorine daret fabulae, ambigeret, ut anonymi coniecturam[1]) pro oculati auctoris testimonio haberet et quas ille exempli causa tamquam nouas attulerat scenas, eas solas praeterque eas nihil aliud mutatum esse putaret. Itaque factum est, ut uersus ex eis, quas anonymus non nominauerat, scenis desumptos prioribus uel simpliciter 'Nubibus' assignaret. 'At quam ob causam Athenaeus quinquies simpliciter 'Nubes', semel 'Nubes priores' nominauit? Inde nonne etiam inter Nubes et Nubes priores aliquid interesse consequitur?' Quasi uero Athenaeus semper eodem modo loqui debuerit! Quid enim, si cum Rankio p. 290 ac Teuffelio, nub. 1863, praef. p. 12, fortasse etiam cum Rittero

1) coniecturam autem eam esse apparet non solum ex particula *αὐτίκα*, h. e. exempli gratia, sed uel inde, quod ea, quae 'de Nubium mutatione' enarrantur, nihil esse uidentur nisi definitionis uocis quae est *διασκευή* descriptio. Vt enim Galenus XV p. 424 Kuehn dixit: *ὅταν τὴν ὑπόθεσιν ἔχον τὴν αὐτὴν, καὶ τὰς πλείστας τῶν ῥήσεων τὰς αὐτὰς, τινὰ μὲν ἀφῃρημένα τῶν ἐκ τοῦ προτέρου συγγράμματος ἔχῃ, τινὰ δὲ προσκείμενα, τινὰ δὲ ὑπηλλαγμένα*: sic simillime dicit arg. VI auctor: *τοῦτο ταὐτόν ἐστι . . . τὰ μὲν γὰρ περιῄρηται, τὰ δὲ παραπέπλεκται καὶ . . . μετεσχημάτισται.*

p. 456 Athenaeum illo uno loco *προτέραις* eo consilio addidisse contendero, 'ut iure se, cum temporum ordinem sequeretur, hoc exemplum posuisse ostenderet ante desumptum aliud ex Agrestibus Pherecratis', quam fabulam archonte demum Aristione, i. e. ol. 89, 4 = 421/0 Lenaeis doctam esse constat ex Ath. V p. 218 D coll. Diod. XII 75 et Plat. Protag. 327 D.

§. 27. Et quoniam nunc Athenaeum, ubi quid iam in priore editione exstitisse putaret, nisi forte tempora accuratius indicare eius interesset, simpliciter 'Nubium' nomen attulisse, ubi uero quid in secunda demum fabula additum uideri ex anonymi uerbis colligeret, ibi semper 'posteriores Nubes' nominasse uidimus, nunc ad Plutum redeamus. Atque ut Athenaei ratio citandi nonne cum sententia nostra de Pluto Alexandrinorum temporibus iam deperdita pugnet, inuestigemus, Athenaeum primum utramque Pluti editionem habuisse ponamus. Hocine statuere licebit? Immo procul reicienda mihi uidetur haec opinio. Diligentissime enim Athenaeum in uersibus citandis uersatum esse ex Nubium locis apparuit, idque etiam aliis locis multis comprobatum est, nec profecto prius id non statuere eumque in Pluti uersibus laudandis neglegenter uersatum esse putare licebit, quam quis eundem Athenaeum ne in Nubium quidem uersibus afferendis rationem quandam obseruasse nihilque interesse demonstrauerit, utrum *ἐν Νεφέλαις* simpliciter an *ἐν Νεφ. προτέραις* an *ἐν Νεφ. δευτέραις* legatur. Quae cum ita sint, si Athenaeum utramque Pluti fabulam manibus uersasse arbitramur, tum ei, ut 'Plutum' simpliciter nominet, non concedemus, nisi qui uersus in utraque editione legebatur; ubi uero quid in sola priore uel posteriore sola fabula exstitisse intellegimus, tantum abest, ut eandem ei dicendi licentiam largiri liceat, ut contra, sicubi tamen Athenaeum ea usum esse cognouerimus, eum utramque Pluti recensionem non iam inspexisse necessario statuendum sit; id quod neminem fore existimo, cui non statim perspicuum esse uideatur.[1]) An etiam tum Athe-

1) Non uereor, ne quis ceterorum scriptorum ratione citandi utatur ad hoc infirmandum. Nam ei ipsi, qui quomodo fabulae retractatae ab auctoribus laudari soleant, inuestigare semel conati sunt, earum titulos uniuerse accurate tamque diligenter afferri intellexerint, ut, si apud quem fabulae nomen sine numero allatum est, ibi aut quamuis omissus sit editionis numerus, tamen certam fabulae recensionem significari putandum sit, uelut apud Athenaeum *Νεφέλας* simpliciter nominari uidemus pro *Νεφέλαις α'*, aut auctori alteram tantum (hoc fortasse statuendum de Eurip. fr. 74. Eupol. fr. 44 et de Stobaei locis innumerabilibus) fabulam uel neutram ad manus fuisse locosque ab eo allatos ex aliis scriptoribus haustos (id quod Suidas fecit) esse, aut numerum ab auctore quidem

naeum 'utramque Plutum habuisse nec uero simul recordari eosdem uersus in altera fabulae editione conseruatos non esse' statuere malumus quam eum alteram tantum Plutum manibus triuisse nobis persuadere, praesertim cum ne Alexandrinos quidem ambas fabulas habuisse intellexerimus? Desperare de explicanda Athenaei ratione citandi num cautius tutiusque tibi uidetur quam quod de aliis iam inuenimus, idem ad Athenaeum quoque transferre?

§. 28. Sed quid tam diu uniuerse loquor? Probandum iam est, reuera Athenaeum unum uel alterum uersum ita laudauisse, ut se quoque alteram tantum Pluti editionem habuisse enuntiet. Atque hoc elucere arbitror ex XIII 592 C/D, ubi scribit: *μήποτε δὲ κἀν τῷ Πλούτῳ . . . γραπτέον Ναΐς καὶ οὐ Λαΐς.* Nam quoniam Laidem in secunda tantum Pluto commemorari potuisse persuasum mihi est, Athenaeus autem nihilominus illum uersum ita laudat, quasi in utraque editione exstiterit, consequitur ex eo, quod modo pro fundamento posuimus, Athenaeum utramque Pluti recensionem non habuisse. Quae tamen conclusio ut omnibus numeris absoluta sit, primum demonstrandum mihi est, Laidis in priore Pluto mentionem fieri potuisse nullam, id quod ut primo quidem obtutu facillimum uidetur, ita, si rem aggressi erimus, eo nos deducet, ut magnus ille de duplici Laide locus perpurgandus sit. Si enim unam tantum fuisse Laidem inter omnes uiros doctos constaret, ut Laidem in priore Pluto commemoratam non esse eluceret, nihil aliud mihi agendum esset quam ut Laidem secundum scholiastae adnotationem anno 422 natam, anno igitur 408 quattuordecim annorum fuisse, itaque in priore Pluto nondum tamquam 'amicam' celeberrimam, ut fit in superstite, nominari potuisse dicerem. Nunc uero F. Iacobsius, uir illustrissimus — similiter iudicare uidetur Hemsterhusius in Pluti editione p. 58 b et 60 b — in commentationum earum, quibus 'vermischte Schriften' inscripsit, uol. IV p. 398—435 non unam tantum, sed duas Laides fuisse demonstrare

appositum librariorum incuria (ut in Soph. fr. 590 et Suid. s. u. *μεμνῆτο* coll. schol. Hom. Il. *ψ* 361) ex contextu excidisse, aut denique accidisse statuendum sit, ut auctor de fabulae numero errorem committeret (Ar. fr. 334) et ita fabulam simpliciter ibi quoque nominaret, ubi, nisi errasset, numerum certe apposuisset. Accedit, quod ex ceteris scriptoribus ad eam quam statuimus Athenaei rationem citandi argumenta depromere uereor, ut prudentis sit, quippe quae satis firmata sit non solum eis quae supra explanata sunt, sed eo quoque, quod, ut Ath. ceteros citandi diligentia superat, ita idem unus eandem fabulam nunc priorem, nunc posteriorem nuncupat. Ex sua quisque ratione citandi scriptor metiendus est.

studuit atque etiam scholiastae adnotationi de Laide anno 422 Hyccaris nata fidem habendam esse negauit, famae eam tribuens atque errori (p. 401) Laidemque Socrati aequalem fuisse declarans. Si igitur quis omni ratione duas Plutos Athenaeum habuisse statuere uelit, nihil ei impedimenti obstiterit, quominus Athenaei coniecturam ad utramque Plutum referendam esse dicat, Laidis annum natalem retrorsus tanto retrudens, ut eius anno 408 tamquam 'amicae' celebris mentio possit fieri. Hoc igitur ne quis opponere audeat, efficiendumst effectumque erit, si illam de duabus eodem nomine meretricibus opinionem destruxerimus.

§. 29. Quibus igitur causis Iacobsius commotus duas Laides fuisse statuerit, uideamus causasque accurate examinemus.

I. Ac primum quidem Iacobsius inde proficiscitur, quod Athenaeus p. 574 E Damasandram, Alcibiadis amicam, matrem fuisse dicit Laidis natu minoris; scribit enim Athenaeus: *καὶ ἑτέρας δὲ δύο ἑταίρας ἐπήγετο ἀεὶ ὁ Ἀλκιβιάδης, Δαμασάνδραν τῆς Λαΐδος τῆς νεωτέρας μητέρα, καὶ Θεοδότην.* Qui locus nisi corruptus est, sane ex eo scriptorem de duabus Laidibus cogitasse elucet. Sed cum idem Athenaeus postea p. 586 sqq., ubi de Laide accuratius narrat, ita semper loquitur, ut se unius tantum Laidis notitiam habuisse ostendat, cum praeterea ceterorum scriptorum omnium nemo de duabus eius nominis meretricibus memoriae prodiderit (cf. Pauly, Encyclop. s. u. Lais, statim ab initio), suspicio oritur, aut eum, quem Athenaeus hoc loco secutus est, auctorem eisdem similibusue causis commotum duas Laides fuisse atque Iacobsium existimasse aut eam, quae nunc exstat, lectionem aliquo modo deprauatam esse. Vtrumque per se cogitari potest; hoc autem ueri similius uideatur, quia, si illud praeferamus, id, quod mirandum erat, non remoueatur, quod nimirum aliunde de duplici Laide nihil cognitum habemus. Neque profecto, quomodo coniectura difficultas superari possit, difficile est inuentu. Nam aut pro *τῆς νεωτέρας* conicere quis possit: *τῆς ἑταίρας* (cf. Plut. Nic. 15: *Λαΐδα τὴν ἑταίραν*), quod primum falso mutatum in: *τῆς ἑτέρας* (cf. Kock, fr. com. gr. II 243, 23. 4 et 350, 145. 2), deinde a nescio quo librario pro *τῆς δευτέρας* id dictum esse rato correctum sit in: *τῆς νεωτέρας*; aut respicienti alicui ad scholiastae u. 179 uerba, quae sunt: '*ἡ δὲ Λαῒς ἐπισημοτέρα γέγονε τῆς μητρὸς ἐν Κορίνθῳ*' ita mutandum uideatur ut *Δαμασάνδραν τῆς Λαΐδος τῆς ἐπισημοτέρας* (scil. *τῆς μητρός*) *μητέρα* uel tale quid (cf. Horat. carm. I 16 1) legendum proponat. Sed fieri etiam potest, ut paullo audacius corrigendus sit hic locus et ita adaptandus ad

alium simillimum, Ath. p. 535 C: *στρατηγῶν δὲ συμπεριήγετο αὑτῷ τήν τε Λαΐδος τῆς Κορινθίας μητέρα Τιμάνδραν καὶ Θεοδότην τὴν Ἀττικὴν ἑταίραν*, ut hic quoque legatur *τῆς Λαΐδος τῆς Κορινθίας μητέρα*. Vterque enim locus ex eodem quasi fonte uidetur fluxisse; quod enim illic Timandra, hic Damasandra Laidis matri nomen est, facile hic aliquem supra Timandrae nomen scripsisse cogitari potest, quomodo eadem ioculariter a comicis sit nominata, quod postea in ueri nominis locum irrepserit.

Videmus igitur primum Iacobsii argumentum tam infirmum atque uilis pretii esse, ut eo solo nixi tam grauem quaestionem diiudicare non possimus, idque ipse Iacobsius[1]) concedit, cum contra Baylium inde, quod apud Athenaeum postea de una tantum Laide sermo est, unam tantum Laidem fuisse concludentem monet, huic rei non tantum tribuendum fuisse, ut duas Laides fuisse negaret: quid enim? his uerbis '*τῆς νεωτέρας*' nonne eodem uel etiam iustiore iure, quippe quae sint *ἅπαξ εἰρημένα*, non tantam fidem habendam esse putare licet, ut eis solis nixi duas Laides fuisse statuamus?

II. Nunc autem ut omnis dubitatio eximatur, priusquam cetera Iacobsii argumenta examinemus, agendum est de scholiastae uerbis u. 179: *δόξειε δ' ἂν ἐρᾶσθαι τῆς Λαΐδος ἐκείνης ὑπαγομένης αὐτόν. οὐ γὰρ ἐκείνου ἠράσθη Λαΐς, ᾗ Διογένης ὁ φιλόσοφος ἐπιγράφει τῆς Ἑλληνικῆς ἀκρασίας τὸ τρόπαιον.*

1. Haec enim uerba Hemsterhusius sic interpretatur: 'uideatur autem amore fuisse captus Laidis istius (de qua paulo ante dixi, Siculae) blandas insidias admouentis: neque enim eum amauerit illa Lais, cui Diogenes adscripsit erectum Graecorum intemperantiae tropaeum.' Praeterea haec uerba explicantia adicit: 'Opportunum utique erat admonere, ne quis imprudens in eundem, qui sane multos fefellerat, errorem incideret, de duabus eodem nomine meretricibus, una Sicula, quae Hyccaris orta Corinthum fuerat uenumdata, altera uere Corinthia.' His uerbis ea adiungamus, quae ab eodem scripta sunt p. 60: 'uidebimus alias, operaene sit pretium, famosissimarum Graeciae meretricum, quae sub uno Laidis nomine celantur, historiam illustrare, numerum finire, exploratisque temporum notis distinguere.' Haec Hemsterhusii enuntiata si perlegimus, dubium esse non potest, quin etiam hic uir doctus illam de duabus Laidibus sententiam a Iacobsio defensam comprobauerit atque adeo e scholiasta Aristophaneo firmum huius sententiae ad-

1) p. 400 et, quamuis imprudens, p. 414.

miniculum elicere uoluerit. Itaque nostrum erit examinare, rectene in hac re iudicauerit Hemsterhusius. Mihi quidem recte iudicasse non uidetur. Opposuit Hemsterhusius inter se 'Laidem istam', de qua paullo ante dixisset scholiasta, Siculam et 'illam Laidem', cui adscripsisset Diogenes erectum Graecorum intemperantiae tropaeum. Sed haec unde habet uir doctus? Primum enim ut coniungenda sint uerba: τῆς Λαΐδος ἐκείνης: per pronomen quod est ἐκεῖνος, non is significari posse mihi uidetur, de quo sermo erat; desiderarem equidem τῆσδε. Deinde scholiasta non dixit: 'Lais illa', cui Diogenes cet., sed simpliciter Λαΐς, neque ego quidem concedere possum, ita, nullo adiecto oppositionis signo, oppositionem fieri potuisse, quamuis lubenter scholiastas saepissime ab ea, quam exspectamus, loquendi consuetudine declinare largiar. Tum in Hemsterhusii interpretatione ea uerba, in quibus apud scholiastam omnis uis inest, ui omnino carent; uertit Hemsterhusius, quasi scriptum legeremus: οὐ γὰρ ἐκείνη αὐτοῦ ἠράσθη Λαΐς, ᾗ κτλ. Postremo autem, quicumque scholiastae uerba perlegerit, eum sine dubitatione inter se coniuncturum esse equidem sentio: ἐκείνης ὑπαγομένης αὐτόν, non τῆς Λαΐδος ἐκείνης, huiusque rei testes mihi sunt priores scholii editores, qui post Λαΐδος, non post ἐκείνης interpunxerunt.

2. Haec, credo, sufficient ad reprobandam Hemsterhusii interpretationem; sed nunc meum est, quomodo scholiastae uerba explicanda uideantur, indicare. Atque ita fere interpretor: 'Putanda autem erit Lais eum illexisse, ita ut (Philonides) eam amaret; neque enim illum amauerit Lais, quippe cui Diogenes adscripserit erectum Graecorum intemperantiae tropaeum.' Sententia igitur haec est: Offendit scholiasta, quod dixit Aristophanes a Laide amari Philonidem; exspectauerat nimirum, ut Aristophanes diceret: a Philonide amari Laidem. Atque hanc ἀπορίαν ita dissoluit, ut Aristophanem fortasse propterea a Laide Philonidem amari dixisse existimaret, quia Lais sine dubio eum, ut se amaret, illexisse putanda esset, eo scilicet consilio, ut e Philonidis erga se amore lucrum auferret (ὑπαγομένης enim dicit scholiasta, non ὑπαγούσης). Atque postquam scholiasta hanc explicationem proposuit, etiam enarrat, cur in Aristophanis dictione offenderit; haec autem causa uerbis indicatur: οὐ γὰρ ἐκείνου κτλ. eoque continetur, quod talis femina, cui iam tot amatores fuerint, ut Diogenes ei adscriberet erectum Graecorum intemperantiae tropaeum, indigna sit, quae amare dicatur.

Huic interpretationi, quantum equidem uideo, nihil opponi

poterit, quo refellatur. Quod si recte iudicauero, ne petetur quidem ex hoc scholio nouum argumentum, quo duas Laides fuisse demonstretur. Itaque iam bono animo redire licet ad cetera Iacobsii argumenta examinanda.

III. Comparat is altero commentationis loco duas illas de Laidis patria narrationes, quarum altera scholii ad Plut. 179 parte priore, altera eiusdem scholii parte posteriore continetur. Narratur enim in scholii parte priore, cum Hyccara, Siciliae oppidum, a Nicia expugnata essent, Laidem tum puellam septem annorum captam et a Corinthio aliquo emptam mulierique Corinthum dono missam esse. Qua cum narratione congruere ne Iacobsius quidem non uidet Plutarchi uerba in Nic. 15: *Ὕκκαρα, ὅθεν λέγεται καὶ Λαΐδα τὴν ἑταίραν ἔτι κόρην ἐν τοῖς αἰχμαλώτοις πραθεῖσαν εἰς Πελοπόννησον κομισθῆναι*, nec minus ea, quae in uita Alcibiadis c. 39 leguntur: *ταύτης* (*Τιμάνδρας*) *λέγουσι θυγατέρα γενέσθαι Λαΐδα τὴν Κορινθίαν μὲν προσαγορευθεῖσαν, ἐκ δὲ Ὑκκάρων . . αἰχμάλωτον γενομένην*. Nec uero cum hac memoria conciliari posse Iacobsius censet alteram scholii ad u. 179 partem, in qua Laidem filiam fuisse narratur Timandrae Hyccarensis eius, quam Philoxeno, dithyramborum poetae, donauisset Dionysius, Siciliae tyrannus; cum Philoxeno Corinthum eam (Timandram) uenisse ibique meretricem euasisse famosissimam; sed etiam celebriorem matre euasisse Corinthi Laidem. Hanc igitur narrationem cum illis conciliari posse negat Iacobsius idque, si recte ego perspexi eius argumentationem ea sola de causa, quod eam coniungit cum Athenaei uerbis supra allatis: *Δαμασάνδραν τῆς Λαΐδος τῆς νεωτέρας μητέρα* (p. 400). Iam autem haec Athenaei uerba tanta dubitatione implicata esse uidimus, ut eis solis ad illam de una Laide sententiam uti refellendam temerarium sit. Hoc potissimum loco de Athenaei uerbis ne minimum quidem dubitare nonne audacis est, cum Laidem Hyccaris natam ibique bello captam esse ex multorum auctorum testimoniis constet? (cf. schol. Plut. 179a. Plutarch. Nic. 15. Alc. 39. Steph. Byz. s. u. *Ὕκκαρον*. Paus. II 2, 5. Ath. 588 B. F) neque hoc solum, sed illud etiam, eidem Laidi, quae Hyccaris oriunda erat, cognomen fuisse Corinthiae? (Plut. Alc. 39). Quam igitur Athenaeus Laidem natu minorem esse dicit Timandrae filiam, eadem in Sicilia bello capta est (Alc. 39), neque, ut Iacobsius p. 420 uoluit, post Alcibiadem demum mortuum nata est. Quod autem Iacobsius ipsum Plutarchum de Laide Hyccaris nata non sine dubitatione (*λέγεται* Nic. 15) locutum esse premit (p. 401), opponi ei debebit eundem Plutarchum ne

hariolandem, quod tamen Iacobsius pro certo posuit (p. 400), eandem filiam fuisse Timandrae, sine cautione attulisse (Alc. 39: *ταύτης (Τιμάνδρας) λέγουσι θυγατέρα γενέσθαι Λαΐδα*).

Cogimur igitur ne hoc quidem altero Iacobsii argumento, ut duas Laides fuisse nobis persuadeamus neque ipsi Iacobsio tantopere persuasum fuisse, quantopere exspectaremus, si argumenta sua ipse satis grauia esse intellexisset, inde apertum est, quod in adnotatione 14 cunctanter iterum et parum confidenter de Laide Hyccaris bello capta dubitat.

IV. De tertio Iacobsii argumento breuiter iudicare licet. Continetur eo, quod multa, quae de Laide feruntur, propter temporis rationem non referri possunt ad eam Laidis nomine meretricem, quam anno 415 septem annos egisse cognouimus. (Vide in primis apud Iacobsium p. 407 et 430 adn. 18.) Sed huius argumenti uim ipse Iacobsius infirmauit, cum p. 405 aliquando etiam Laidis nomen narratiunculis intextum esse concessit, ubi meretricem uniuerse celebrem significare uoluissent. Ad quem autem finem tali argumento nixi peruenturi simus, optime illustrat Baylius s. u. Lais p. 659, not. L, ne duas[1]) quidem Laides satis esse demonstrans ad omnes de Laide narratiunculas seruandas explicandasque. Alienas autem a Laide res tamen in eam translatas esse documento esse potest insignis illa Laidis et Phrynes confusio a scholiasta Horatiano commissa, de qua disputat Iacobsius p. 431. 444. 464, nec non Laidis et Thaidis permutatio, quam recte detexisse mihi uidetur Hemsterhusius in scholiastae u. 179 uerbis his: *λέγουσι δὲ, ὅτι ἅμα Ἀλεξάνδρῳ ἀπεδήμησεν εἰς Πέρσας ἐκ Κορίνθου.*

V. Aliud Iacobsii argumentum p. 407 inde repetitum est, quod cognomen *ἀξίνη* (Aelian. V. H. 12, 5. 14, 35) Laidi propterea inditum, quod magnam pecuniam exigere solebat ab amatoribus (*ὅτι πολὺ ἐπράττετο*, Ael. V. H. 14, 35), concinere non uideretur cum Athenaei p. 588 E narratione, ex qua Laidem Phrynae aemulantem inter diuitem et pauperem non discreuisse cognosceretur: itaque alteram narrationem ad Laidem natu maiorem, alteram ad minorem referendam esse. At hic uir doctus nonne meminit illius fragmenti[2]) ex Antilaide Epicratea desumpti, quod idem Athenaeus

1) de sorte qu'il faudra qu'il y ait eu trois Lais.

2) *καὶ Λαῒς ὀρθῶς γοῦν νομίζοιτ' ἂν τέρας·*
αὕτη γὰρ οὖν ὁπότ' ἦν νεοττὸς καὶ νέα,
ὑπὸ τῶν στατήρων ἦν ἀπηγριωμένη,
εἶδες δ' ἂν αὐτῆς Φαρνάβαζον θᾶττον ἄν.
ἐπεὶ δὲ δόλιχον τοῖς ἔτεσιν ἤδη τρέχει,

memoriae prodidit p. 570, quod si perlegerimus, tamen ediderit, quibus Iacobsius offendit, res in unam eandemque Laidem conferendas esse intellexerimus? nonne meminit Athenaeum eadem pagina de eadem Laide paullo ante dicere: *Λαΐδι ἡ Ἀφροδίτη νυκτὸς ἐπιφαινομένη ἐμήνυεν ἐραστῶν ἔφοδον πολυταλάντων*? non animaduertit denique eo ipso loco (p. 588 E), unde profectus est, Athenaeum non dixisse Laidem inter diuitem pauperemque non discernere solitam esse, sed nihil aliud quam aliquando (*ποτέ*) eam non discreuisse?[1])

VI. Quintum restat Iacobsii argumentum, quod paucis commemoretur. Atque hoc quidem inde repetitur, quod non solum de morte Laidis uariae narrationes circumferebantur, sed ei et Corinthi et in Thessalia sepulcrum monumentumque fuisse traditur. Pausanias quidem II 2, 4 Corinthi ad Craneum nemus Laidis sepulcrum fuisse memoriae prodidit, cui leaena imposita esset arietem prioribus pedibus tenens, addit uero etiam aliud in Thessalia fuisse monumentum, quod Laidis esse diceretur.[2]) Aliam inuenimus hac de re apud Athenaeum memoriam, p. 589 B/C. Is Laidem in Thessalia obiisse narrat a mulieribus Thessalis ligneis sellis percussam ibique eam etiam sepultam esse contendit et affert etiam epigramma tumulo eius inscriptum, cuius e uersibus eos, qui eam Corinthi sepultam esse tradant, bariolari demonstrat: *αὐτοσχεδιάζουσιν οὖν οἱ λέγοντες αὐτὴν ἐν Κορίνθῳ τεθάφθαι πρὸς τῷ Κρανείῳ.* Atque Athenaeo consentit etiam scholiasta Plut. u. 179, qui de Laide Corinthi sepulta nihil omnino prodidit. Has igitur duas narrationes prorsus inter se diuersas esse atque adeo non alteram cum altera conciliandam esse Iacobsius contendit, ut inde duas Laides fuisse colligendum sit, quarum altera Corinthi sepulta esset, altera, Timandrae filia, in Thessalia periisset ibique etiam sepulcrum inuenisset. Sed praeterquam quod ex eis traditionibus, quas hic defendit, ille

τὰς ἁρμονίας τε διαχαλᾷ τοῦ σώματος,
ἰδεῖν μὲν αὐτὴν ῥᾴόν ἐστι καὶ πτύσαι·
ἐξέρχεταί τε πανταχόσ' ἤδη πιομένη,
δέχεται δὲ καὶ στατῆρα καὶ τριώβολον,
προσίεται δὲ καὶ γέροντα καὶ νέον·
οὕτω δὲ τιθασὸς γέγονεν, ὥστ', ὦ φίλτατε,
τἀργύριον ἐκ τῆς χειρὸς ἤδη λαμβάνει.

1) *διαζηλοτυπουμένη δὲ ἡ Λαῒς ποτε Φρύνῃ πολλὴν ἐραστῶν ἔσχεν ὅμιλον, οὐ διακρίνουσα πλούσιον ἢ πένητα.*

2) *ἐνταῦθα καὶ τάφος ἐστὶ Λαΐδος, ᾧ δὴ λέαινα ἐπίθημά ἐστι κριὸν ἔχουσα ἐν τοῖς προτέροις ποσίν. ἔστι δὲ καὶ ἄλλο ἐν Θεσσαλίᾳ Λαΐδος φάμενον μνῆμα εἶναι.*

Apodosis modo et tempore cum protasi consentit: V 64: '*εἰ μὲν οὖν τοῦτο εἰκάζειν με δεῖ, ἐξ ἴσου τοῦτό ἐστι καὶ ὑμῖν καὶ ἐμοί.*' Utrum faciendum sit, coniectandumne an uera rei gestae ratio cognoscenda (cf. sequentia), orator innocentem se esse confisus non iudicii sui esse arbitratur. *Αγ* 9. *Βγ* 8. Huc spectat etiam I 15, de quo infra agam. — Reliquarum formarum apodosis repperi unum locum, ubi potentialis adhibitus est: *Αα* 10.

Tres loci praebent imperatiuum: V 64. *Αβ* 8 (cf. p. 218). *Γβ* 6.

Indicatiuum, qui locum habet in enuntiatis condicionalibus, distare ab eo, qui in enuntiatis solutis adhibetur, deinde argumento sunt exempla forma quidem a prioribus non diuersa, sensu uero ac notione. Protasi fingitur aliquid, quod uero rerum statui obstare is, qui loquitur, non nescit.

Loci Lysiaci.

Apodosis indicatiuo praesentis formatur: VII 1: '*πρότερον μέν, ὦ βουλή, ἐνόμιζον ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ, ἡσυχίαν ἄγοντι, μήτε δίκας ἔχειν μήτε πράγματα· νυνὶ δὲ οὕτως ἀπροσδοκήτοις αἰτίαις καὶ πονηροῖς συκοφάνταις περιπέπτωκα, ὥστ' εἴ πως οἷόν τε, δοκεῖ μοι δεῖν καὶ τοὺς μὴ γεγονότας ἤδη δεδιέναι περὶ τῶν μελλόντων ἔσεσθαι.*' Fingit orator, ueritatem iocose excedens, iis ipsis, qui non sint nati, facultatem cogitandi inesse posse; tum quidem illis ipsis metuenda esse, quae olim accidere possint; conficit hoc orator inde, quod ipse aetatem antea procul a litibus et negotiis agens in tam inopinatas criminationes nefariosque delatores inciderit. III 4. VII 17. XXII 2.

Exempla apodosis in indicatiuo futuri, praeteriti, in potentiali collocatae desunt in genuinis orationibus; suppositiciae hoc exhibent: XV 5: '*ἐχρῆν γὰρ αὐτούς, εἴπερ ἀληθῆ λέγουσιν, ἀνακαλεῖν μὲν Πάμφιλον, ὅτι ἀφαιρῶν τὸν ἵππον ἱππέως ἀπεστέρει τὴν πόλιν ...*' Fingi tantum protasi, uera esse, quae duces dicant, perspicuum fit ex uerbis sequentibus '*νῦν δὲ τούτων οὐδὲν ἐποίησαν ...*', quibus demonstratur, duces longe aliter egisse atque loquantur. Hic ut XIII 75 (v. p. 215sq.) ex actione temporis praesentis aliquid antea actum esse concluditur; tamen parua differentia inter utrumque locum intercedit, quia hic ellipsis quaedam statuenda est; accuratius enim orator sic fere locutus sit: '*εἴπερ ἀληθῆ λέγουσιν,*

ἔπεται ὅτι uel simile quid ἐχρῆν ... ἀνακαλεῖν;' XIII 75 breuiorem dicendi rationem effugit inserens 'δῆλον' sc. ἐστὶ νῦν 'ὅτι' sc. τίτε etc.

Apodosis imperatiuus est XXXI 14: 'εἰ μέντοι τι μέρος περίεστι τῶν πολιτῶν, ὅ,τι τῶν αὐτῶν μετέσχε τούτῳ πραγμάτων, μετ' ἐκείνων ... βουλεύειν ἀξιούτω.' Contemplantibus nobis, quo sententiarum contextu haec uerba legantur, dilucidum fit, nullam omnino partem ciuium unquam easdem cum illo[1]) rationes secutam esse ob eamque rem superesse non posse; orator igitur fingit tantum atque non sine quadam irrisione, talem ciuium partem superesse et tum postulat, ut reus cum illis munere senatorio fungi cupiat.

Loci huius generis Andocidei exstant duo: I 113: 'ἐγὼ δέ, ὦ ἄνδρες, εἰ ὡς μάλιστα ἀληθῆ λέγουσιν οἱ κατήγοροι, ὑπ' αὐτοῖν με φημὶ τοῖν θεοῖν σεσῶσθαι.' Oratorem, fingentem accusatores uera dicere, longe aliter sentire apparet ex uerbis, quae antecedunt: 'ὡς μὲν ἀληθῆ λέγω, μεμαρτύρηται· πολὺ δέ μοι δοκεῖ το ἐναντίον εἶναι ἢ οἱ κατήγοροι εἶπον.'

Apodosis alterius loci indicatiuo praeteriti formatur: I 22: 'ταῦτα δὲ λέγοντος τοῦ πατρὸς τοῦ ἐμοῦ, ὡς ἅπαντες ἴστε, τί ὑπελείπετο τῷ Σπευσίππῳ λέγειν, εἰ ἀληθῆ οἶδε λέγουσιν, ἀλλ' ἢ Ὦ Λεωγόρα, τί βούλει περὶ θεραπόντων λέγειν;' Andocidem aduersarios mentiri persuasum habere elucet e §. 24. Accuratius orator uerba sic fecerit: 'τί ἔπεται, ὅ,τι ὑπελείπετο τῷ Σπευσίππῳ λέγειν, εἰ ἀληθῆ οἶδε λέγουσιν...' Paulus Polack[2]) post 'ὑπελείπετο' particulam ἂν omissam putat, id quod ex sequente interrogatione, quae illam priorem ut confirmet repetat ('ταυτὶ ἔλεγεν ἂν ὁ Σπεύσιππος, ὦ ἄνδρες, ἢ οὔ;') intellegi possit. Comparat Antiphontis Ββ 4; haud rara occurrunt huiusmodi exempla cf. Ant. Αβ 5. Γβ 2, quae infra tractabo; imperfectum sine uocula ἂν sonum orationis uiuidiorem atque fiduciae pleniorem reddit. Idem sentit Goelkelius.[3])

Tribus locis Antiphonteis apodosis modo ac tempore cum protasi congruit: VI 14: 'καὶ τούτων εἴ τι ψεύδομαι προφάσεως ἕνεκα, ἔξεστι τῷ κατηγόρῳ ἐξελέγξαι ἐν τῷ ὑστέρῳ λόγῳ ὅ,τι ἂν βούληται εἰπεῖν.' Inspicias uerba sequentia 'ἐπεί τοι οὕτως ἔχει' sc. ὡς διηγησάμην, uidebis, oratorem fingere tantum, non affirmare. I 1. VI 9.

1) Est autem reus Philon. 2) l. c. p. 42. 3) Beitr. z. Synt. d. Verb. n. z. Satzb. bei dem Redner Antiphon. p. 12.

In uniuersum de hoc genere enuntiatorum condicionalium dicendum est, multo minora exempla apud omnes tres oratores reperiri; non est quod hoc miremur, cum a communi usu loquendi abhorreat, aliquid pro uero ponere et contrarium fieri persuasum habere. Saepius uis condicionalis protaseos augetur particula *εἴπερ* — uocula *περ*, cuius origo ex praepositione *περὶ* petitur[1]), res prae ceteris esse significatur —, bis uocibus *ὡς μάλιστα* cum *εἰ* iunctis.

Sicuti is, qui loquitur, sumens aliquid fieri, contrarium cogitare potest, ita nonnulli loci restant, ubi orator condicionem proponens persuasum habet, rem, quam facit esse, cum uero rerum statu conuenire; subest protasi uis causalis: orator inde, quod aliquid fit, aliud concludit; latet sub specie, ut ita dicam, sumptionis affirmatio; *εἰ* accedit ad uim particulae *ἐπεί*; atque hic quidem indicatiuum protasis propriam suam uim non amittere concedo.

Lysiacae huiusmodi enuntiationes.

1) Apodosis indicatiuo praesentis formatur: VII 8: '*καίτοι εἰ τοὺς διὰ παντὸς τοῦ χρόνου γεωργοῦντας τῆς αἰτίας ἀφίετε, ἦ που χρὴ τούς γ' ἐν τῇ εἰρήνῃ πριαμένους ἀφ' ὑμῶν ἀζημίους γενέσθαι.*' Orator demonstrare studens, eo tempore, quo agrum nactus sit, neque oleam neque truncum oleae sacrae in eo fuisse ob eamque rem se culpa trunci oleae sublati absoluendum esse, commemorat tempestate belli Peloponnesiaci et postea multas cum priuatas tum sacras oleas excisas esse; a locorum ita uastatorum possessoribus iudices poenas repetere noluisse, cum alii, non ipsi possessores oleas excidissent; orator ita se defendere pergit: 'at enim si perpetuos agrorum colonos omni culpa absoluitis, eos certe, qui pace coëmerunt, a uobis indemnes esse decet'; ad protasin suppleri licet 'ut res se habet'; apparet enim ex periodo antecedente, absolui solere etiam perpetuos possessores agellorum oleis priuatorum; cohaeret apodosis cum protasi ita, ut haec minus condicio sit, ex qua illa pendeat, quam causa, cur apodosis eueniat. XXVII 15: '*καίτοι εἰ τοῖς μὴ δικαίως ἐπεξιοῦσιν ὀργίζεσθε, ἦ που σφόδρα χρὴ αὐτοὺς τοὺς ἀδικοῦντας τιμωρεῖσθαι.*' Comprobatur hoc loco, quod docent Akenius[2]) et Kuehnerus[3]), *εἰ* pro *ἐπεὶ* locum habere, cum causa generalis semperque ualens proferatur; uerba enim '*εἰ — ὀργίζεσθε*'. generaliter significant, quae

1) Cf. Langius l. c. p. 67. 2) 'Grundzüge d. Lehre von Tempus u. Modus im Griechischen' p. 161. 3) gr. II p. 963.

periodo praecedente '*ἡμεῖς μὲν ... διηλλάγημεν*' orator singillatim exposuit cf. And. III 16: '*εἰ δὲ μήτε δι' ὅ,τι μήτε ὅτοισι μήτε ἀφ' ὅτου πολεμήσωμεν ἔστι, πῶς οὐκ ἐκ παντὸς τρόπου τὴν εἰρήνην ποιητέον ἡμῖν;*' Antecedunt haec: '*εἰ τοίνυν περὶ τούτου μὲν ἔδει πολεμεῖν ('ἵνα Χερρόνησον καὶ τὰς ἀποικίας καὶ τὰ ἐγκτήματα καὶ τὰ χρέα ἀπολάβωμεν'), χρήματα δὲ ὑπῆρχεν ἡμῖν ἱκανά, τοῖς δὲ σώμασιν ἦμεν δυνατοί, οὐδὲ οὕτως ἔδει πολεμεῖν.*' — XII 34. XXV 16. XXX 17. (IX) 10. (XX) 30 (2). X 20: '*ἀλλ' εἰ μὴ σιδηροῦς ἐστιν, οἴομαι αὐτὸν ἔννουν γεγονέναι, ὅτι τὰ μὲν πράγματα ταὐτά ἐστι νῦν τε καὶ πάλαι, τῶν δὲ ὀνομάτων ἐνίοις οὐ τοῖς αὐτοῖς χρώμεθα νῦν τε καὶ πρότερον.*' Orator iudicat, Theomnestum percipere, res ipsas easdem tunc et olim esse, uerborum uero quorundam usum non permansisse, percipere ea condicione, ne plumbeus sit, id quod minime ignorabat orator; inest huic protasi uis quaedam ironica, orator ponit, aliquid non esse, quod esse non posse pro certo habet cf. (XX) 12.

2) Apodosis futuri est: XXV 2. (XIV) 19: '*εἰ δ' ἐκεῖνοι δοκοῦσι βελτίους εἶναι σώζοντες τοὺς φίλους, δῆλον ὅτι καὶ ὑμεῖς ἀμείνους δόξετε εἶναι τιμωρούμενοι τοὺς ἐχθρούς.*' In protasi latet affirmatio, quod re uera ii boni existimari solent, qui saluti amicorum prospiciunt.

Restant exemplum apodosis in praeterito collocatae, IV 5, et duo loci, ubi illa potentiali modo efficitur: XII 31: '*καίτοι εἰ χρὴ τοῖς διὰ τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν ἑτέρους ἀπολέσασι συγγνώμην ἔχειν, ἐκείνοις ἂν δικαιότερον ἔχοιτε*'· Ut XXVII 15, (XIV) 19 protasi continetur aliquid commune semperque ualens, ignosci oportere iis, qui, ne suam ipsi salutem amittant, alios perdant. Optatiuus potentialis hic quoque modeste loquentis est. — XIX 35.

Exempla Andocidea.

1) Apodosis tempore ac modo cum protasi consentit: I 56: '*εἰ οὖν οὕτως ἔχει ταῦτα, σώζεσθαί τε ἀξιῶ καὶ δοκεῖν ὑμῖν εἶναι μὴ κακός.*' Andocides quae enarrauerit, a ueritate minime abhorrere persuasum habet. II 1. 24. 26. III 16. (IV) 12.

2) Apodosis futuri est: I 24.

Alias apodosis formas non repperi nisi imperatiuum III 37 (v. p. 218).

Loci Antiphontei.

1) Apodosis indicatiuo praesentis formatur: I 1: '*νέος μὲν καὶ ἄπειρος δικῶν ἔγωγε ἔτι, δεινῶς δὲ καὶ ἀπόρως ἔχει μοι*

περὶ τοῦ πράγματος, ὦ ἄνδρες, τοῦτο μὲν εἰ ἐπισκήψαντος τοῦ πατρὸς ἐπεξελθεῖν τοῖς αὐτοῦ φονεῦσι μὴ ἐπέξειμι, τοῦτο δὲ εἰ ἐπεξιόντι ἀναγκαίως ἔχει οἷς ἥκιστα ἐχρῆν ἐν διαφορᾷ καταστῆναι, ἀδελφοῖς ὁμοπατρίοις καὶ μητρὶ ἀδελφῶν.'[1]) Memorabile hoc exemplum ideo est, quia utrique protasi diuersa uis adhaeret; atque prior continet uim meram condicionalem, nam eo ipso, quod loquens accusator interfectorum patris exstitit, patris mandata se exsequi ostendit; posteriore uero protasi ponitur aliquid cum uero rerum statu congruens, quoniam eum, qui necessarios in ius uocet, in simultatem cum illis implicari oportere patet. — I 24. V 37. V 51: '*καὶ μὲν δὴ τὰ ἐξ ἴσου γενόμενα τοῦ φεύγοντός ἐστι μᾶλλον ἢ τοῦ διώκοντος, εἴπερ γε καὶ τῶν ψήφων ὁ ἀριθμὸς ἐξ ἴσου γενόμενος τὸν φεύγοντα μᾶλλον ὠφελεῖ ἢ τὸν διώκοντα.*' Verum esse, quod protasi pronuntiatur, testimoniis ueterum confirmatur, ut Anaxim. Rhet. 18: '*τὸν μὲν νομοθέτην τάξαι τῶν ψήφων ἴσων γενομένων τὸν φεύγοντα νικᾶν — κἀκεῖνον μὲν διὰ τὸ μᾶλλον κινδυνεύειν τοὺς φεύγοντας ἀπονεῖμαι ταύτην τὴν πλεονεξίαν αὐτοῖς ἐν ταῖς ψήφοις...*'[2]) V 66. VI 32. *Ββ* 5. *Βδ* 4.

2) Apodosis in alio modo et tempore collocatae exempla desunt praeter duos locos, ubi apodosis praeteriti est: V 48: '*εἴπερ γὰρ καὶ μαρτυρεῖν ἔξεστι δούλῳ κατὰ τοῦ ἐλευθέρου τὸν φόνον, καὶ τῷ δεσπότῃ, ἂν δοκῇ, ἐπεξελθεῖν ὑπὲρ τοῦ δούλου, καὶ ἡ ψῆφος ἴσον δύναται τῷ δοῦλον ἀποκτείναντι καὶ τῷ ἐλεύθερον, εἰκός τοι καὶ ψῆφον γενέσθαι περὶ αὐτοῦ ἦν, καὶ μὴ ἄκριτον ἀποθανεῖν αὐτὸν ὑφ' ὑμῶν.*' Causalis uis protasis inde efficitur, quod re uera seruo in caedis causa testimonium contra liberum dicere licebat (cf. quae Maetznerus l. c. p. 224 adnotat). De apodosi idem dicendum est quod de apodosi alterius loci *Γγ* 4: '*εἰ γὰρ αἱ χεῖρες ἃ διανοούμεθα ἑκάστῳ ἡμῶν ὑπουργοῦσιν, ὁ μὲν πατάξας καὶ μὴ ἀποκτείνας τῆς πληγῆς βουλευτὴς ἐγένετο, ὁ δὲ θανασίμως τύπτων τοῦ θανάτου.*' Etiam in his locis inter protasin et apodosin *ἕπεται ὅτι* uel simile quid exspectes; eo tantum a prioribus se distinguunt, quod concluditur non quasi retro h. e. a re praesente ad praeteritam, sed ab uniuerso, ut ita dicam, ad rem propriam et eam quidem temporis praeteriti.

1) Rectius sic dixisse oratorem putat Gölkelius (l. c. p. 46): '*... τοῦτο μὲν εἰ ... μὴ ἐπέξειμι, τοῦτο δὲ εἰ ἐπέξειμι· οὕτω γὰρ ἀναγκαίως ἔχει ...*' Locum similem (And.) IV 38 p. 219 commemoraui. 2) Plura adfert Maetznerus p. 124 edit.

Nemo hoc genus periodorum hypotheticarum respiciens non elegantiam quandam loquendi in eo cernet, quod orator, etsi uero rerum statui id, quod sumit, non aduersari persuasum habet, nihilo minus tamen ἐπεὶ uti eaque particula affirmationem exprimere ueretur, sed uim affirmatiuam protasis dissimulat uocula condicionali anteposita, quae cum indicatiuo consociata per se incertum relinquit, utrum loquens actionem protasis ueram ducat necne; licet quidem oratori in negatiuis huiusmodi protasibus negationem οὐ adhibere eaque adhibita uim affirmatiuam protasis notare[1]); memorabile est, Antiphontem, Andocidem, Lysiam hac dicendi ratione se abstinere. — Quod Kuehnerus[2]) εἰ pro ἐπεὶ usurpari docet tum, 'wenn man den Grund nicht auf einen bestimmten Fall beziehen, sondern ihn als einen allgemein gültigen bezeichnen will', item Akenius[3]) 'um einen Grund zu verallgemeinern, dass dieser nicht bloss jetzt gelte, sondern überall wieder dasselbe bewirken werde', ostendi supra, nonnullis locis uelut Lys. XXVII 15. And. III 16 etc. hoc comprobari, minime omnibus, cum Lys. VII 8. X 20. XII 34. XIV 16. XXX 17. XXV 2. — IV 5. — XIX 35. And. I 56. II 26. -124. — III 37. Ant. I 1. 24. V 37. 66. VI 32 non de rebus uniuersis ac semper ualentibus agatur, sed de rebus, quas tunc ipsum ualere orator contendit non spectans aliud tempus. — Dicere non omittam, etiam hic saepius protasin particula εἴπερ incohari; quoniam uidimus, uim condicionalem protasis illa augeri, nonne crescit etiam elegantia dicendi, si orator praedicat, se sumere tantum aliquid, etsi affirmat?

Compluribus locis, ubi actio protasis item cum statu rerum consentit, εἰ minus uices particulae ἐπεὶ tenet quam Latinorum 'quod' idem ualentis atque uernaculum 'was das betrifft, dass'.

Lys. XIII 84: 'εἰ δὲ πάλαι δέον τιμωρεῖσθαι ὕστερον ἡμεῖς τιμωρούμεθα, τὸν χρόνον κερδαίνει ὃν ἔζη οὐ προσῆκον αὐτῷ, οἱ δὲ ἄνδρες ὑπὸ τούτου οὐδὲν ἧττον τεθνήκασιν.' Protasi Lysias repetit, quod Agoratus dixerat (§. 83: 'μήτε οὖν ταῦτα αὐτοῦ ἀποδέχεσθε, μήτε ἂν λέγῃ, ὅτι πολλῷ χρόνῳ ὕστερον τιμωρούμεθα), ut in apodosi contradicat.

Andocidis orationes exemplis carent. — Ant. VI 17: ('αἰτιῶνται δὲ οὗτοι μὲν ἐκ τούτων ὡς οὗτος ἐκέλευσε πιεῖν τὸν παῖδα τὸ φάρμακον ἢ ἠνάγκασεν ἢ ἔδωκεν...) καὶ εἴ φασιν ἀδικεῖν εἴ τις ἐκέλευσεν, ἐγὼ οὐκ ἀδικῶ· οὐ γὰρ ἐκέλευσα. καὶ εἴ φασιν ἀδικεῖν εἴ τις ἠνάγκασεν, ἐγὼ οὐκ ἀδικῶ· οὐ γὰρ ἠνάγκασα.

1) Aken. l. c. p. 161. 2) gr. II p. 983. 3) l. c. p. 161.

καὶ εἰ τὸν δόντα τὸ φάρμακόν φασιν αἴτιον εἶναι, ἐγὼ οὐκ αἴτιος· οὐ γὰρ ἔδωκα.' Quae protulerant aduersarii, non comperimus V 78: '*εἰ δ' ἐν Αἴνῳ χωροφιλεῖ, τοῦτο* (*ποιεῖ*) *οὐκ ἀποστερῶν γε τῶν εἰς τὴν πόλιν ἑαυτὸν οὐδενὸς οὐδ' ἑτέρας πόλεως πολίτης γεγενημένος, ὥσπερ ἑτέρους ὁρῶ*...' Nihil autem obstat, quominus aduersarios patrem dicentis calumniantes in eo offendere, quod ille Aeni quam Mytilenis uersari mallet, credamus spectantes apodosin, ubi defenditur consuetudo patris a filio. — Protasi orator recurrit ad id, quod ipse antea exposuit, *Bδ* 9: '*εἰ δὲ αὐθέντης ἐκ τῶν λεγομένων ἐπιδείκνυται, οὐχ ἡμεῖς αὐτῷ οἱ λέγοντες αἴτιοί ἐσμεν, ἀλλ' ἡ πρᾶξις τῶν ἔργων*' cf. §. 8. Quod Albertus Winter[1]) locos adfert, in quibus condicio non ad rem ipsam pertineat, sed ad eius, in quem oratio conuersa est, uel cognitionem uel animi affectum, huiusmodi exemplum exstat And. I 113: '*ἔλεξαν γάρ, εἰ μέμνησθε, ὅτι αὐτώ με τὼ θεὼ παραγάγοιεν ὥστε θεῖναι τὴν ἱκετηρίαν μὴ εἰδότα τὸν νόμον, ἵνα δῶ δίκην.*' Luce clarius est, non eam inter sententiam primariam et secundariam locum habere rationem, ut ex recordatione audientium orator concludat, accusatores dixisse illum a deis ipsis adductum esse, ut ramum deponeret; hoc potius dicit: 'contenderunt enim illi, si meministis h. e. sumo uos meminisse, a deis ipsis me impulsum esse' etc. Quoniam sententia '*ἔλεξαν γάρ*... *ὅτι αὐτώ με τὼ θεὼ παραγάγοιεν*' ex nulla condicione pendet, Winterus p. 7 apodosin efficiendam esse putat uerbo *λέγω* uel simili, Ferdinandus Petri[2]) loco simili, Arist. Eccles. us. 21, uertit: 'ich nehme an, ihr erinnert euch noch', nihil supplendum esse censens; cerni potius hic aequabilitatem membrorum, quae primo enuntiatis condicionalibus inerat. Hoc rectum esset, si indicatiuus protasis eandem uim haberet atque in enuntiatis liberis, id quod contendit Petri, quasi 'sumo uos meminisse' idem sit quod 'affirmo uos meminisse'. Equidem Andocidem ellipsi quadam usum esse existimauerim; accuratius sic fere locutus sit: '*εἰ μέμνησθε, εὑρήσετε, εἴσεσθε* uel simile quid, *ὅτι ἔλεξαν* (*οἱ κατήγοροι*)' etc. Praeposita apodosi periculum erat, ne accuratiore ratione dicendi tardior fieret cursus orationis, id quod euitare studens breuius loquebatur Andocides. — Apud eundem repperi duo exempla generis periodorum hypotheticarum apud tragicos haud rari, ubi quis, num ea, quae aut modo pronuntiauit aut pronuntiaturus est, uel dicere uel optare uel interrogare sibi liceat uel opus sit, dubitat idque indicat tali-

1) l. c. p. 7. 2) l. c. p. 1.

bus: εἰ θέμις, εἰ χρή, εἰ χρεών cf. Winter l. c. p. 8. And. I 139: 'εἴπερ οὖν δεῖ τὰ τῶν θεῶν ὑπονοεῖν, πάνυ ἂν αὐτοὺς οἶμαι ἐγὼ ὀργίζεσθαι καὶ ἀγανακτεῖν, εἰ τοὺς ὑφ' ἑαυτῶν σῳζομένους ὑπ' ἀνθρώπων ἀπολλυμένους ὁρῷεν.' (IV) 34. Tertium exemplum praebent tetralogiae, Δδ.2: 'καινότατα γὰρ δή, εἰ χρὴ καινότατα μᾶλλον ἢ κακουργότατα εἰπεῖν, διαβάλλουσί με', quartum Lys. Erot. 231 C: 'ἔτι δὲ εἰ διὰ τοῦτο ἄξιον τοὺς ἐρῶντας περὶ πολλοῦ ποιεῖσθαι, ὅτι τούτους μάλιστά φασι φιλεῖν ὧν ἂν ἐρῶσι..., ῥάδιον γνῶναι...'

Semel protasis ad unam uocem referenda est, cuius uim accuratius significat: And. I 140: 'ἐπειδὴ τοίνυν παρὰ πάντων ὁμολογουμένως ταῦθ' ὑμῖν ὑπάρχει, καὶ εἴ τις φίλος ὢν τυγχάνει καὶ εἴ τις ἐχθρός, μὴ μεταγνῶτε, μηδὲ βούλεσθε τὴν πόλιν ἀποστερῆσαι ταύτης τῆς δόξης, μηδὲ αὐτοὶ δοκεῖν τύχῃ ταῦτα μᾶλλον ἢ γνώμῃ ψηφίσασθαι.' Apodosis uoce 'πάντων' formatur, cuius notio adiuncta protasi dissoluitur atque illustratur.

§ 2. In protasi εἰ cum indicatiuo futuri iunctum exstat.

Loquens sumit, aliquid postea euenturum esse, unde aliud concludit; quoniam de rebus futuris plerumque incerti sumus, facile intellegitur, si quidem exempla occurrant, ubi quis actionem protasis ad effectum perductum iri iam antea persuasum habet, multo tamen rariora esse quam in superiore classe enuntiatorum condicionalium. Atque in his locis protasi magis causalis uis quam condicionalis inest:

Lysias.

XXXIV 2: 'καίτοι τί ἔδει φεύγοντας κατελθεῖν, εἰ χειροτονοῦντες ὑμᾶς αὐτοὺς καταδουλώσεσθε;' Audientium sententiam eo inclinare, ut suffragio se in seruitutem redacturi sint, orator persuasum habet, quippe qui modo professus sit: '... ὑμῶν δὲ τῶν ἀκροωμένων sc. θαυμάζω, ὅτι πάντων ἐστὲ ἐπιλησμονέστατοι ἢ πάσχειν ἑτοιμότατοι κακῶς ὑπὸ τοιούτων ἀνδρῶν...' XII 74: 'μετ' ἐκεῖνον δὲ Λύσανδρος ἀναστὰς ἄλλα τε πολλὰ εἶπε καὶ ὅτι παρασπόνδους ὑμᾶς ἔχοι, καὶ ὅτι οὐ περὶ πολιτείας ὑμῖν ἔσται ἀλλὰ περὶ σωτηρίας, εἰ μὴ ποιήσεθ' ἃ Θηραμένης κελεύει.'[1])

1) Sic legunt Scheibius, Frohbergerus, alii Cobeto auctore contra Palatini auctoritatem exhibentis 'ποιήσαιθ'' et 'κελεύοι'. Scriptura tradita fulcitur XIII 25: '... καὶ αὐτοὶ ἔφασαν συνεκπλευσεῖσθαι, ἕως τὰ πράγματα κατασταίη, λέγοντες ὅτι, εἰ κομισθείη εἰς τὴν βουλήν, βασανιζόμενος ἴσως ἀναγκασθήσεται ὀνόματα εἰπεῖν Ἀθηναίων...' Alia exempla modorum in oratione obliqua uarietatis affert Gebauer. (ed. Frohb. I²

Lysander pro uero ponit, ciues Athenienses Theramenis iussis non oboedituros esse, id quod illos ostendisse uerba §i praecedentis argumento sunt: '*ὑμεῖς δ' ὅμως καὶ οὕτω διακείμενοι ἐθορυβεῖτε ὡς οὐ ποιήσοντες ταῦτα* sc. *ἃ Θηραμένης ὑμᾶς ἐκέλευσεν.*' XII 83: '*ἀλλὰ γὰρ εἰ τὰ χρήματα τὰ φανερὰ δημεύσετε, καλῶς ἂν ἔχοι τῇ πόλει...*' Auctoritatem codicum reliquit atque optatiuum protasis legi uoluit Reiskius, cum indicatiuum futuri in enuntiato condicionali, praesertim ubi potentialis apodosis sequitur, tolerare non posset; uelut III 43 optatiuum in protasi restituit. (de quo loco infra agam). Recentiorum Gebauerus (l. c. p. 285) accuratius de hoc loco difficili egit; uenit ad hanc summam, ut uicissitudinem constructionis (periodus hypothetica antecedens atque huic respondens praebet *εἰ* c. opt.) tantum ex uariandi studio oratoris explanari posse iudicet; tunc uero Lysiam scripturum fuisse '*δημεύσετε*' — '*ἕξει*'; ceterum '*δημεύσαιτε*' etiam XIX 38 in '*δημεύσετε*' corruptum esse. Recte quidem; unde uero non sequitur, etiam hic mutari debere; id eo minus, quia codicum lectio bene potest explicari. Atque optime Meutznerus[1]) ostendit, Lysiam, ut tunc status rerum erat, scire posse, maiorem partem iudicum non extremam poenam in Eratosthenem decernere uelle; a parte iudicum illum etiam absolutum iri, Lysiam prouidisse e §o 100 orationis concludi debet. Latet igitur in protasi, ubi Lysias ponit, a magna parte iudicum reum non capitis damnandum, sed bonis tantum priuandum censeri, affirmatio. Recte Meutznerus indicatiuo futuri protasis notionem uoluntatis attribuit[2]), id quod etiam in XII 74. XXXIV 2 quadrat. — XXIX 5. XXXII 25. (XV) 8.

Orationes Andocidis uacant exemplis.

Antiphon.

Αβ 4: '*εἰ γὰρ τούτων ἀναιτίων δοκούντων εἶναι ἐν ἐμοὶ τἀδίκημα φανεῖται, τούτων ὑπόπτων ὄντων ἐγὼ δικαίως ⟨ἂν⟩ καθαρὸς δοκοίην εἶναι.* Vis affirmatiua, qua protasis praedita est, elucescit periodum sic legenti: '*εἰ μὲν γὰρ οὗτοι ἀναίτιοι δοκοῦσιν (δόξουσιν) εἶναι, ἐν ἐμοὶ τἀδίκημα φανεῖται* — hoc euenturum esse orator exploratum habet — *εἰ δὲ ὕποπτοί εἰσιν, ἐγὼ δικαίως ⟨ἂν⟩ καθαρὸς δοκοίην εἶναι.*' —

p. 278), qui coniecturam Cobeti recepit, propterea quod tum modi semel tantum mutantur; equidem emendationem ob id etiam probo, quia librarius parum diligenter transscribens propter antecedentes optatiuos (*μέλοι, εἰ δεί̄η, λέγοι, ἔχοι*) facile quoque '*ποιήσαιθ'*' et '*κελεύοι*' scribere poterat. 1) N. J. f. P. uol. 91. p. 684. 2) Cf. Aken. l. c. p. 145.

Haud maior numerus eorum locorum est, ubi orator fingens aliquam rem factum iri non inscius est, uerum rerum statum longe alium fore.

Lys. XII 70: '*ὁ δὲ (Θηραμένης) ὧν μὲν ὑπέσχετο οὐδὲν ἔπραξεν… εὖ εἰδὼς ὅτι, εἰ μὴ πασῶν τῶν ἐλπίδων ἀποστερηθήσεσθε, ταχεῖαν παρ' αὐτοῦ τὴν τιμωρίαν κομιεῖσθε.*' Theramenes non ignorabat, Athenienses moenibus dirutis atque commutato rei publicae statu omnem spem salutis amissuros esse. XXII 17: '*εἰ γὰρ ἀπογνώσεσθε ὁμολογούντων αὐτῶν ἐπὶ τοὺς ἐμπόρους συνίστασθαι, δόξεθ' ὑμεῖς ἐπιβουλεύειν τοῖς εἰσπλέουσιν.*' Orator faciens, frumentarios absolutum iri, persuasit sibi, hoc non euenturum esse, id quod confirmatur praegrediente periodo, qua plenus fiduciae liberationem frumentariorum non modo non factum iri, sed ne posse quidem fieri affirmat. XXII 17 (paulo infra). XXIV 3. XXIX 2. (II) 45: '*εἰ γὰρ αὐτοὶ ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων προδιδόμενοι μετὰ τῶν βαρβάρων ἔσονται, οὔτ' ἐκείνοις δεήσειν χιλίων νεῶν οὔτε τούτους ὠφελήσειν τὸ ἐν Ἰσθμῷ τεῖχος*'· Athenienses hanc condicionem proponentes id maxime egerunt, ut Lacedaemonios reuocarent a consilio, quo ceteros Graecos barbaris tradere non uerebantur; nam semet ipsos nunquam a barbarorum partibus staturos esse, Atheniensibus erat persuasum. (XIV) 25: '*οὗτος γὰρ… ἔπινε μὲν… ἐκώμαζε δὲ… ἡγούμενος οὐκ ἂν δύνασθαι πρεσβύτερος ὢν λαμπρὸς γενέσθαι, εἰ μὴ νέος ὢν πονηρότατος δόξει εἶναι.*'[1]) Alcibiades sic cogitauerit: '*οὐκ ἂν δυναίμην πρεσβύτερος ὢν λαμπρὸς γενέσθαι, εἰ μὴ νέος ὢν πονηρότατος δόξω εἶναι.*' Moribus uiuendique ratione Alcibiadis comprobatur, persuasum habuisse illum, contrarium protasis factum iri. — (XIV) 11.

And. I 53: '*καὶ τοῖς μὲν οὐδέπω βέβαιος ἦν ἡ σωτηρία, τοῖς δὲ ἐμοῖς οἰκείοις φανερὸς (ὁ) ὄλεθρος, εἰ μή τις ἐρεῖ Ἀθηναίοις τὰ γενόμενα.*' Andocides narrat, quibus deliberationibus post adhortationes Charmidis consobrini atque ceterorum commotus

1) Scriptura '*δόξει*' exhibetur compluribus codicibus minoris pretii, commendatur lectione praestantissimi codicis '*δείξει*'; in codice Laurentiano legitur '*δόξειεν*', quod recepit maior pars editorum. Auctoritatem Palatini seruari posse censeo cum Westermanno et Frohbergero, qui loco Demosthenico XXII 25 adiungere potuit Lys. (II) 22. 32. 45. Si Bremius, excursu ad Lysiam VII. usum particulae *εἰ* c. fut. coniunctae contra Reiskium et Bekkerum defendens, praestantiam Palatini pro explorato habuisset, nego eum secuturum fuisse Bekkerum cum Laurentiano, quem optimum duxit, '*δόξειεν*' legentem.

sit, ut nomina sontium indicaret atque ita necessarios trecentosque Athenienses certo liberaret supplicio, quas deliberationes primo (§. 51) oratione recta profert, deinde oratione obliqua; hic uero quasi recurrit cogitatione ad illud tempus, quo ipse in uincula coniectus iudicium facere constituit; atque tum ita rem secum considerauerit: '*καὶ τοῖς μὲν οὐδέπω βέβαιος ἔσται ἡ σωτηρία, τοῖς δὲ ἐμοῖς*' etc.; quod Atheniensibus res gestas aperuit (nomina sontium indicauit), facile intellegitur, quali ui affecta sit protasis.

Loci Antiphontei desiderantur.

Longe maxima parte exemplorum loquens nescit, utrum actio protasis ad effectum uentura sit necne, aut ueritatis nullam habet rationem, sumens tantum, ut inde concludat.

Lys. XXVII 7: '*ἥκουσι δὲ πάντες οἱ τὰ τῆς πόλεως πράττοντες οὐχ ἡμῶν ἀκροασόμενοι, ἀλλ' ὑμᾶς εἰσόμενοι ἥντινα γνώμην περὶ τῶν ἀδικούντων ἕξετε. ὥστ' εἰ μὲν ἀποψηφιεῖσθε τούτων, οὐδὲν δεινὸν δόξει αὐτοῖς εἶναι ὑμᾶς ἐξαπατήσαντας ἐκ τῶν ὑμετέρων ὠφελεῖσθαι· ἐὰν δὲ καταψηφισάμενοι θανάτου τιμήσητε.*' Utram sententiam iudices laturi sint, orator adhuc ignorat. De differentia, quae inter priorem et posteriorem protasin intercedit, disputabo tractans enuntiata condicionalia per *ἐὰν* formata. XXI 25: '*... ἀξιῶ ... ὑμᾶς νυνὶ ἐν τῷ θαρραλέῳ ὄντας ἐμὲ καὶ τοὺς παῖδας τούτους περὶ πολλοῦ ποιήσασθαι, ἡγουμένους ἡμῖν μὲν δεινὸν ὑμῖν δὲ αἰσχρὸν εἶναι, εἰ ἀναγκασθησόμεθα ἐπὶ τοιαύταις αἰτίαις ἄτιμοι γενέσθαι*' ... Non debet hoc exemplum cum iis commisceri, ubi apodosis praedicatiue et uocula *εἰ* pro *ὅτι* posita est, — quae separatim tractabo —, nondum enim loquens affirmare potest, utrum infamis discessurus sit necne. XXVII 13: ('*εἰ μὲν ἀδικεῖν τούτους μηδὲν νομίζουσιν ..., οὕτως πείθειν ὑμᾶς ἀποψηφίσασθαι* sc. *ἀξιῶ*)· *εἰ δὲ νομίσαντες ἀδικεῖν αἰτήσονται* — breuius dictum pro *εἰ δὲ νομίζουσιν ἀδικεῖν* (*τούτους*) *καὶ* (*ὅμως*) *αἰτήσονται* — *δῆλον ὅτι τοῖς ἀδικοῦσιν εὐνούστεροί εἰσιν ἢ ὑμῖν τοῖς ἀδικουμένοις ...*' In hac quoque protasi — de priore egi p. 214 — orator sumit tantummodo indeque concludit nullo ueritatis respectu. — Sufficiant haec exempla ad uim condicionalem protasis illustrandam.

Variorum generum apodosis id principem locum obtinere consentaneum est, ubi apodosis tempore ac modo cum protasi congruit; condicionem futuri temporis conclusio ex illa suspensa sequi debet in tempore futuro. Interdum autem is, qui loquitur, discedit a logicae rationis uia in dicendo et protasi apodosin in tempore praesenti collocatam adiungit, uelut Lys. XIII 93: '*εἰ γὰρ ἀποψηφι-*

εἴσθε Ἀγοράτου τουτουΐ, οὐ μόνον τοῦτο διαπράττεσθε, ἀλλὰ καὶ ἐκείνων τῶν ἀνδρῶν, οὓς ὁμολογεῖτε ὑμῖν εὔνους εἶναι, τῇ αὐτῇ ψήφῳ ταύτῃ θάνατον καταψηφίζεσθε.' Orator efficaciter indicatiuis praesentis utitur; exprimere studens, certissime res conclusas euenturas esse, obliuiscitur, eas a futura demum actione aptas esse cf. Kuehner. gr. II p. 119: '... zuweilen werden rein zukünftige Handlungen als gegenwärtige durch das Präsens bezeichnet, wenn der Redende das noch in der Zukunft Liegende entweder in der Lebendigkeit der Auffassung oder in der festen Ueberzeugung von dem Eintreten desselben als ein schon Gegenwärtiges anschaut.' Huc spectat etiam XXVII 13 (u. p. 230), nam si post '*δῆλον*' supplendum esset '*ἔσται*', nego oratorem omissurum fuisse; saepissime autem in eiusmodi uocibus uerbum '*ἐστίν*' deest. Loco indicatiui participium praesentis munere apodosis fungitur X 22: '*ἐγὼ δὲ ἑωρακὼς μὲν ἐκεῖνο τοῦτον ποιήσαντα...*, *αὐτὸς δὲ σώσας τὴν ἀσπίδα, ἀκηκοὼς δὲ οὕτως ἄνομον καὶ δεινὸν πρᾶγμα, μεγίστης δὲ οὔσης μοι τῆς συμφορᾶς, εἰ ἀποφεύξεται, τούτῳ δ' οὐδενὸς ἀξίας, εἰ κακηγορίας ἁλώσεται, οὐκ ἄρα δίκην παρ' αὐτοῦ λήψομαι;*' Exspectetur '*ἐσομένης*' scriptum, sed orator ira incensus logicam dicendi rationem neglegit, conclusionibus eo maiorem uim tribuens. Accedunt XXI 25 (u. p. 230). XVIII 15. XXX 16. (VI) 13. (XIV) 23. Sufficere iudico hos locos ad auctoritatem codicum XXIV 13 defendendam, ubi Frohbergerus[1]) legi noluit: '*καίτοι εἰ τοῦτο πείσει τινὰς ὑμῶν, ὦ βουλή, τί με κωλύσει* (libri *κωλύει*) *κληροῦσθαι τῶν ἐννέα ἀρχόντων* ...;' Paulo aliter res se habet And. III 21: '*καὶ γὰρ εἴ τις ὑμῶν ἀχθεσθήσεται, παραιτοῦμαι*'· hic quidem indicatiuus praesentis non rhetorice adhibitus est, sed suum locum habet, cum orator dicere uelit: 'si quis uestrum aegre feret (ea, quae commemorabo), ueniam deprecor sc. iam nunc, antequam uerba faciam. Item differentia temporum protasis et apodosis naturalis est (IV) 36: '*οὕτω γὰρ χαλεπός ἐστιν, ὥστε οὐ περὶ τῶν παρεληλυθότων ἀδικημάτων αὐτὸν τιμωροῦνται ἀλλ' ὑπὲρ τῶν μελλόντων φοβοῦνται, καὶ τοῖς μὲν πεπονθόσι κακῶς ἀνέχεσθαι λυσιτελεῖ, τούτῳ δὲ οὐκ ἐξαρκεῖ* sc. *νῦν, εἰ μὴ καὶ τὸ λοιπὸν ὅ,τι ἂν βούληται διαπράξεται.*'

Apud Antiphontem nullum exemplum huius efficacis locutionis repperi.

Indicatiuus praeteriti in apodosi etiam hic per ellipsin expla-

1) Philol. XXIX p. 625.

natur, ut Lys. XXXIV 2 accuratius oratori sic loquendum fuerit: '*καίτοι τί ἄλλο ἕψεται ἢ ὅτι οὐκ ἔδει φεύγοντας κατελθεῖν, εἰ χειροτονοῦντες ὑμᾶς αὐτοὺς καταδουλώσεσθε;*' Indicatiuus perfecti scriptus uidetur in codicibus Lys. XXIX 5: ('*ἡγοῦμαι δέ, ὦ ἄνδρες δικασταί, Φιλοκράτει δύο εἶναι καὶ μόνας ἀπολογίας· προσήκει* (Palat. *προσήκειν*) *γὰρ αὐτῷ ἀποδεῖξαι ἢ ἑτέρους ἔχοντας τὰ Ἐργοκλέους χρήματα, ἢ ἀδίκως ἀπολωλότα ἐκεῖνον καὶ οὐδὲν ὑφῃρημένον τῶν ὑμετέρων οὐδὲ δεδωροδοκηκότα·*) *εἰ δὲ τούτων μηδέτερον ποιήσει, δέδοκται καταψηφίζεσθαι, καὶ μὴ τοῖς μὲν παρὰ τῶν ἄλλων λαμβάνουσιν ὀργίζεσθαι, τοῖς δὲ τὰ ὑμέτερ' αὐτῶν ἔχουσι συγγνώμην ἔχειν.*'[1])

Saepius modus potentialis reperitur in apodosi et imprimis tum, cum euentus rei sumptae loquenti incertus est; tum conclusionem quoque minus firmam reddi admodum conuenit. Lys. III 43. VII 41. X 10. XIII 94. (XV) 3.

Andocidis orationes uacant exemplis. — Ant. V 90: '*πῶς ἂν οὖν ὀρθῶς δικάσαιτε περὶ αὐτῶν; εἰ τούτους τε ἐάσετε τὸν νομιζόμενον ὅρκον διομοσαμένους κατηγορῆσαι, κἀμὲ περὶ αὐτοῦ τοῦ πράγματος ἀπολογήσασθαι.*' Protasi orator ad id, quod interrogauit iudices apodosi, respondet. Merito Paulus Polack (l. c. p. 40) refutauit lectionem Cobeti (Mnemos. N. S. VIII p. 283): '*εἰ τούτους τε ἐάσαιτε*'; 'ob praecedens *δικάσαιτε* necesse est scribere *ἐάσαιτε*', afferens *Αβ* 4, cui loco accedunt omnes, quos modo commemoraui. — *Αβ* 4. *Γδ* 3.

1) Scriptura tradita (*δέδοκται*) offendebat iam Emperium, qui permirum esse censuit, oratorem scire, quid iudices apud animum constituerint; scripsit '*δεδόχθαι*', suspensum e uerbo periodi antecedentis '*προσήκει*'; ex quo uero constat, in codice optimo scriptum fuisse '*προσήκειν*' ab *ἡγοῦμαι* aptum, '*δεδόχθαι*' quoque ad uocem '*ἡγοῦμαι*' referri debet, quod uero Franckeno displicuit propter interpositum infinitiuum *προσήκειν*; deinde sequentia ('*καὶ μὴ τοῖς μὲν — ὀργίζεσθαι, τοῖς δὲ — συγγνώμην ἔχειν*') ad irritandos iudices dicta esse, non ad referendum, quid apud iudices constitutum esset; Franckenus Dobraeo assentiens necessitatis notionem apodosi inserendam esse proposuit (Comm. Lys. p. 230) '*δεῖ αὐτοῦ*'; sed tam firma fiduciaeque plena ratio dicendi facile iudices exacerbare potuit, quam ob rem praefero '*δέομαι*'. Ceterum quod Baiterus '*δεδόχθαι*' abesse maluit, ut ad '*καταψηφίζεσθαι*' supplendum sit '*προσήκειν*' — rectius *προσήκειν ὑμῖν*' propter antecedens '*προσήκειν γὰρ αὐτῷ*', — ad id '*ἡγοῦμαι*', huius audacioris dictionis exempla erant proferenda. Melius abesset '*δεδόχθαι*', si antea restituimus indicatiuum '*προσήκει*'; sed etiam tum desideratur pronomen '*ὑμῖν*'. Gölkelius l. c. p. 15 infinitiuo *δεδόχθαι* adhaerere uim imperatiui censet; quae adfert ex Herodoto, Antiphonte, ualde differunt ab hoc loco.

Unum exemplum apodosis in imperatiuo collocatae exstat And. I 103: '*εἰ οὖν ἐμοῦ καταψηφιεῖσθε, ὁρᾶτε μὴ οὐκ ἐμοὶ μάλιστα τῶν πολιτῶν προσήκει λόγον δοῦναι τῶν γεγενημένων, ἀλλὰ πολλοῖς ἑτέροις μᾶλλον . . .*' Albertus Winter l. c. p. 22 indicatiuum futuri protaseos, imperatiuo in apodosi locum habente, primum de iis poni docet, quae futura esse iam nunc constet; id quod huc non quadrat, cum orator nesciat, utrum actio protasis euentura sit necne. Deinde indicatiuum futuri adhibendum esse in iis Winterus iudicat, in quibus non futura rerum condicio respiciatur, sed perficiendae actionis uoluntas, quae alteri iam nunc sit. Andocidis uero minus interest, quid ipsi iudices facere in animo habeant — quamquam notionem uoluntatis saepe indicatiuo futuri tribui posse uidimus — quam quid facturi sint, utrum liberaturi an condemnaturi ipsum sint; si hoc fiat, hortatur illos, ut uideant, nonne multis aliis ciuibus magis quam ipsi ratio rerum gestarum reddenda sit. Accedit, quod orator minime exploratum habet, num iudices uoluntate ipsius perdendi sint praediti.

§. 3. *εἰ* cum indicatiuo perfecti.

Priusquam transeam ad enuntiata condicionalia in historicis temporibus collocata, afferam paruum numerum eorum locorum, in quibus particulam *εἰ* indicatiuus perfecti sequitur.

De rebus actis quoniam certi quid scire solemus, nempe aut ad effectum perductas esse aut non euenisse, mirari non debemus, quod maiore exemplorum parte protasis factum continet aut loquens fingit rem accidisse, non ignarus sumptionem a ueritate abhorrere.

Lys. XIII 92: '*εἰ τοίνυν τι ἐκεῖνοι ἀγαθὸν τὴν πόλιν ἢ τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον φανεροί εἰσι πεποιηκότες, ἃ καὶ αὐτοὶ ὑμεῖς ὁμολογεῖτε, ἀνάγκη ὑμᾶς ἐστι πάντας ἐκείνοις φίλους καὶ ἐπιτηδείους εἶναι, ὥστε οὐδὲν μᾶλλον ἡμῖν ἢ καὶ ὑμῶν ἑνὶ ἑκάστῳ ἐπέσκηψαν.*' Ex intercalato enuntiato '*ἃ καὶ αὐτοὶ ὑμεῖς ὁμολογεῖτε*' apparet, protasi non sumi tantum, sed affirmari. XXIV 21: '*εἰ γὰρ ὑπὲρ τῶν μεγίστων εἴρηκα, τί δεῖ περὶ τῶν ὁμοίως τούτῳ φαύλων σπουδάζειν;*' Re uera orator '*ὑπὲρ τῶν μεγίστων*' uerba fecit, a §o 4—14. VII 5. XXII 2. XXVI 7.

And. I 33: ('*εἰ μέν τι ἠσέβηκα ἢ ὡμολόγηκα ἢ ἐμήνυσα κατά τινος ἀνθρώπων, ἢ ἄλλος τις περὶ ἐμοῦ, ἀποκτείνατέ με· οὐ παραιτοῦμαι·*) *εἰ δὲ οὐδὲν ἡμάρτηταί μοι . . ., δέομαι ὑμων αὐτὸ φανερὸν τοῖς Ἕλλησι πᾶσι ποιῆσαι, ὡς ἀδίκως εἰς τόνδε*

τὸν ἀγῶνα κατέστην.' Andocidem non fingere, sed profiteri innocentiam suam, negatione οὐδὲν in protasi adhibita demonstratur (cf. quae de usu negationis in huiusmodi periodis hypotheticis protuli p. 225). Protasis cum uero rerum statu consentit etiam I 148: 'μὴ τοίνυν, εἰ αὐτοὶ sc. οἱ πρόγονοι οἱ ἐμοὶ τεθνᾶσι, καὶ περὶ τῶν πεπραγμένων αὐτοῖς ἐπιλάθησθε, ἀλλ' ἀναμνησθέντες τῶν ἔργων νομίσατε τὰ σώματα αὐτῶν ὁρᾶν αἰτουμένων ἐμὲ παρ' ὑμῶν σῶσαι.' Patet illud cum ex uerbis 'νομίσατε τὰ σώματα αὐτῶν ὁρᾶν' tum inde, quod Andocides paulo supra docuit, se unum superstitem esse e familia antiquissima.

Ant. Βδ 2: 'ἐγὼ δέ, εἰ μέν τι ψεῦδος εἴρηκα, ὁμολογῶ καὶ τὰ ὀρθῶς εἰρημένα προσδιαβάλλειν ἄδικα εἶναι· εἰ δ' ἀληθῆ μέν, λεπτὰ δὲ καὶ ἀκριβῆ, οὐκ ἐγὼ ὁ λέγων ἀλλ' ὁ πράξας τὴν ἀπέχθειαν αὐτῶν δίκαιος φέρεσθαί ἐστι.' In altera protasi exstat id, quod orator falsum, in altera id, quod uerum esse persuasum habet. — Secernendi sunt loci huiusmodi: Lys. XXII 5 accusator unum ex reis frumentariis sic interrogat: 'ἄλλο τι οὖν ἄξιοῖς ἢ ἀποθανεῖν, εἴ τι πεποίηκας παρὰ τοὺς νόμους, ἐφ' οἷς θάνατος ἡ ζημία;' Utrum reus tunc peccauerit necne, orator minime respicit, sed in uniuersum facit, eum commisisse facinus aliquod capitale. Item nullo ueritatis respectu ponitur indeque concluditur XXV 6: 'ἐγὼ δὲ οὐχ ἡγοῦμαι δίκαιον εἶναι οὔτε εἴ τινες τῇ πόλει πολλῶν ἀγαθῶν αἴτιοι γεγένηνται, ἄλλους τινὰς ὑπὲρ τούτων τιμὴν ἢ χάριν κομίσασθαι παρ' ὑμῶν, οὔτ' εἴ τινες πολλὰ κακὰ εἰργασμένοι εἰσίν, εἰκότως ἂν δι' ἐκείνους τοὺς μηδὲν ἀδικοῦντας ὀνείδους καὶ διαβολῆς τυγχάνειν.' Eodem referendum est And. II 24: 'πείθεσθε οὖν μοι, καὶ ἤδη παύσασθε εἴ τῳ ὑμῶν διάβολόν τι ἐν τῇ γνώμῃ περὶ ἐμοῦ παρέστηκεν.' Silentio non praeteream, hic quidem differentiam inter imperatiuum praesentis et aoristi reperiri, si ita uertimus: 'lasst Euch nun von mir zureden (actio durans) und lasst nunmehr einmal von den Verläumdungen, die etwa bei einem von Euch noch bestehen, ab' (actio momentanea).

Ant. VI 19: 'ὅπου δὲ πρῶτον μὲν αὐτοὶ οἱ κατήγοροι ὁμολογοῦσι μὴ ἐκ προνοίας μηδ' ἐκ παρασκευῆς γενέσθαι τὸν θάνατον τῷ παιδί, ἔπειτα ... ἐναντίον μαρτύρων πολλῶν, καὶ ἀνδρῶν καὶ παίδων, καὶ ἐλευθέρων καὶ δούλων, ἐξ ὧνπερ καὶ εἴ τίς τι ἠδίκηκε, φανερώτατος ἂν εἴη ...' Exemplum complexionis (u. p. 215) cernitur Γβ 6: ...'ἐγὼ μὲν οὐδενὶ τρόπῳ φονεὺς αὐτοῦ εἰμί, ὁ δὲ ἀποθανών, εἰ μὲν ἀτυχίᾳ τέθνηκε, τῇ ἑαυτοῦ ἀτυχίᾳ κέχρηται — ἠτύχησε γὰρ ἄρξας τῆς πληγῆς — εἰ δ'

ἀβουλίᾳ τινί, τῇ ἑαυτοῦ ἀβουλίᾳ διέφθαρται.' — Restant duo loci Antiphontei, quorum alter εἰ idem quod nostrum 'was das betrifft, dass' ualente conspicuus est: V 85: 'εἰ δὲ δύο ἐξ ἑνὸς ἀγῶνος γεγένησθον, οὐκ ἐγὼ αἴτιος, ἀλλ' οἱ κατήγοροι.' Ut Βδ 9 (u. p. 226) orator recurrit ad id, quod antea copiosius exposuit cf. sententiam antecedentem. — And. I 113 (u. p. 226) similis est alter locus, Ββ 1: 'ἐγὼ γὰρ ἥκιστα τοιοῦτος ὢν καὶ βουλόμενος εἶναι, εἰ μὴ πολύ γε ἐψευσμαι, ὑπ' αὐτῆς τῆς συμφορᾶς ἠναγκάσθην νῦν παρὰ τὸν ἄλλον τρόπον ὑπὲρ πραγμάτων ἀπολογεῖσθαι, ὧν ἐγὼ χαλεπῶς μὲν τὴν ἀκρίβειαν ἔγνων...' Quod orator minime talis sit atque esse studeat (sc. ut audeat dicere et facere a moribus suis aliena), id non pendet ab eo, utrum opinio de se ipsum deceperit necne; enuntiatum condicionale parenthetice percipiendum est, atque uerti debet: 'ego enim, qui minime talis sum et esse studeo — nisi ualde me decepit de me opinio — ipsa calamitate coactus sum etc.' Recte Cucuelius[1]) monet, hic et Αδ 2 (u. p. 227) enuntiatione condicionali aliquid asperius dictum leniri.

Tempus perfectum et praesens in eadem protasi occurrunt And. I 70: 'εἰ δέ τίς τι ὑμῶν ποθεῖ ἢ νομίζει τι μὴ ἱκανῶς εἰρῆσθαι ἢ παραλέλοιπά τι, ἀναστὰς ὑπομνησάτω, καὶ ἀπολογήσομαι καὶ πρὸς τοῦτο.'

Protasin indicatiuo perfecti formatam saepissime sequitur in apodosi indicatiuus praesentis; apodosis in futuro collocatae exempla apud Lysiam solum, in imperatiuo et coniunctiuo dubitatiuo (III 13) apud Andocidem solum occurrunt; Antiphontis proprium est exemplum apodosis tempore ac modo cum protasi consentientis. Potentialis in apodosi Lysiae et Antiphonti communis est.

§. 4. εἰ cum indicatiuo imperfecti.

Etiam in hac classe enuntiatorum condicionalium numerus eorum locorum maximus est, quorum protasi uis magis causalis quam condicionalis inhaeret.

Lysias. XIII 79: 'ἀνάγκη δὲ ἦν στρατηγοῦ ἀνδρὸς ἀκροᾶσθαι, εἴπερ ἔμελλον σωθήσεσθαι.' Protasi latet affirmatio, cum milites saluos in patriam redire uelle consentaneum sit. XXXI 22: 'καίτοι εἰ μήτηρ ... ἐνόμιζε τοῦτον κἂν ἀπὸ τεθνεώσης φέρειν αὐτῆς, τί χρὴ ὑμᾶς περὶ αὐτοῦ διανοηθῆναι;' Matrem haud aliter de Philone filio sensisse discimus ex antecedentibus: 'ἐκείνη γὰρ τούτῳ μὲν ἠπίστησεν ἀποθανοῦσαν ἑαυτὴν ἐπιτρέψαι ...'

1) 'Essai sur la langue et le style de l'orateur Antiphon' p. 106.

XXXII 13. III 26. — Ad uim concessiuam *εἰ* accedit XIX 18: '... *καὶ εἴ τι ἦν αὐτῷ ἀργύριον, ἀνήλωσεν ἐπιθυμῶν τιμᾶσθαι.*' Ex sequentibus intellegi licet, re uera Aristophanem opibus non caruisse, quas uero illum rei publicae causa consumpsisse orator demonstrat; aduersariis, qui patrem loquentis, socerum Aristophanis, pecuniarum eius submotarum accusauerant, protasi conceditur, Aristophanem non pauperem fuisse ('und zugegeben, er war nicht mittellos'); quominus uertamus 'quotiescunque ei quid pecuniae erat', sensus non obstat, sed ratio grammatica; tunc enim in apodosi indicatiuum imperfecti exspectes, in protasi *εἰ* c. optatiuo iunctum. Res facta conceditur etiam (II) 7. Enuntiatis proprie concessiuis (u. §. 6), uocibus *εἰ καὶ* et *καὶ εἰ* formatis, hos locos propter copulatiuam uim particulae *καὶ* (XIX 18) et quia *καὶ* abest ((II) 7) non adiungam. — In numero irrealium, quae uocantur, sententiarum condicionalium habeat quis XIX 51: '*εἶτα οἱ προσήκοντες ἂν αὐτοῦ ἐν κινδύνῳ ἦσαν τῷ μεγίστῳ, εἰ ἔδει αὐτοὺς πρὸς τοσαύτην διαβολὴν ἀπολογεῖσθαι, μὴ εἰδότας μηδὲν τῶν πεπραγμένων.*' Protasi causa affertur, cur familiares Diotimi in summo sint periculo; protasis non impleta supplenda est ex iis, quae praecedunt: '*εἶτα* sc. *εἰ ἔπαθέ τι Διότιμος πρὶν καταπλεῦσαι δεῦρο, οἱ προσήκοντες*' etc. — (XX) 8: '*ἐγὼ δ' ἡγοῦμαι ἀξίους εἶναι τούτους μηδὲν πάσχειν ὑφ' ὑμῶν κακόν, εἰ ὑμῖν μὲν εὔνοι ἦσαν, ἐκείνοις δὲ οὐκ ἀπηχθάνοντο.*' Vim meram condicionalem protasi deesse negatio *οὐκ* argumento est (cf. And. I 33 p. 233). (VIII) 6. Paulo infra (§ 11) legimus: '*εἰ γὰρ ἃ μετὰ τούτων ἀδικουμένῳ μοι μηδὲν ἦν δίκαιον εἰπεῖν, ἤ που καλῶς συνέπραττον*', quem locum Gebauerus[1]) iis adnumerat, ubi *εἰ* ad uim causalem accedit, motus uocula *γάρ*, quam in huiusmodi sententiis frequentissime adhiberi recte idem docet; *εἰ γὰρ* uero etiam occurrit, ubi protasi minime causalis uis inest: Lys. XXII 17 (u. p. 229) XXIV 3. XXIX 2. (II) 45 (u. ib.) etc. Quam ob rem equidem non audeo diiudicare, quid ualeat *εἰ* (VIII) 11, loco, ut ipse Gebauerus concedit, deprauato; nam uerba tradita sensu carent. Varie uiri docti difficultatem loci sanare studuerunt; mihi probatur sententia Buermanni[2]) legentis: '(*καὶ τότε ἔγωγε αὐτῶν κατηγόρουν.*) *εἴ γ' ἄρα μετὰ τούτων δικαζομένῳ μοι μηδὲν ἦν δίκαιον εἰπεῖν, ἤ που καλῶς συνέπραττον*' et haec uerba ut adnotationem lectoris e textu remouenda esse censentis.

1) l. c. p. 71. 2) 'Des Pseudo-Lysias *κατηγορία πρὸς τοὺς συνουσιαστὰς κακολογιῶν*'. Herm. X p. 362.

Andocides. II 7: 'ὃς εἰς τοσοῦτον ἦλθον τῆς ἐμαυτοῦ δυσδαιμονίας ... ὥστ' ἀνάγκην μοι γενέσθαι δυοῖν κακοῖν τοῖν μεγίστοιν θάτερον ἑλέσθαι, ἢ μὴ βουληθέντι κατειπεῖν τοὺς ταῦτα ποιήσαντας οὐ περὶ ἐμοῦ μόνον ὀρρωδεῖν, εἴ τι ἔδει παθεῖν, ἀλλὰ καὶ τὸν πατέρα οὐδὲν ἀδικοῦντα σὺν ἐμαυτῷ ἀποκτεῖναι ...' Polackius[1]) hunc locum in enuntiatis interrogatiuis indirectis duxit; tunc uero pro 'ἔδει' exspectes uel 'δεῖ' uel 'δέοι' secundum leges grammaticas; accedit, quod nusquam uerbum ὀρρωδεῖν cum εἰ iunctum cernitur; potius protasi causa metuendi significatur ('sintemal, da ja eine Strafe unvermeidlich war'), id quod nexui sententiarum minime obstat. Liceat mihi huc referre I 54, ubi plusquamperfectum ui imperfecti praeditum exstat: 'εἰ οὖν τινι ὑμῶν, ὦ ἄνδρες, (ἢ) τῶν ἄλλων πολιτῶν γνώμη τοιαύτη παρειστήκει πρότερον περὶ ἐμοῦ, ὡς ἄρα ἐγὼ ἐμήνυσα κατὰ τῶν ἑταίρων τῶν ἐμαυτοῦ, ὅπως ἐκεῖνοι μὲν ἀπόλοιντο, ἐγὼ δὲ σωθείην — multis ciuibus hanc opinionem insedisse Andocides non ignorabat — ... σκοπεῖσθε ἐξ αὐτῶν τῶν γεγενημένων.'

Apud Antiphontem unum buiusmodi exemplum occurrit, V 61: 'ἐξῆν γὰρ αὐτῷ ἐν ἀγῶνι καὶ κινδύνῳ μεγάλῳ καταστήσαντι κατὰ τῶν νόμων τῶν ὑμετέρων ἀπολέσαι ἐκεῖνον, εἴπερ προσωφείλετο αὐτῷ κακόν, ... οὐκ ἠξίωσεν, ἀλλ' οὐδ' ἦλθεν ἐπὶ τοῦτον.' Protasis uerti debet: 'si quidem, quoniam illi (Herodi) malum (a Lycino) debebatur h. e. ille malum, poenam accipere debebat.'[2]) Ironice εἰ μὴ adhibetur Αβ 9: 'ὡς δὲ τόνδε τὸν κίνδυνον οὐκ ἀσφαλέστερον τοῦ ἀπὸ τῆς γραφῆς ἡγούμην εἶναι, ἀλλὰ πολλαπλάσιον, εἰ μὴ παρεφρόνουν, διδάξω.' Mente captum se non fuisse orator non ignorabat (cf. Lys. X 20, locum similem, p. 223).

Protasis rem uero rerum statui obstantem continentis exempla fere omnia apodosin in indicatiuo praeteriti collocatam praebent; quae cum forma non differant ab enuntiatis proprie irrealibus quae

1) l. c. p. 65. 2) Minus recte Maetznerus p. 228 uertit: 'si quidem illi malum debebat', cum medium uerbi προσοφείλειν nusquam alibi reperiatur; uersio Maetzneri quadraret in coniecturam Dobraei (Adu. I p. 150): 'εἴπερ προσώφειλέ τι ...', quae uero superuacanea est, cum Dem. XXI 77 'προσωφείλετο' eodem sensu, quo apud Antiphontem, et passiuo quidem usurpetur. Cur offendat Maetznerum notio diuturnitatis, quam Passouius uerbo tribuit, uertens loco Antiphonteo 'längst von einem Strafe verdienen', non intellego, cum etiam Thuc. I 32 et Herod. V 82 eadem notio uerbo insit.

XXXII 13. III 26. — Ad uim concessiuam εἰ accedit XIX 18: '... καὶ εἴ τι ἦν αὐτῷ ἀργύριον, ἀνήλωσεν ἐπιθυμῶν τιμᾶσθαι.' Ex sequentibus intellegi licet, re uera Aristophanem opibus non caruisse, quas uero illum rei publicae causa consumpsisse orator demonstrat; aduersariis, qui patrem loquentis, socerum Aristophanis, pecuniarum eius submotarum accusauerant, protasi conceditur, Aristophanem non pauperem fuisse ('und zugegeben, er war nicht mittellos'); quominus uertamus 'quotiescunque ei quid pecuniae erat', sensus non obstat, sed ratio grammatica; tunc enim in apodosi indicatiuum imperfecti exspectes, in protasi εἰ c. optatiuo iunctum. Res facta conceditur etiam (II) 7. Enuntiatis proprie concessiuis (u. §. 6), uocibus εἰ καὶ et καὶ εἰ formatis, hos locos propter copulatiuam uim particulae καὶ (XIX 18) et quia καὶ abest ((II) 7) non adiungam. — In numero irrealium, quae uocantur, sententiarum condicionalium habeat quis XIX 51: 'εἶτα οἱ προσήκοντες ἂν αὐτοῦ ἐν κινδύνῳ ἦσαν τῷ μεγίστῳ, εἰ ἔδει αὐτοὺς πρὸς τοσαύτην διαβολὴν ἀπολογεῖσθαι, μὴ εἰδότας μηδὲν τῶν πεπραγμένων.' Protasi causa affertur, cur familiares Diotimi in summo sint periculo; protasis non impleta supplenda est ex iis, quae praecedunt: 'εἶτα sc. εἰ ἔπαθέ τι Διότιμος πρὶν καταπλεῦσαι δεῦρο, οἱ προσήκοντες' etc. — (XX) 8: 'ἐγὼ δ' ἡγοῦμαι ἀξίους εἶναι τούτους μηδὲν πάσχειν ὑφ' ὑμῶν κακόν, εἰ ὑμῖν μὲν εὖνοι ἦσαν, ἐκείνοις δὲ οὐκ ἀπηχθάνοντο.' Vim meram condicionalem protasi deesse negatio οὐκ argumento est (cf. And. I 33 p. 233). (VIII) 6. Paulo infra (§ 11) legimus: 'εἰ γὰρ ἃ μετὰ τούτων ἀδικουμένῳ μοι μηδὲν ἦν δίκαιον εἰπεῖν, ἢ που καλῶς συνέπραττον', quem locum Gebauerus[1]) iis adnumerat, ubi εἰ ad uim causalem accedit, motus uocula γάρ, quam in huiusmodi sententiis frequentissime adhiberi recte idem docet; εἰ γὰρ uero etiam occurrit, ubi protasi minime causalis uis inest: Lys. XXII 17 (u. p. 229) XXIV 3. XXIX 2. (II) 45 (u. ib.) etc. Quam ob rem equidem non audeo diiudicare, quid ualeat εἰ (VIII) 11, loco, ut ipse Gebauerus concedit, deprauato; nam uerba tradita sensu carent. Varie uiri docti difficultatem loci sanare studuerunt; mihi probatur sententia Buermanni[2]) legentis: '(καὶ τότε ἔγωγε αὐτῶν κατηγόρουν.) εἴ γ' ἄρα μετὰ τούτων δικαζομένῳ μοι μηδὲν ἦν δίκαιον εἰπεῖν, ἧ που καλῶς συνέπραττον' et haec uerba ut adnotationem lectoris e textu remouenda esse censentis.

1) l. c. p. 71. 2) 'Des Pseudo-Lysias κατηγορία πρὸς τοὺς συνουσιαστὰς κακολογιῶν'. Herm. X p. 362.

Andocides. II 7: 'ὅς εἰς τοσοῦτον ἦλθον τῆς ἐμαυτοῦ δυσδαιμονίας ... ὥστ' ἀνάγκην μοι γενέσθαι δυοῖν κακοῖν τοῖν μεγίστοιν θάτερον ἑλέσθαι, ἢ μὴ βουληθέντι κατειπεῖν τοὺς ταῦτα ποιήσαντας οὐ περὶ ἐμοῦ μόνον ὀρρωδεῖν, εἴ τι ἔδει παθεῖν, ἀλλὰ καὶ τὸν πατέρα οὐδὲν ἀδικοῦντα σὺν ἐμαυτῷ ἀποκτεῖναι ...' Polackius[1]) hunc locum in enuntiatis interrogatiuis indirectis duxit; tunc uero pro 'ἔδει' exspectes uel 'δεῖ' uel 'δέοι' secundum leges grammaticas; accedit, quod nusquam uerbum ὀρρωδεῖν cum εἰ iunctum cernitur; potius protasi causa metuendi significatur ('sintemal, da ja eine Strafe unvermeidlich war'), id quod nexui sententiarum minime obstat. Liceat mihi huc referre I 54, ubi plusquamperfectum ui imperfecti praeditum exstat: 'εἰ οὖν τινι ὑμῶν, ὦ ἄνδρες, (ἢ) τῶν ἄλλων πολιτῶν γνώμη τοιαύτη παρειστήκει πρότερον περὶ ἐμοῦ, ὡς ἄρα ἐγὼ ἐμήνυσα κατὰ τῶν ἑταίρων τῶν ἐμαυτοῦ, ὅπως ἐκεῖνοι μὲν ἀπόλοιντο, ἐγὼ δὲ σωθείην — multis ciuibus hanc opinionem insedisse Andocides non ignorabat — ... σκοπεῖσθε ἐξ αὐτῶν τῶν γεγενημένων.'

Apud Antiphontem unum huiusmodi exemplum occurrit, V 61: 'ἐξὸν γὰρ αὐτῷ ἐν ἀγῶνι καὶ κινδύνῳ μεγάλῳ καταστήσαντι μετὰ τῶν νόμων τῶν ὑμετέρων ἀπολέσαι ἐκεῖνον, εἴπερ προσωφείλετο αὐτῷ κακόν, ... οὐκ ἠξίωσεν, ἀλλ' οὐδ' ἦλθεν ἐπὶ τοῦτον.' Protasis uerti debet: 'si quidem, quoniam illi (Herodi) malum (a Lycino) debebatur h. e. ille malum, poenam accipere debebat.'[2]) Ironice εἰ μὴ adhibetur Αβ 9: 'ὡς δὲ τόνδε τὸν κίνδυνον οὐκ ἀσφαλέστερον τοῦ ἀπὸ τῆς γραφῆς ἡγούμην εἶναι, ἀλλὰ πολλαπλάσιον, εἰ μὴ παρεφρόνουν, διδάξω.' Mente captum se non fuisse orator non ignorabat (cf. Lys. X 20, locum similem, p. 223).

Protasis rem uero rerum statui obstantem continentis exempla fere omnia apodosin in indicatiuo praeteriti collocatam praebent; quae cum forma non differant ab enuntiatis proprie irrealibus quae

1) l. c. p. 65. 2) Minus recte Maetznerus p. 228 uertit: 'si quidem illi malum debebat', cum medium uerbi προσοφείλειν nusquam alibi reperiatur; uersio Maetzneri quadraret in coniecturam Dobraei (Adu. I p. 150): 'εἴπερ προσώφειλέ τι ...', quae uero superuacanea est, cum Dem. XXI 77 'προσωφείλετο' eodem sensu, quo apud Antiphontem, et passiuo quidem usurpetur. Cur offendat Maetznerum notio diuturnitatis, quam Passouius uerbo tribuit, uertens loco Antiphonteo 'längst von einem Strafe verdienen', non intellego, cum etiam Thuc. I 32 et Herod. V 82 eadem notio uerbo insit.

uocantur et iis quidem, quorum apodosis particula ἂν caret, postea demum tractabo. — Hic uero afferendi sunt tres loci, ubi orator modeste concludens potentiali pro indicatiuo praesentis utitur: Lys. VII 14: 'ἐγὼ δ' εἴ τι τοιοῦτον ἔπραττον, πολλὰς ἂν καὶ μεγάλας ἐμαυτῷ ζημίας γενομένας ἀποφήναιμι.' Orator persuasum habet, non se tale quid commisisse, nempe truncum oleae exstirpasse. And. I 57. Ant. Bδ 4.

Reliquum est, ut de iis locis disputem, ubi quis sumit, aliquid factum esse, quod utrum euenerit necne respicere omittit. Apud Lysiam ter in eiusmodi protasi subiectum indefinitum est. XXXII 22: 'ὥσπερ διὰ τοῦτο ἐπίτροπος τῶν παιδίων καταλειφθείς, ἵνα ... κενεστάτους ἀντὶ πλουσίων ἀποφήνειε, καὶ ἵνα, εἰ μέν τις αὐτοῖς πατρικὸς ἐχθρὸς ἦν, ἐκείνου μὲν ἐπιλάθωνται, τῷ δ', ἐπεὶ τῶν πατρῴων εἰσὶν ἀπεστερημένοι, πολεμῶσι.' VII 17. Fr. 78, 3. — Ceteri loci figurae complexionis assignandi sunt: XII 57: 'καίτοι τοῦτο πᾶσι δῆλον ἦν, ὅτι εἰ μὲν ἐκεῖνοι δικαίως ἔφευγον, ὑμεῖς ἀδίκως sc. ἐφεύγετε, εἰ δ' ὑμεῖς δικαίως, οἱ τριάκοντα ἀδίκως sc. ἔφευγον.' XXV 14. — Ant. V 23. — Cauendum est, ne in periodis hypotheticis condicionis non seruatae habeatur Lys. VII 37: 'περὶ ἐμοῦ μὲν γὰρ εἰ ἔλεγον, ἃ οὗτος ἐβούλετο, οὐδ' ἂν ἀπολογήσασθαί μοι ἐξεγένετο· τούτῳ δ' εἰ μὴ ὡμολόγουν, οὐδεμιᾷ ζημίᾳ ἔνοχος ἦν.' Altera protasis si deflecteret a ueritate, altera, quae illi opposita sit, cum ueritate consentire deberet; sed neutra actio euenit, orator utramque rem, quae fieri potuit — testes aut contra reum aut pro reo testimonia facere potuerunt — sumit tantum, ut inde, quam dispar periculum ipse et Nicomachus seruis traditis subierint, concludat. Indicatiuus praeteriti c. ἂν alterius apodosis — in altera ἂν supplendum est — est potentialis, qui uocatur, praeteriti cf. Aken. l. c. p. 147. — (IX) 12 (u. p. 215). And. I 137. Ant. V 68. — A prioribus separandum est Ant. Γδ 7: 'εἰ δὲ κρείσσων ὢν τὰς χεῖρας κρεισσόνως ἠμύνετο ἢ ἔπασχεν, οὐδ' οὕτω δίκαιος ὑφ' ὑμῶν καταλαμβάνεσθαί ἐστι.' Protasi deest uis mera condicionalis, nam reum robore manuum superiorem efficacius plagas propulsasse quam accepisse inde apparet, quod aduersarius medicum consulere coactus fuit; εἰ idem ualet atque nostrum 'was das betrifft, dass' et res protasi pronuntiata spectat ad id, quod aduersarius dixerat γ 3: 'ὁ μὲν γὰρ ἀκμαζούσῃ τῇ ῥώμῃ τῶν χειρῶν χρώμενος ἀπέκτεινεν· ὁ δὲ ἀδυνάτως τὸν κρείσσονα ἀμυνόμενος' etc. (Lys.) XX 12.

Formarum apodosis nouae in hac classe accedunt indicatiuus

et imperfecti et aoristi cum uocula ἄν; indicatiui futuri in apodosi adhibiti desiderantur exempla.

§. 5. εἰ cum indicatiuo aoristi.

Ut imperfectum protasis adhibebatur tum, cum ponebantur actiones uel durantes, ut Lys. XII 57. And. II 7. Ant. V 61 uel saepius repetitae, ut Lys. XXXII 13, omnino cum describebantur actiones, ita in aoristo actiones huius temporis proprias collocari consentaneum est. Apodosis formarum eadem uarietas quae in antecedente §o animaduertitur.

Etiam hic maior pars exemplorum iis enuntiatis condicionalibus efficitur quorum particula hypothetica uices ἐπεί tenet. Lys. XIII 69: 'εἰ γὰρ τούτων ἕκαστος δι' ἓν ἁμάρτημα θανάτου ἠξιώθη, ἦ που τοῦ γε πολλὰ ἐξημαρτηκότος ... δεῖ ὑμᾶς σφόδρα θάνατον αὐτοῦ καταψηφίσασθαι.' Paulo ante (§ 67 et 68) orator explicuit, quomodo unusquisque fratrum Agorati supplicio dignus haberetur. XIII 85: 'τοῦτο δὲ οὐδὲν ἄλλ', ὡς ἔοικεν, ἢ ὁμολογεῖν ἀποκτεῖναι, μὴ ἐπ' αὐτοφώρῳ δέ, καὶ περὶ τούτου ἰσχυρίζεσθαι, ὥσπερ, εἰ μὴ ἐπ' αὐτοφώρῳ μέν, ἀπέκτεινε δέ, τούτου ἕνεκα δέον αὐτὸν σώζεσθαι.' Protasi continetur Agorati uera animi sententia, qui illo ipso, quod 'ἐπ' αὐτοφώρῳ', quae uerba in libello accusatorio legebantur, homicidam se deprehensum esse negauit, concessit caedem se fecisse, etsi non in ea ipsa deprehensum; hoc quidem inest in uerbis protasis, quae et apodosis ex mente rei proferuntur. Agoratus quidem ipse sic fere senserit: 'εἰ ἀπέκτεινα μέν, ἐπ' αὐτοφώρῳ δὲ μή sc. ἀπέκτεινα h. e. ἀποκτείνων ἐλήφθην, τούτου ἕνεκα δεῖ με σώζεσθαι', accusator autem 'ἀποκτεῖναι' ut rem grauiorem postponit; participium cum ὥσπερ iunctum ironice usurpatum est, cuius usus exempla congerit Gebauerus[1]). — III 40. XIII 57. — Ironia quaedam protasi subest III 29: 'τῷ γὰρ ἂν δόξειε πιστὸν ὡς ἐγὼ προνοηθεὶς καὶ ἐπιβουλεύων ἦλθον ἐπὶ τὴν Σίμωνος οἰκίαν μεθ' ἡμέραν, μετὰ τοῦ μειρακίου, τοσούτων ἀνθρώπων παρ' αὐτῷ συνειλεγμένων, εἰ μὴ εἰς τοῦτο μανίας ἀφικόμην ὥστε ἐπιθυμεῖν εἰς ὢν πολλοῖς μάχεσθαι' (cf. Ant. Δβ 9 p. 237). — (XX) 16. Irrealem, quam appellant, periodum esse ducas (II) 65: 'εἰ γὰρ στασιάσαντες πρὸς ἀλλήλους βίᾳ παρόντων Πελοποννησίων καὶ τῶν ἄλλων ἐχθρῶν εἰς τὴν αὑτῶν οἷοί τε ἐγένοντο[2]) κατελθεῖν,

1) De hyp. et par. arg. p. 283. 2) Scheibium praef. ed. p. XI codici Palatino lectionem 'ἐγίνοντο' adscribentem errasse demonstrauit Lampros 'Mitteilungen über den Codex Palatinus X 88'. Herm X p. 262.

δῆλον ὅτι ῥᾳδίως ἂν ὁμονοοῦντες πολεμεῖν αὐτοῖς ἐδύναντο.' Ex antecedentibus apparet, protasi factum commemorari, irrealis protasis apodoseos latet in participio '*ὁμονοοῦντες*' nihil aliud ualente nisi '*εἰ ὡμονόουν*'.

And. II 12: '*εἰ τοίνυν μεγάλων ἀγαθῶν αἴτια ὑμᾶς εἰργάσαντο ἐκεῖνοι, μέρος ἐγὼ οὐκ ἂν ἐλάχιστον δικαίως ταύτης τῆς αἰτίας ἔχοιμι.*' Protasi generatim exprimitur, quod antecedente periodo orator accuratius affirmauit; quam ob rem etiam errare mihi uidetur Akenius[1]), qui hoc exemplum in numero eorum habet, ubi *εἰ* c. ind. praet. positum sit pro *εἰ* c. opt., ut de rebus praeteritis agatur. — (IV) 11.

Ant. I 12: '*τὸ αὐτὸ οὖν τοῦτο καὶ ἐμοὶ γενέσθω, εἴπερ ἐμοῦ θέλοντος ἔλεγχον λαβεῖν τοῦ πράγματος αὐτοὶ μὴ ἠθέλησαν δοῦναι.*' Ex periodo a ueritate aliena §i 11 discimus, re uera aduersarios noluisse mancipiis in tormenta datis certum rei documentum praebere. Condicioni non impletae adnectitur periodus hypothetica, cuius protasi uera loquentis sententia aperitur, *Bδ* 4: '*τῆς δὲ διαδρομῆς αἰτίας ταύτης γενομένης, εἰ μὲν ὑπὸ τοῦ παιδοτρίβου καλούμενος διέτρεχεν, ὁ παιδοτρίβης ἂν ⟨ὁ⟩ ἀποκτείνας αὐτὸν εἴη, εἰ δ' ὑφ' ἑαυτοῦ πεισθεὶς ὑπῆλθεν* (cf. *β* 8: '*ὁ δὲ παῖς βουλόμενος προδραμεῖν* ...'), *αὐτὸς ὑφ' ἑαυτοῦ διέφθαρται.*'

Eodem modo, quo Lys. VII 14 (u. p. 238), in protasi fingitur res ueritati aduersa, apodosis potentiali loco indicatiui praesentis formatur (Lys.) XV 8. VI 39. IX 11. Ant. *Bδ* 6. *Γδ* 4: '*εἰ ⟨μὲν⟩ γὰρ ὁ μὲν ἄρξας τῆς πληγῆς τύπτειν καὶ μὴ ἀποκτείνειν διενοήθη, ὁ δὲ ἀμυνόμενος ἀποκτεῖναι, οὗτος ἂν ὁ ἐπιβουλεύσας εἴη.*' Sententia fictioni contraria continetur sequentibus: '*νῦν δὲ* sc. *ὡς ὁ ἄρξας τῆς πληγῆς καὶ ὁ ἀμυνόμενος τύπτειν καὶ οὐκ ἀποκτεῖναι διανοηθεὶς ἥμαρτεν, εἰς ἃ οὐκ ἠβούλετο πατάξας.*' Unde patet, alteri (posteriori) tantum protasi uim fictiuam adhaerere; exspectes igitur scriptum esse: '*εἰ γάρ, ἐπειδὴ ὁ ἄρξας ... τύπτειν καὶ οὐκ ἀποκτείνειν διενοήθη, οὗτος ἂν* ...'; in scriptura tradita cernitur studium paratacticae rationis dicendi. — Duobus locis Andocideis imperatiuus exstat in apodosi; protases uariis temporibus adhibitis conspicuae sunt: I 32: '*εἰ μέν τι ἠσέβηκα ἢ ὡμολόγηκα ἢ ἐμήνυσα κατά τινος ἀνθρώπων ... ἀποκτείνατέ με.*' Andocidem fingere aliquid cum rebus ipsis non consentiens intellegitur ex periodo sequente: '*εἰ δὲ οὐδὲν ἡμάρτηταί μοι* ...' I 23.

1) l. c. p. 147.

'εἰ τοίνυν ἀνέβην ἐπὶ δικαστήριον, ἢ λόγος τις περὶ ἐμοῦ ἐγένετο, ἢ μήνυσίς τις ἐμή ἐστιν ἢ ἀπογραφή … ἐλεγχέτω με ὁ βουλόμενος ἐνταῦθα ἀναβάς.' E sententiarum nexu apparet, contrarium eorum, quae orator fingit, accidisse.

Admodum exiguus numerus eorum locorum est, ubi condicio ponitur ab ignorante uerum rerum statum aut non respiciente. Lys. III 42: 'ἀλλὰ δῆλον ὅτι καὶ οἱ τοὺς νόμους ἐνθάδε θέντες, οὐκ εἴ τινες μαχεσάμενοι ἔτυχον ἀλλήλων κατάξαντες τὰς κεφαλάς, ἐπὶ τούτοις ἠξίωσαν τῆς πατρίδος φυγὴν ποιήσασθαι·' Item subiectum protasis indefinitum est Ant. VI 17 (bis). — Protasis actio utrum euenerit necne, orator nescit And. I 50: '… εἰ ἤκουσάς τι τούτου τοῦ πράγματος τοῦ γενομένου, εἰπέ …' Ant. Δβ 5. Paulo aliter res se habet Δβ 3: 'εἰ γὰρ νῦν διὰ τῆς ἔχθρας τὸ μέγεθος εἰκότως ὑφ' ὑμῶν καταδοκοῦμαι, πρὶν ἐργάσασθαι εἰκότερον ἦν προειδότα τὴν νῦν ὑποψίαν εἰς ἐμὲ ἰοῦσαν, καὶ τῶν ἄλλων εἴ τινα ἔγνων ἐπιβουλεύοντα αὐτῷ, διακωλύειν μᾶλλον ἢ αὐτὸν ἐργασάμενον εἰς ἑκουσίους καὶ προδήλους ὑποψίας ἐμπεσεῖν sc. εἰκότερον ἦν.' Orator minime nescius, uiro interfecto multos inimicos fuisse — id quod §o 6 dicit — utrum nouerit eorum aliquem uitae illius insidiantem necne, non respicit, sed sumit tantum, se talem quem nouisse, unde colligit, ueri similius fuisse, obstitisse se illius consilio. V 61.

Apud eosdem oratores, in iisdem orationibus atque in priore classe enuntiatorum condicionalium factum est exempla inueniuntur particulae εἰ ui nostri 'was das betrifft, dafs' praeditae: Ant. Γγ 3: 'εἰ δὲ ταῖς χερσὶν ἀπέκτεινε καὶ οὐ σιδήρῳ, ὅσον αἱ χεῖρες οἰκειότεραι τοῦ σιδήρου τούτῳ εἰσί, τοσούτῳ μᾶλλον φονεύς ἐστιν.' Orator recurrit ad id, quod aduersarius β 2 contenderat, etsi illius sententiam aliquid mutat, qui interfecisse se aggressorem minime concesserit, sed culpam mortis medico tribuerit. Ant. V 78 (v. p. 226) similis est (Lys.) XX 20.

§. 6. Enuntiata proprie concessiua, quae particulis aut εἰ καὶ aut καὶ εἰ formantur.

Godofredus Hermannus, qui primus discrimen inter utrumque genus enuntiatorum concessiuorum intercedere statuit [1]), καὶ εἰ '*etiam si*' explicat, et καὶ ad ipsam condicionem sic refert, ut eam particula adiecta magis incertam fieri dicat: '*etiam tum, si*'. Quare καὶ εἰ usurpari uult de re, quae uera tantum a nobis sumatur, neque de eo, quod uerum esse iudicemus; id enim exprimi parti-

1) Ad Viger. 829 (ed. IV).

culis εἰ καὶ siue Latinorum 'quamquam'; etiam sic εἰ καὶ usurpari tradit, ut non sit 'etsi', sed 'si etiam' i. e. ut καὶ non cum εἰ, sed cum aliquo eorum uerborum, quae sequuntur, coniungi debeat. Hermannum secuti sunt Passouius[1]) et Stallbaumius[2]), qui praeterea hanc legem ponit: 'tironibus tenendum, καὶ εἰ semper habere gradationem, ut sit 'adeo si': εἰ καὶ autem ea gradatione carere atque simpliciter esse 'etsi, quanquam'. Nouam sententiam profert Spitznerus[3]); non sequitur Stallbaumium, qui omnem utriusque dicendi rationis discrepantiam uel sustulerit uel ambiguam certe fecerit. Hermanno id quidem assentitur, primum, εἰ καὶ non semper in unam quasi coalescere notionem, deinde, καὶ εἰ ita dici, ut utraque uocula condicioni adstringatur. Tum uero quod ille affirmauit, καὶ εἰ in id dumtaxat cadere, quod uerum esse sumeremus, hoc a Graecorum more et sermone abesse docet compluribus exemplis ex Homeri et Apollonii carminibus sumptis, ubi particulis καὶ εἰ significatur res, quam loquens ueram esse iudicat, εἰ καὶ res ponitur tantum ut uera. Deinde Spitznerus de iis locis agit, ubi καὶ post εἰ collocata aduerbiis modi, loci, temporis aut aliis partibus orationis praemissa est: hic εἰ particula sola condicioni inseruit; καὶ condicionem nouo additamento auctam angustioribus finibus includit; εἰ καὶ idem ualere censet, quod uernaculi sermonis particulas 'wenn auch': condicionem uel tum locum obtinere, si quid obstaculum nouum ei obiciatur; contra καὶ εἰ plerumque conuenire cum uernaculo 'auch wenn' et ab εἰ καὶ eo differre, quod utraque particula condicionem positam declaret eaque de causa neutra ad aliud quidquam pertineat nisi ad ipsum uerbum, in quo condicio spectetur. — Sententiae Spitzneri Langium id offendit, quod ille censuerat, uocula καὶ uim tantum condicionis augeri, neglegens, uoce, ad quam referendum esset καί, sententiam ei, quae continetur apodosi, contrariam excitari. Atque Langius[4]) ita inter εἰ καὶ et καὶ εἰ distinguit: 'εἰ καὶ unterscheidet sich also von καὶ εἰ dadurch, daſs jenes nicht notwendig koncessiv zu fassen ist' — comprobatur hoc, ut alios locos omittam, And. III 37: 'ὧν εἰ καὶ νῦν ἐπιθυμεῖτε, ταῦτα κατεργάσασθε.' Accuratius legentem, quae antecedunt, fugere non potest, uim concessiuam, quae offertur uocibus εἰ καί, a protasi abiudicandam esse; antecedunt autem haec: 'ἦν γάρ ποτε χρόνος, ὦ Ἀθηναῖοι, ὅτε τείχη καὶ ναῦς οὐκ ἐκεκτήμεθα· γενομένων δὲ τούτων τὴν ἀρχὴν ἐποιησάμεθα τῶν

1) In Lex. I 630 sq. et 1150. 2) ad Plat. Apol. XX p. 73 ex edit. alt. 3) exc. XXIII ad Hom. Il. *N* 316. 4) l. c. p. 469 (163).

ἀγαθῶν.' Opponitur tempus praesens praeterito, quo Athenienses, ubi primum moenia et naues comparassent, fundamenta bonorum iecisse Andocides dicit; adhortatur deinde audientes, ut, si etiam tunc — *καὶ* igitur cum *νῦν* cohaeret — desiderio bonorum illorum teneantur, sibi eadem pariant, quibus usi patres tantam auctoritatem consecuti sint —, 'dieses (sogar wenn, selbst wenn) natürlich immer' [1]); ferner dadurch, dafs dort der koncessive Charakter nicht auf dem vergleichenden *καί*, sondern auf dem verglichenen Worte beruht, hier dagegen geradezu auf dem steigernden *καί*.'

Videamus, num hoc, quod Langius de Homeri carminibus statuit, confirmetur usu trium oratorum.

I. Enuntiata concessiua particulis *εἰ καὶ* formata:

1) Protasis temporis praesentis est: Ant. V 91: '*καίτοι οὔπω ὑμῖν [τοῖς] ἐξαπατηθεῖσι μετεμέλησεν, εἰ καὶ πάνυ τι χρὴ τούς γε ἐξαπατῶντας ἀπολωλέναι.*' [2]) Sententia apodosi aduersa excitatur particula *καὶ* ad uerbum *χρὴ* pertinente, quod augetur etiam aduerbio *πάνυ*; exspectes iudices nunquam paenituisse puniendi eos, qui ipsos decepissent, cum ualde necessarium sit eos condemnari; tamen illos nondum clementiae paenituit. — Perfectum praesens in protasi legitur Lys. XIX 1: '*ἀνάγκη οὖν, εἰ καὶ μὴ δεινὸς πρὸς ταῦτα πέφυκα, βοηθεῖν τῷ πατρὶ καὶ ἐμαυτῷ οὕτως ὅπως ἂν δύνωμαι.*'

2) Protasis perfecti est: Lys. XXXII 11: '*. . . ἡ μήτηρ . . . ἱκέτευε συναγαγεῖν αὐτῆς τὸν πατέρα καὶ τοὺς φίλους, εἰποῦσα ὅτι, εἰ καὶ πρότερον μὴ εἴθισται λέγειν ἐν ἀνδράσι, τὸ μέγεθος αὐτὴν ἀναγκάσει τῶν συμφορῶν περὶ τῶν σφετέρων κακῶν δηλῶσαι πάντα πρὸς ἡμᾶς.*' Vocula *καὶ* referenda est ad uerba '*μὴ εἴθισται*', a quibus quod disiuncta est uocabulo, non debet offendi cf. Il. XIII 57:

'*τῷ κε καὶ ἐσσύμενόν περ ἐρωήσαιτ' ἀπὸ νηῶν*
ὠκυπόρων, εἰ καί μιν Ὀλύμπιος αὐτὸς ἐγείρει.'

3) Protasis imperfecti est: (Lys.) XX 8: '*τῶν γὰρ λεγόντων ἐναντία ἐκείνοις οἱ μὲν ἔφευγον οἱ δὲ ἀπέθνησκον, ὥστ' εἴ τις καὶ ἐβούλετο ἐναντιοῦσθαι ὑπὲρ ὑμῶν, τὸ δέος καὶ ὁ φόβος τῶν πεπονθότων ἀπέτρεπε πάντας.*' *καὶ* cum uerbo '*ἐβούλετο*' sensu consociandum exspectationem excitat, talem uirum non impeditum esse, quominus obsisteret. Dubitarit quis, an hic protasis concessiua accipienda sit, ubi ipsae particulae concessiuae non con-

1) Recte adnotat Langius: 'selbstverständlich abgesehen von dem freilich meist nicht erkannten Falle, dafs *καὶ* nur zur kopulativen Verbindung des *εἰ*-Satzes mit einem vorhergehenden Satze dient', uelut Lys. XXXII 13 etc. 2) Sic legendum mihi uidetur cum Iernstedtio.

iunctae sunt; hanc dicendi rationem non singularem esse argumento est Hom. Od. XI 356:

'εἴ με καὶ εἰς ἐνιαυτὸν ἀνώγοιτ' αὐτόθι μίμνειν ...'.

Propter formam apodosis enuntiatis irrealibus, quae uocantur, attribuas Lys. VII 16: 'ὥστε εἰ καὶ τὰ μέγιστα εἰς ἐμὲ ἐξημάρτανον, οὐκ ἂν οἷόν τε ἦν δίκην με παρ' αὐτῶν λαμβάνειν.' Item uero atque XIX 51 (v. p. 236) protasis ueritati contraria supplenda est ex antecedentibus: 'εἰ ἐξέκοπτον τὸν σηκόν.' And. I 21.

4) Protasis aoristi est: Lys. VII 18 item accipiendum est atque VII 16 (v. paulo supra); accedunt Ant. *Αγ* 2. 3. — *Αβ* 10: 'ἀπολύεσθαι δὲ ὑφ' ὑμῶν, εἰ καὶ εἰκότως μὲν ὄντως δὲ μὴ ἀπέκτεινα τὸν ἄνδρα, πολὺ μᾶλλον δίκαιός εἰμι.' A prioribus locus hic eo diuersus est, quod concessiua uis partem tantum protasis complectitur, cum demens sit orator dicens: 'etsi re uera uirum non interfeci, a uobis absolui me oportet' pro 'sin re uera uirum non interfeci etc.' Prior igitur tantum pars concessiua est, cum uerba 'καὶ εἰκότως sc. ἀπέκτεινα τὸν ἄνδρα' necessitati liberandi sint opposita. Sensum loci recte effert Kohmius[1]) uertens: 'Mag ich auch der Wahrscheinlichkeit nach, wie die Gegner behaupten, der Mörder sein, so bin ich es doch in Wirklichkeit nicht und daher mit um so gröfserm Rechte freizusprechen.' Oratori igitur scribendum fuit: 'εἰ καὶ εἰκότως τὸν ἄνδρα ἀπέκτεινα, ὄντως δὲ οὐκ ἀπέκτεινα ἐκεῖνον· δι' ὃ πολὺ μᾶλλον δίκαιός εἰμι ὑφ' ὑμῶν ἀπολύεσθαι.' Parem dicendi breuitatem neque apud Lysiam neque apud Andocidem repperi.[2]) Ceterum artem sophistarum redolet distinctio inter 'εἰκότως ἀποκτείνειν' et 'ὄντως ἀ.', quae etiam *γ* 8, *δ* 10 occurrit. — *Γγ* 2. 5.

Sententia Hermanni censentis, εἰ καὶ usurpari de iis rebus, quas ueras esse iudicemus, confirmatur Ant. V 91. Lys. XIX 1. XXXII 11; obstant Lys. VII 16. 18. (XX) 8. And. I 21. Ant. *Αγ* 2. 3. *Γγ* 5, ubi de sumptis tantum rebus agitur.

II. Enuntiata concessiua particulis καὶ εἰ formata:

1) Protasis temporis praesentis est: Lys. XVI 2: 'ἐγὼ γὰρ οὕτω σφόδρα ἐμαυτῷ πιστεύω, ὥστ' ἐλπίζω καὶ εἴ τις πρός με τυγχάνει ἀηδῶς ἢ κακῶς διακείμενος, ἐπειδὰν ἐμοῦ λέγοντος ἀκούσῃ περὶ τῶν πεπραγμένων, μεταμελήσειν αὐτῷ καὶ πολὺ βελτίω με εἰς τὸν λοιπὸν χρόνον ἡγήσεσθαι.' Orator tanta innocentiae suae fiducia affectus est, ut speret aliquem, postquam ipsum de rebus gestis per-

1) 'Krit.-exegetische Studien zu Antiphon' Z. f. ö. G. 1884, p. 81.
2) Cf. quod Blass. l. c. p. 161 de prima tetralogia statuit: 'd. Gedanken sind auf knappen Raum zusammengedrängt.'

orantem audiuerit, animum mutaturum esse uel tum, si infestus sibi sit; sententia apodosi aduersa in eo cernitur, quod a tali uiro animi mutatio minime exspectetur; καὶ hic ad augendam condicionem ualet ('sogar, selbst wenn'); quod Kruegerus[1]) docet: 'Bei καὶ εἰ denkt man den Hauptsatz als unabweislich bei jeder Bedingung, selbst bei der ausgesprochenen, die als äufserste erscheint', optime quadrat in locum Lysiacum, nam condicio, quae magis quam simultas alicuius reo nocere poterat, cogitari ulla nequit. (XIV) 1. Ant. VI 7.

2) Protasis temporis praeteriti est: hic bis occurrit οὐδ' εἰ, a καὶ εἰ non diuersum, nisi quod negatio ex apodosi anticipatur; nam (Lys.) XX 18: 'τῷ μὲν γὰρ οὐδ' εἴ τις εἶχε μαρτυρίαν, εἶχε μαρτυρεῖν διὰ τὸ δέος τὸ τῶν κατηγόρων, τοῖς δὲ καὶ τὰ ψευδῆ δεδοικότες ἐμαρτύρουν.' Negatio ad apodosin referenda est, quoniam orator dicit: 'etiam tum, si quis testimonium habebat, Polystrato adesse non sustinebat ...' Negatio in apodosi iteratur Lys. VII 5: 'νομίζω γὰρ τοῦ μὲν προτέρου χρόνου, οὐδ' εἰ πάλαι ἐνῆσαν μορίαι, οὐκ ἂν δικαίως ζημιοῦσθαι.'

3) Protasis aoristi est: Lys. XIX 37: 'πρὸς δὲ τούτοις ἐνθυμεῖσθε, ὅτι καὶ εἴ τις μὴ κτησάμενος ἀλλὰ παρὰ τοῦ πατρὸς παραλαβὼν τοῖς παισὶ διένειμεν, οὐκ ἐλάχιστα ἂν αὑτῷ ὑπέλιπε.'[2]) Quid sentiat orator, bene explicat Frohbergerus: 'Selbst wenn einer durch Erbschaft zu Gelde gekommen ist und nicht durch eigene Thätigkeit (in welchem Falle man noch zäher am Erworbenen hängt), pflegt man bei der Ausstattung der Söhne sich einen ansehnlichen Teil des Vermögens zu reservieren, um nicht von der Gnade derselben abzuhängen.'

Contra Hermanni praeceptum καὶ εἰ de re, quae ut uera praedicatur, usurpatur Ant. VI 7: 'καὶ οὐκ ἐλέγξαντες, εἴ τι ἀδικῶ, δικαίως με βούλονται τιμωρεῖσθαι, ἀλλὰ διαβαλόντες, καὶ εἰ μηδὲν ἀδικῶ, ζημιῶσαι καὶ ἐξελάσαι ἐκ τῆς γῆς ταύτης.' Orator insontem se esse persuasum habet.

1) l. c. §. 65, 5. 15. 2) Codicum scripturam 'ὑπέλιπε' mutauit Rauchensteinius eoque auctore Frohbergerus in 'ὑπέλειπε', secundum codicem Palatinum; recte uero monet Fuhrius, neque Lampron neque Schoellium, recentissimos Palatini collatores, mentionem facere lectionis illius a uulgata alienae. Cur aoristum reiciamus, eo minus causae est, cum oratores in enuntiatis iteratiuis, quorum hic exstat exemplum, aoristo uti solere ipse Frohbergerus doceat; idem in protasi imperfectum necessarium ducit, cum protasis in eiusmodi enuntiationibus semper optatiuo aut indicatiuo imperfecti formetur. Per se autem, qua re prohibeamur, quominus aoristum protasis sicut apodosis gnomicum ducamus, non intellego; seruo igitur cum Scheibio scripturam traditam 'διένειμεν'.

Con-

Apodosis.	Ind. (Inf.) Praes.	Ind. (Inf.) Fut.	Imperf.
εἰ cum Indicatiuo Praesentis.	·Lys. III 4. VII 1. 8. 17. 35. X 13 (2). 20. XII 34. XIII 75. 84. XVI 18. XXII 1—2. XXV 2. 16. XXVI 1. 3. XXVII 13. 15. XXX 17 (2). 21. Erot. 231 C. 233 D. — (VI) 41. (IX) 10. (XIV) 1. 11. 39. (XV) 9. (XX) 12. 20. 21. 30 (2). And. I 26. 56. 113. 139. 140. II 1 (2). 2. 17. 22 (2). 24. 26. III 16. 40. — (IV) 12. 34. 38. 42. Ant. I 1 (2). 12. 15. 24. V 37. 51. 64. 66. 78. VI 7. 9. 14. 17 (3). 32. *Αγ* 9 *δ* 2. *Ββ* 5 *γ* 8 (2) *δ* 4. 9.	Lys. XVI 2. XVII 7. XXV 2. 18. XXXI 2. (II) 22. (VI) 33. (IX) 12. (XIV) 19. And. I 24. 63. — (IV) 5. 31. 32. Ant. VI 23.	Lys. IV 5. — (XV) 5. And. I 22. Ant. V 48. *Αβ* 3.
εἰ cum Indicatiuo Futuri.	Lys. III 37. X 22 (2). XII 74. XIIII 93. XVIII 15 (2). XXI 24 (2). 25. XXIV 13. XXVI 9. XXVII 13. XXIX 4. 5. XXX 16 (2). 32. XXXI 24 (2). XXXIV 11. — (VI) 18 (2). (XIV) 11. 17. 23 (2). 25. 31. (XV) 2. 8. (XX) 10. 34. And. I 102. III 21. 36. — (IV) 36. Ant. VI 29.	Lys. XII 11. 35. 70. 85. 90 (2). XXII 17. XXIV 3. XXVII 1. 7. XXIX 2. XXXII 25. XXXIV 6. — (II) 22. 32 (2). 45. (VIII) 1. (XX) 32. 35. And. I 104. 123. 149.	Lys. XXXIV 2. And. I 53.
εἰ cum Indicatiuo Perfecti.	Lys. IV 19. VII 5. XIII 92. XIX 1. XXII 5. XXIV 21. XXV 6 (2). XXVI 7 (2). Erot. 231 E. 233 C. And. I 33. 130. Ant. V 85. *Ββ* 1. *δ* 2 (2).	Lys. XXII 2. XXXII 11. — (IX) 12.	—
εἰ cum Indicatiuo Imperfecti.	Lys. XII 88. XXV 14. XXXI 22. — (II) 7. (XX) 8. 12. And. I 137. Ant. *Γδ* 7.	—	Lys. VII 17. 37. XII 57 (2). XIII 79. XXXII 13. — (VIII) 6. 11 (?). (XX) 8. 18. Ant. V 23. 61. *Αβ* 9.
εἰ cum Indicatiuo Aoristi.	Lys. XII 36. XIII 69. 85. XXIX 4. XXX 32. — (VIII) 8. (XIV) 17. 31. And. III 34. Ant. I 12. VI 17 (2). *Αβ* 10. *Γγ* 3. 5.	Lys. XIII 57. (And.) IV 32.	Lys. I 44. III 40. VII 18. — (XX) 16. Ant. V 61. *Αβ* 3. 5. *γ* 3.

spectus.

Imp. c. ἄν.	Aor.	Aor. c. ἄν.	Perf.	Opt. c. ἄν.	Opt.	Imperat.	Coni.
—	Lys. XIII 75. Ant. V 91. *Γγ* 4.	—	—	Lys. XII 31. XVI 17. XIX 85. XXII 18. (IX) 2. And. II 3. Ant. V 16. *Αα* 10.	Lys. XIX 38.	Lys. XIX 53. XXXI 14. Erot. 234 C. — (XX) 11. And. I 23. 33. 70. 120. III 37. 40 (2). Ant. V 64. *Αβ* 8. *Γβ* 6.	And. III 13.
—	—	—	—	Lys. III 43. VII 41. X 10. XII 83. XIII 94. XXII 17. XXXI 29. — (XV) 3. (XX) 19. 36. Ant. V 90. *Αβ* 4. *Γδ* 3.	—	(Lys.) II 45. And. I 103.	—
—	And. I 113.	—	Ant. *Γβ* 6 (2).	Lys. Erot. 232 B. Ant. V 16. VI 19.	—	And. I 32. 70. II 24.	And. I 148. III 13.
Lys. VII 16. ... Plusq 20. XIX 51. And. I 21. Ant. V 68.	Lys. XIX 18. Fr. 78, 3. And. II 7.	Lys. VII 20. 37.	—	Lys. VII 14. XXV 14. XXVIII 3. And. I 57. Ant. *Βδ* 4.	—	And. I 54 (Plusq.).	Lys. III 26. XXXII 22.
Lys.) II .5.	Lys. III 29. 42. Ant. *Γγ* 2.	Lys. XIX 37. Ant. *Αγ* 2.	Ant. *Βδ* 4.	Lys. XXXI 29. 31. — (VI) 39. (IX) 11. (XV) 8. (XX) 19. 36. And. II 12. 27. — (IV) 11. Ant. *Βδ* 6. *Γδ* 4.	—	And. I 23. 32. 50. Ant. I 12.	—

De numero exemplorum, quae in singulis enuntiatorum condicionalium generibus apud singulos oratores occurrunt, doceat haec tabula:

Lysias saepissime utitur	εἰ c. ind. fut.:	42 (65)[1]	locis;
sequitur	εἰ c. ind. praes.:	40 (58)	„
„	εἰ c. ind. imperf.:	21 (28)	„
„	εἰ c. ind. perf.:	15 (16)	„
„	εἰ c. ind. aor.:	14 (24)	„
	Sa.	132 (191)	locis.

Andocides saepissime utitur	εἰ c. ind. praes.:	27 (34)[2]	locis:
sequitur	εἰ c. ind. fut.:	8 (9)	„
„	εἰ c. ind. perf.:	8 (8)	„
„	εἰ c. ind. aor.:	6 (8)	„
„	εἰ c. ind. imperf.:	5 (5)	„
	Sa.	54 (64)	locis.

Antiphon[3]) saepissime utitur	εἰ c. ind. praes.:	22	locis;
sequitur	εἰ c. ind. aor.:	5	„
„	εἰ c. ind. perf.:	3	„
„	εἰ c. ind. imperf.:	3	„
„	εἰ c. ind. fut.:	2	„
	Sa.	35	locis.

In tetralogiis saepissime occurrit	εἰ c. ind. praes.:	12	locis;
sequitur	εἰ c. ind. aor.:	11	„
„	εἰ c. ind. perf.:	5	„
„	εἰ c. ind. imperf.:	3	„
„	εἰ c. ind. fut.:	2	„
	Sa.	33	locis.

Contemplanti hanc tabulam primo obtutu apparet, quam raro Antiphon protasin collocauerit in tempore futuro, discedens hac re cum ab Andocide, apud quem numerus eius modi periodorum tertiam fere partem locorum per εἰ c. ind. praes. formatorum efficit, tum a Lysia, qui εἰ c. ind. fut. frequentius etiam quam εἰ c. ind. praes. usurpat. — Inter Antiphontis I., V., VI. orationem et tetralogias idem ordo generum ualet, eo tantum discrimine, quod tetralogiae multo maiore numero εἰ c. ind. aor. praebentium locorum, multo minore exemplorum, quorum protasis exhibet εἰ c. ind. praes.,

1) Additis locis orationum spuriarum. 2) Additis locis orationis IV. 3) Orr. I. V. VI.

quam ceterae orationes conspicuae sunt. — De uariis modis ac temporibus, quorum singulae apodoses sunt, hoc dicendum est: ubi protasis habeat εἰ c. ind. praes., longe praeualere locos, quorum apodosis eodem atque protasis modo et tempore formatur; idem quadrat in εἰ c. ind. fut., exceptis huiusmodi enuntiatis: 'ἀγανακτῶ, δεινόν ἐστιν, εἰ τοῦτο ποιήσεις', ubi quidem protasis condicionalis munere obiecti aut subiecti sententiae fungatur, quae enuntiata infra accuratius tractabo. Etiam ubi utitur εἰ c. ind. perf. Lysias conclusionem facit plerumque indicatiuo praesentis, quem Antiphon saepius in modum potentialem uertit; apud Andocidem duobus indicatiui praesentis exemplis opponuntur una apodosis in indicatiuo aoristi, tres in imperatiuo positae, quo modo Andocides omnino frequenter utitur in apodosi, nempe 12×, contra Lysias 3× tantum, Antiphon 4×. — Congruentiam modorum ac temporum inter protasin et apodosin seruare studet Lysias particulam εἰ cum tempore historico coniungens, exceptis rursus sententiis non proprie hypotheticis (u. supra εἰ c. fut.), ubi indicatiuus praesentis uel potentialis locum habet; minus Andocides, qui conclusionem crebrius potentiali et imperatiuo efficit; etiam Antiphon indicatiuum temporis historici rarius adhibet quam alia tempora ac modos. — Optatiuus solus in apodosi exstat tantum apud Lysiam, coniunctiuus dubitatiuus et prohibitiuus tantum apud Andocidem, Antiphon indicatiuo perfecti in apodosi usurpato insignis est. — Quaerenti quaenam ratio intercedat inter praepositiua et postpositiua enuntiata condicionalia, respondeat haec tabula:

	Protasis praecedit.	Prot. non praec.
Lysias:	76	56
Pseudolys.:	33	26
Andoc.:	37	17
Pseudoand.:	6	4
Antiphon:	46	22

Inde cognoscitur, ordinem praepositiuum, qui sit naturalis atque consentaneus, praeualere apud omnes tres oratores, etsi ordinis postpositiui exempla paulatim augentur. —

Caput II.

εἰ cum indicatiuo temporis historici in condicione non impleta.

§. 7. De uariis huius classis enuntiatorum condicionalium formis.

Particula εἰ cum indicatiuo iuncta significari posse condicionem, quam uero rerum statui non respondere loquens persuasum habet, e numero haud exiguo locorum allatorum satis puto intellegi. Hac quidem §o omnia ea enuntiata condicionalia complectar, ubi condicio non impleta in indicatiuo imperfecti, aoristi, plusquamperfecti collocata cernitur. Secernendos hos locos a prioribus, id quod iure quis miretur, existimaui quasi morem gerens sententiae uulgatae, qua periodi hypotheticae in protasi εἰ cum indicatiuo temporis historici, in apodosi indicatiuum temporis historici cum ἄν exhibentes irreales uocari solent significatione minus recta, cum etiam condicionem alio tempore prolatam ueritati repugnare posse uiderimus. At Akenus docuit, in enuntiatis proprie irrealibus praeterita nihil nisi absolutam irrealitatem exprimere; aduersarius exstitit Koppinus[1]), probabiliter demonstrans, praeterita ut alias etiam hic res praeteritas declarare, irrealitatem concludi demum e nexu sententiarum. Constat autem imperfectum de iis actionibus usurpari, quae durant per aliquod temporis spatium aut iterantur; saepe imperfectum etiam descriptioni inseruit, cum aoristo significetur, actionem aut uno temporis momento aut semel accidere aut incipere aut omnino factam esse; hanc quidem utriusque temporis uim etiam in enuntiatis hisce ualere demonstrare studet Baeumleinius[2]) dicens, 'dafs Imperf. und Aorist ohne Rücksicht, ob die Handlung in oder vor die Gegenwart falle, jenes für die dauernde, im Werden erscheinende, dieser für die geschlossene, in einem Moment abgethane Handlung stehe'; falsum esse iudicat id discrimen inter utrumque tempus statutum, quo in imperfecto existimentur eae collocari actiones quae praesentes, in aoristo, quae praeteritae loquenti uideantur esse. Sententia Baeumleinii confirmatur Homeri carminibus, apud quem 'imperfectum de re praesenti in protasi nunquam adhibitum est..., est autem imperfectum positum, quia per longius temporis spatium res perdurat'.[3]) Non obstat, quod imperfectum de rebus

1) Zeitschr. f. d. Gymn.-W. 1878, p. 1 sqq., p. 97 sqq. 2) Untersuchungen über d. griech. Modi, p. 97 sq. 3) Lilie: 'de locutionum hypotheticarum usu Homerico', p. 17.



usque ad praesens tempus permanentibus dictum est haud raro, quia tum imperfectum simul tempus praeteritum comprehendit. Quaeritur, num etiam apud oratores, quos tractandos mihi proposui, exempla reperiantur, ubi imperfectum ad res praeteritas pertinet et eas quidem, quae imperfecto proferri solere supra commemoraui. Minime desunt eiusmodi exempla.

I. Protasis et apodosis tempore consentiunt. Lys. XIII 36: '*εἰ μὲν οὖν ἐν τῷ δικαστηρίῳ ἐκρίνοντο, ῥᾳδίως ἂν ἐσῴζοντο*'. De rebus non praesentibus, sed de factis absolutisque agi, argumento sunt ipsius oratoris uerba ineunte §o 43: '*οὗτοι μὲν τοίνυν... ὑπ' Ἀγοράτου ἀπογραφέντες ἀπέθανον.*' Tamen imperfecto haud inepte utitur orator, qui totus et mente et animo in tempus quaestionis illius habitae insistat, ut breuiter dicam, qui describat. Actiones durantes uel iteratae imperfecto significantur Lys. XXV, 19: '*καὶ εἰ μὲν οἱ τριάκοντα τούτους μόνους ἐτιμωροῦντο, ἄνδρας ἀγαθοὺς καὶ ὑμεῖς ἂν αὐτοὺς ἡγεῖσθε.*' Actiones temporis praesentis esse refutatur eo, quod sequitur: '*νῦν δέ, ὅτι ὑπὲρ τῶν ἐκείνοις ἡμαρτημένων τὸ πλῆθος κακῶς ποιεῖν ἠξίουν, ἀγανακτεῖτε ...*' XII 52. XIII 28. XXXII 23. Pro imperfecto apodosis participium praesentis legitur I 46: '*ἔπειτα παρακαλέσας αὐτὸς μάρτυρας ἠσέβουν, ἐξόν μοι, εἴπερ ἀδίκως ἐπεθύμουν αὐτὸν ἀπολέσαι* ('hätte ich mich mit der Absicht getragen ihn... zu töten'), *μηδένα μοι τούτων συνειδέναι;*' — Actionem fictam et conclusam durantes percipere non licet I 38: '*εἰ μὲν γὰρ λόγων εἰρημένων ἔργου δὲ μηδενὸς γεγενημένου μετελθεῖν ἐκέλευον ἐκεῖνον, ἠδίκουν ἄν.*' Confugere hic debemus ad id, quod Baeumleinius[1]) confitetur: 'dafs selbst im Attischen der Unterschied zwischen Imperf. und Aorist..., obwohl derselbe als das Regelmäfsige festgehalten werden mufs, nicht streng durchgeführt ist, was sich namentlich ziemlich häufig an Verben wie *λέγειν, ἐρωτᾶν, ἀποκρίνεσθαι, αἰτεῖν, κελεύειν* und ähnlichen bestätigt'. Ceterum hic quoque actio praeterita fingitur et efficitur, quoniam mente supplendum est: '*νῦν δὲ οὐκ... ἐκέλευον, δι' ὃ οὐκ ἠδίκουν.*' Item res se habet X 2: '*ἐγὼ δ', εἰ μὲν τὸν ἑαυτοῦ* sc. *πατέρα με ἀπεκτονέναι ᾐτιᾶτο, συγγνώμην ἂν εἶχον αὐτῷ τῶν εἰρημένων.*' Agitur de rebus praeteritis cum ob antecedentia: '*ἐν ἐκείνῳ γὰρ τῷ ἀγῶνι τὸν πατέρα μ' ἔφασκεν ἀπεκτονέναι τὸν ἐμαυτοῦ*' tum quia adiungitur haec periodus irrealis: '*οὐδ' εἴ τι ἄλλο τῶν ἀπορρήτων ἤκουσα, οὐκ ἂν ἐπεξῆλθον αὐτῷ*'... Si

1) l. c. p. 98.

actionem '*αἰτιᾶσθαι*' durantem ducimus, idem ualere debet de uerbo '*ἤκουσα* sc. *αὐτὸν αἰτιασάμενον*'; in apodosi '*συγγνώμην ἔχειν*' nihil aliud est nisi '*οὐκ ἐπεξέρχεσθαι*'. Tamen Lysias alteram periodum in altero tempore posuit. Item imperfectum pro aoristo legitur III 33. VII 12. XXII 12. (XV) 2. (XX) 16. — Exemplum imperfecti de rebus usque ad praesens tempus permanentibus adhibiti habemus VII 16: '*πῶς δ' οὐκ ἂν ἦν ἀθλιώτατος ἀνθρώπων ἁπάντων, εἰ τοὺς ἐμαυτοῦ θεράποντας μηκέτι δούλους ἔμελλον ἕξειν ἀλλὰ δεσπότας τὸν λοιπὸν βίον, τοιοῦτον ἔργον συνειδότας;*' sententia contraria suppleri debet haec: '*οὐκ... ἔμελλον, δι' ὃ οὐκ ἦν οὐδ' εἰμὶ ἀθλιώτατος ἀνθρώπων ἁπάντων.*' Item actio apodosis non praeteritum solum tempus continet VII 36: '*... φανερὸν οἶμαι εἶναι ὅτι, εἰ Νικομάχου ἐξαιτοῦντος τοὺς ἀνθρώπους μη παρεδίδουν, ἐδόκουν ἂν ἐμαυτῷ ξυνειδέναι*'· ('ich würde mir damals als Mitschuldiger vorgekommen sein und mir dies auch jetzt noch zu sein scheinen'.) Protasis uero ad tempus praesens non pertinet, cf. sequentia: '*ἐπειδὴ τοίνυν ἐμοῦ παραδιδόντος οὗτος παραλαβεῖν οὐκ ἤθελε ...*' — Nihil obstat, quominus etiam protasis actiö simul cum praeterito tempus praesens complectatur, uelut (XX) 27: '*ὥστ' εἰ μὴ εὔνους ἦν τῇ πόλει καὶ ὑμῖν*' sc. *τότε ἐπεὶ τὴν ἐπιστολὴν ἔδωκεν ἀποδοῦναι ἐμοὶ καὶ νῦν*, '*οὐκ ἂν ποτε τοιαῦτα ἐπέστελλεν*' cf. XII 32. 48. XXIII 15. XXXIII 4. —

Haec quidem de Lysia; apud Andocidem duo tantum exempla repperi, ubi condicio et conclusio imperfecto pronuntiatae temporis praeteriti sunt, I 114: '*εἰ γὰρ ἐβουλέσθην με ἀπολλύναι τὼ θεώ, ἐχρῆν δήπου καὶ μὴ θέντα με τὴν ἱκετηρίαν ὁμολογῆσαι, ἀλλ' οὔτε ὑπήκουσα οὔτε ἔθηκα.*' Ceterum actiones durant, imperfectum igitur locum habet. II 7. — Antiphontis hi loci huc referendi sunt: V 32: '*εἰ μὲν γὰρ ἐγὼ ἐκέλευον αὐτὸν στρεβλοῦν ὡς οὐ τἀληθῆ λέγοντα, ἴσως ἂν ἐν αὐτῷ τούτῳ ἀπετρέπετο μηδὲν κατ' ἐμοῦ καταψεύδεσθαι, νῦν δὲ αὐτοὶ ἦσαν*' sc. *οὐκ ἐγὼ ἦν* '*καὶ βασανισταὶ καὶ ἐπιτιμηταὶ τῶν σφίσιν αὐτοῖς συμφερόντων.*' Item atque Lys. XIII 36 (v. p. 251) orator cogitatione uersatur in tempore praeterito; etiam in sequentibus imperfecto utitur, quia narrat ac describit, demum §. 34 aoristis res gestas comprehendit. VI 46. — Actio protasis usque ad praesens tempus permanet V 13: '*καίτοι ἐμοὶ εἰ μηδὲν διέφερε στέρεσθαι τῆσδε τῆς πόλεως, ἴσον ἦν μοι καὶ προσκληθέντι μὴ ἐλθεῖν* etc.' — Cur non aoristus usurpatus sit, nescire me confiteor VI 9: '*ἵνα μὲν ἐξῆν αὐτοῖς, εἴ τι ἠδίκουν ἐγὼ τὴν πόλιν ἢ ἐν χορηγίᾳ ἢ*

ἐν ἄλλοις τισίν, ἀποφήνασι καὶ ἐξελέγξασιν ἄνδρα τε ἐχθρὸν τιμωρήσασθαι καὶ τὴν πόλιν ὠφελῆσαι, ἐνταῦθα μὲν οὐδεὶς πώποτε οἷός τε ἐγένετο...', quia notio imperfecti propria protasi non subest.

II. Apodosis indicatiuo aoristi formatur: Lys. I 31: '*καίτοι δῆλον ὅτι, εἴ τινα εἶχε ταύτης μείζω τιμωρίαν ἐπὶ ταῖς γαμεταῖς, ἐποίησεν ἄν.*' Actionem protasis eiusdem temporis atque rem conclusam esse cognosci licet ex iis, quae sequuntur: '*νῦν δὲ οὐχ οἷός τε ὢν ταύτης ἰσχυροτέραν ἐπ' ἐκείναις ἐξευρεῖν, τὴν αὐτὴν καὶ ἐπὶ ταῖς παλλακαῖς ἠξίωσε γίνεσθαι.*' Illa uero (*εἶχε*) durat uel potius status aliquis, neque uero proprie quae dicitur actio est, cum aoristus apodosis id solum significet, praeteriisse actionem. Item status quidam protasi continetur III 38: '*τί δ' ἂν ποτε ἔπαθον, εἰ τἀναντία τῶν νῦν γεγενημένων ἦν, εἰ πολλοὺς ἔχων τῶν ἐπιτηδείων ἐγώ, ἀπαντήσας Σίμωνι, ἐμαχόμην αὐτῷ καὶ ἔτυπτον αὐτὸν καὶ ἐδίωκον καὶ καταλαβὼν ἄγειν βίᾳ ἐζήτουν...*' Idem ualet de altera protasi; posterior, quae epexegesin prioris efficit, alio spectat. Cf. I 42. VII 15. XIX 61. XXI 5. — Et praeteritum et praesens tempus comprehenditur protasi XXX 15: '*καὶ περὶ τούτων οὐδένα ἂν ἐποιησάμην λόγον, εἰ μὴ ᾐσθανόμην*' sc. *τότε, ὅτε ἐποιησάμην λόγον, καὶ νῦν,* '*αὐτὸν ὡς δημοτικὸν ὄντα πειράσεσθαι παρὰ τὸ δίκαιον σῴζεσθαι, καὶ τῆς εὐνοίας τῆς εἰς τὸ πλῆθος τεκμηρίῳ χρησόμενον ὅτι ἔφυγεν.*' — Aoristus exspectatur IV 16: '*ἔτι δὲ τοὺς μὲν τούτου οἰκέτας ἰδίους ὄντας τούτου εἰ ἐβασανίζομεν, εἰκότως ἄν τι τούτῳ χαριζόμενοι καὶ παρὰ τὴν ἀλήθειαν ἐμοῦ κατεψεύσαντο.*' Difficultati medetur Frohbergerus[1]): 'Anderwärts erklärt sich das Imperfekt im Vordersatze leicht aus dem Zusammenhange als Tempus der Gleichzeitigkeit in der Vergangenheit wie Lys. VII 37: '*περὶ ἐμοῦ εἴ τι ἔλεγον οἱ θεράποντες* (sc. *ὅτε ἐβασανίζοντο*), *οὐδ' ἂν ἀπολογήσασθαί μοι ἐξεγένετο*', und öfters bei Lysias und sonst.' Similiter Kuehnerus[2]), qui praeterea iure docet hoc: 'überall aber bezeichnet das Imperfekt die Handlung als eine in der Vergangenheit sich entwickelnde.' Itaque IV 16 uertendum est: 'wenn wir damals (als der Gegner das Anerbieten machte) auf dasselbe eingingen, nämlich seine eigenen Sklaven auf die Folter spannten'. Item res se habet III 38 membro posteriore (v. supra) XXVIII 4. Fr. 11.

Andocides ex exempla desunt.

Antiphon: V 93: '*εὖ δ' ἴστε ὅτι οὐκ ἂν ποτ' ἦλθον εἰς τὴν πόλιν, εἴ τι ξυνῄδη ἐμαυτῷ τοιοῦτον*' Nisi quis obiciat,

1) ad Lys. I 31. 2) gr. II p. 124.

hic quidem diiudicari non posse, cur imperfecto scriptor usus sit, cum aoristus uerbi *εἰδέναι* absit, uerbo huic uim durandi adhaerere existimem.

III. Silentio non praeteream complures locos, quorum apodosis in imperfecto collocata temporis praeteriti est, protasi in aoristo posita. Lys. XIX 34: '*εἴ τις ὑμῶν ἔτυχε δοὺς Τιμοθέῳ τῷ Κόνωνος τὴν θυγατέρα ἢ τὴν ἀδελφήν... καὶ ... ἐδημεύθη ἡ οὐσία καὶ μὴ ἐγένετο τῇ πόλει πραθέντων ἁπάντων τέτταρα τάλαντα ἀργυρίου, διὰ τοῦτο ἠξιοῦτε ἂν τοὺς ἀναγκαίους τοὺς ἐκείνου καὶ τοὺς προσήκοντας ἀπολέσαι...;*' Item durans res conclusa imperfecto significatur I 44: '*οὔτε γὰρ... συνῄδει κακὸν οὐδὲν ὃ ἐγὼ δεδιὼς μή τις πύθηται ἐπεθύμουν αὐτὸν ἀπολέσαι, οὔτε εἰ ταῦτα διεπραξάμην, ἤλπιζον χρήματα λήψεσθαι.*'[1]) — Eodem modo quo IV 16 (v. s. p. 253) imperfectum interpretari debemus XVII 4: '*καίτοι τοῦτό γε παντὶ εὔγνωστον, ὅτι οὐκ ἂν παραλιπόντες, εἴ τι ἄλλο τῶν Ἐράτωνος οἷόν τε ἦν δημεύειν, πάντα τὰ Ἐράτωνος ἀπέγραφον [ἀπογράφοντες] καὶ ἃ ἐγὼ πολὺν ἤδη χρόνον κέκτημαι.*' Sic legit Scheibius ('Emendat. Lys. fasc.' p. 17); Franckeno (l. c. p. 122) displicebat haec coniectura, quia membra orationis mirifice turbata essent et particula *ἂν* ad participium tantum esset referenda; per se quidem participium cum *ἂν* offendere non potest: cf. similem periodum Isocratis Philippi §. 133: '*εὖ δ' ἴσθι μηδὲν ἄν με τούτων ἐπιχειρήσαντά σε πείθειν, εἰ δυναστείαν μόνον καὶ πλοῦτον ἑώρων ἐξ αὐτῶν γενησόμενον*' pro '*ὅτι οὐδὲν ἂν τούτων ἐπεχείρησά σε πείθειν.*' Soluamus uero quam supra adtulimus constructionem participialem: '*ὅτι οὐκ ἂν παρέλιπον, εἴ τι ἄλλο τῶν Ἐράτωνος οἷόν τε ἦν δημεύειν, ἀλλὰ πάντα τὰ Ἐράτωνος ἀπέγραφον*' (uerbis '*ἀλλὰ* etc.' factum continetur); quod num uno enuntiato comprehendi possit, mihi ualde dubium est. Franckenus hanc argumentationem esse arbitratur: 'eo quod in indicem retulerunt etiam ea, quae ego dudum possederam, apparet omnia eos complexos esse'; uerba '*πάντα τὰ Ἐράτωνος*' omittit, quae in margine adscripta sint ad explicanda uerba superiora '*ὅτι δὲ πάντα δημεύεται*' et legit: '*... οὐκ ἂν παραλιπόντες εἴ τι ἄλλο τῶν Ἐράτωνος οἷόν τ' ἦν δημεύειν, ἀπέγραφον καὶ ἃ ἐγὼ πολὺν ἤδη χρόνον κέκτημαι*'

1) Coniecturam a Lipsio (quaest. Lys. 11) commendatam, quam recepit Franckenus (Comm. Lys. p. 81) eoque auctore Rauchensteinius et Frohbergerus: '*εἰ... διαπραξαίμην*' reicio assentiens Gerthio (l. c. p. 18) censenti, 'dafs der Redner... durch das Präteritum die Voraussetzung um so nachdrücklicher von sich abwehren wollte'.

('si omisissent aliud quid, quod ex bonis Eratonis proscribi posset, non sane retulissent in indicem, quae ego iam dudum possideo'.) Quae scriptura praeter Kayserum[1]) probatur mihi quoque et ideo, quod ab auctoritate Palatini[2]) minus discedit, praefertur emendationi haud ineptae Tiallingi Halbertsma (Lect. Lys. p. 38): '... *ὅτι οὐκ ἂν παρέλιπον, εἴ τι ἄλλο τῶν Ἐράτωνος οἷόν τε ἦν δημεύειν, οἵτινες πάντα τὰ Ἐράτωνος ἀπογράφοντες ἀπέγραφον καὶ ἃ ἐγὼ πολὺν ἤδη χρόνον κέκτημαι.*' — Tota periodus ita dissoluenda est: '*καίτοι τοῦτό γε παντὶ εὔγνωστον, ὅτι οὐκ ἄν, εἰ παρέλιπον εἴ τι* (idem atque *ὅ,τι*) *ἄλλο ... δημεύειν, ἀπέγραφον*[3]) *καὶ ἃ ἐγὼ πολὺν ἤδη χρόνον κέκτημαι.*'

And. I 114 accedit ad Lys. XVII 4. Status quidem imperfecto apodosis exprimitur I 20. II 12.

Ant. *Γβ* 2: '*τὸν γὰρ ἄρξαντα τῆς πληγῆς εἰ μὲν σιδήρῳ ἢ λίθῳ ἢ ξύλῳ ἠμυνάμην αὐτόν, ἠδίκουν μὲν οὐδ' οὕτως.*' *ἀδικεῖν* saepius apud Antiphontem statum eius, qui iniuriam fecit, significat[4]) ('im Unrecht, schuldig sein'). *Δγ* 5.

IV. Differentia, quam inter actionem imperfecti et aoristi intercedere multis locis trium oratorum comprobatum uidimus, non minus dilucide ex iis locis cognoscitur, quorum aut protasi aut apodosi et imperfectum et aoristus occurrunt:

1) *εἰ* c. ind. imp. et aor., apod. imp. Ant. V 38: '*καὶ εἰ μὲν ἐγὼ τὸν ἄνδρα ἠφάνισα ἢ μὴ ἤθελον ἐκδοῦναι τούτοις ἢ ἄλλον τινὰ ἔφευγον ἔλεγχον, αὐτοῖς ἂν τούτοις ἰσχυροτάτοις εἰς τὰ πράγματα ἐχρῶντο καὶ ἦν ταῦτα αὐτοῖς μέγιστα τεκμήρια κατ' ἐμοῦ.*' Actiones protasis omnes temporis praeteriti sunt, sed cum aoristo, '*ἠφάνισα*' nihil aliud nisi res gesta significetur, imperfecto '*ἤθελον*' uis durandi inest, '*ἔφευγον*' imperfectum de conatu percipiendum est; imperfecta apodosis cum praeterito etiam tempus praesens loquentis complectuntur. — Aliter iudicandum est de loco simili VI 27: '*καὶ εἰ μὲν ἐγὼ τούτων προκαλουμένων μὴ ἐθέλησα τοὺς παραγενομένους ἀποφῆναι, ⟨ἢ⟩ θεράποντας ἐξαιτοῦσι μὴ ἤθελον ἐκδιδόναι, ἢ ἄλλην τινὰ πρόκλησιν ἔφευγον, αὐτὰ ἂν ταῦτα μέγιστα τεκμήρια κατ' ἐμοῦ ἐποιοῦντο ὅτι ἀληθὴς ἦν ἡ αἰτία.*' De '*ἔφευγον*' idem ualet quod V 38; quomodo autem differunt '*ἠθέλησα*' et subinde '*ἤθε-*

1) Heidelb. Jahrbb. 1866, 303. 2) Ibi legitur: '... *ὅτι οὐκ ἂν παραλιπόντες εἴ τι ἄλλο τῶν Ἐράτωνος οἷόν τε ἦν δημεύειν τὴν πάντα τὰ Ἐράτωνος ἀπέγραφον καὶ λέγω πολὺν ἤδη χρόνον κέκτημαι.*' 3) sc. *ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ, ὅτε πάντα ἀπέγραφον, οὐδὲν παραλείποντες.* 4) Cf. F. Ignatius: 'De Antiphontis Rhamnusii elocutione' p. 19.

λον'? diuersam uim eidem actioni imputare uereor; equidem puto, oratorem hic studio uariandi ductum fuisse. De apodosi cf. V 38. — Aoristus rem semel factam, imperfectum saepius repetitam significat And. I 20: '*καίτοι τί ἐβουλόμην, εἰ ἐμήνυσα μὲν κατὰ τοῦ πατρός, ὡς οὗτοί φασιν, ἱκέτευον δὲ τὸν πατέρα, μείναντά τι παθεῖν ὑπ' ἐμοῦ;*' cf. P. Polack.[1])

2) *εἰ* c. ind. imp. et aor., apod. aor. Lys. XIII 53: '*καίτοι εἰ ἐκείνοις ἐπείθου καὶ ἠθέλησας ἐκπλεῦσαι μετ' ἐκείνων, οὔτ' ἂν ἑκὼν οὔτε ἄκων τοσούτους Ἀθηναίων ἀπέκτεινας.*' Scriptura codicum '*ἐπείθου*', quam Cobetus, Scheibius, Frohbergerus in '*ἐπίθου*' mutauerunt, ferri potest, si ita uertimus: 'wenn du dir von jenen hättest zureden lassen und (Resultat) entschlossen gewesen wärest'. Item sentit Fuhrius.[2])

3) *εἰ* c. ind. aor., apod. imp. et aor. Lys. XII 98: *εἰ δὲ ἐδυστυχήσατε καὶ τούτων ἡμάρτετε, αὐτοὶ μὲν ἂν δείσαντες ἐφεύγετε μὴ πάθητε τοιαῦτα οἷα καὶ πρότερον, καὶ οὔτ' ἂν ἱερὰ οὔτε βωμοὶ ὑμᾶς ἀδικουμένους διὰ τοὺς τούτων τρόπους ὠφέλησαν.*' '*ἐφεύγετε*' uertendum est: 'dann würdet ihr in die Verbannung gegangen sein und darin weiter leben'; aoristus '*ὠφέλησαν*' hic quoque nihil aliud nisi actionem praeteriisse exprimit.

Ut eorum quae dixi summam faciam, satis multi apud Lysiam, Andocidem, Antiphontem loci exstant, ubi imperfectum notionem sui propriam etiam in periodis hypotheticis, quae uocantur, irrealibus retinet.

V. Saepe uero fit, ut imperfectum ad solum tempus praesens referri possit aut certum tempus omnino non respiciatur.

1) Apodosis tempore ac modo cum protasi congruit: Lys. III 2: '*εἰ μὲν οὖν ἄλλοι τινὲς ἔμελλον* sc. *νῦν περὶ ἐμοῦ διαγνώσεσθαι, σφόδρα ἂν ἐφοβούμην τὸν κίνδυνον, ὁρῶν ὅτι καὶ παρασκευαὶ καὶ τύχαι ἐνίοτε τοιαῦται γίγνονται, ὥστε πολλὰ καὶ παρὰ γνώμην ἀποβαίνειν τοῖς κινδυνεύουσιν.*' Notio temporalis omnino abest Lys. XVIII 17: '*καὶ εἰ μὲν τῷ ὑμετέρῳ πλήθει συνέφερε τοὺς μὲν ἔχειν τὰ αὐτῶν, τῶν δὲ ἀδίκως δημεύεσθαι τὴν οὐσίαν, εἰκότως ἠμελεῖτε τῶν ὑφ' ἡμῶν λεγομένων· (νυνὶ δὲ πάντες ἂν ὁμολογήσαιτε ὁμόνοιαν μέγιστον ἀγαθὸν εἶναι πόλει ...).*' V 1. XIII 62. XVI 1. 11. XXI 17. XXII 17. XXIV 12. XXIX 1. XXXI 27. (II) 78. (VIII) VIII 9. Fr. 13. 88. And. I 24. II 1. III 16. (IV) 8. Ant. *Γδ* 2.

2) Apodosis indicatiuo aoristi formatur: Lys. XXXII 1: '*εἰ μὲν*

1) l. c. p. 43. 2) 9. ed. Rauchenst.

μὴ μεγάλα ἦν, ὦ ἄνδρες δικασταί, τὰ διαφέροντα, οὐκ ἄν ποτε εἰς ὑμᾶς εἰσελθεῖν τούτους εἴασα ...' Contrarium supplendum est: 'μεγάλα ἐστὶ τὰ διαφέροντα, δι' ὃ εἰς ὑμᾶς εἰσελθεῖν τούτους εἴασα ...' (II) 1.

3) Protasi in aoristo collocatae apodosis in imperfecto adnectitur: Lys. VII 22. 23. XVI 8. XXVII 15. (XIV) 21. And. III 2: 'εἰ μὲν οὖν μηδεπώποτε πρότερον ὁ δῆμος ὁ [τῶν] Ἀθηναίων εἰρήνην ἐποιήσατο πρὸς Λακεδαιμονίους, εἰκότως ἂν ἐφοβούμεθα sc. νῦν αὐτὸ διά τε τὴν ἀπειρίαν τοῦ ἔργου διά τε τὴν ἐκείνων ἀπιστίαν.' Ant. I 12. VI 48. Bβ 4. Γα 6.

4) Protasis diuersis temporibus adhibitis conspicua est And. I 119: 'καὶ γὰρ εἰ ἔζη Ἐπίλυκος ἢ τεθνεὼς πολλὰ κατέλιπε χρήματα, ἠξιοῦμεν ἂν γένει ὄντες ἐγγυτάτω ἔχειν τὰς παῖδας.' Imperfecta ad praesens tempus pertinent, aoristus ad praeteritum referri debet. Omnibus quidem huiusmodi locis saltem proprietas actionis in imperfecto positae seruatur uelut Lys. XVI 11: 'καίτοι δῆλον ὅτι, εἰ τῶν αὐτῶν ἐπεθυμοῦμεν, οὐκ ἂν τοιαύτην γνώμην εἶχον περὶ ἐμοῦ.' Recte uertit Carolus Mueller: 'si ego et illi iisdem cupiditatibus teneremur, longe aliter in me essent animati.' — Admodum uero dubium uidetur mihi esse, num etiam locis sequentibus actiones imperfecto prolatae durantes etc. accipi possint:

1) in protasi et apodosi: (Lys.) XI 5: 'ὁμοίως δ' ἂν καὶ τῶν ἕνδεκα γενόμενος οὐκ ἂν ἀπεδέχου τὸν ἀπαγόμενον, ὅτι θοιμάτιον ἔξω θέμενος ἢ τὸν χιτωνίσκον, εἰ μὴ λωποδύτην ὠνόμαζεν.' (XI) 6. Ant. V 74. 84. VI 28 (2).

2) in protasi: Lys. XXX 8: 'δεινὸν δέ μοι δοκεῖ εἶναι ὅτι, εἰ μὲν περὶ ἰδίων συμβολαίων ἀγωνιζόμενος οὕτω φανερῶς ἐξήλεγχον αὐτὸν ἀδικοῦντα, οὐδ' ἂν αὐτὸς ἠξίωσε τοιαῦτα ἀπολογούμενος ἀποφεύγειν ...' Ant. VI 29.

3) in apodosi: Lys. XII 29: 'εἰ μὲν γάρ τις ἦν ἐν τῇ πόλει ἀρχὴ ἰσχυροτέρα αὐτῆς, ... ἴσως ἂν εἰκότως αὐτῷ συγγνώμην εἴχετε.' XII 47. XVIII 20. XXV 5. XXXI 26. Ant. I 11. His quidem locis imperfecto nulla alia uis inhaeret nisi ea, ut exprimat res positas et conclusas uero rerum statui non respondere. Ceterum huiusmodi exempla rara sunt apud Lysiam et Antiphontem, apud Andocidem omnino desiderantur.

VI. Iure quaesiuerit quis, qualis tandem differentia sit inter imperfectum et aoristum, quoniam ratio temporis et actionis imperfecti propriae euanuit. Responsum sufficiens longius repetere coactus sum.

Sicuti imperfectum ita aoristus quoque in enuntiatis res ueritati aduersas continentibus primo de actionibus praeteritis usurpabatur, iis uero, quae non per aliquod temporis spatium durant, sed uno momento fiunt, quae non repetuntur, sed semel fiunt, quae non in statu quodam sunt, sed incipiunt; saepe aoristus id solum spectat, gestam esse actionem. — Haec uis aoristicae actionis quadrat in maximam partem locorum Lysiae, Andocidis, Antiphontis.

Exemplis iam in imperfecto tractando commemoratis accedunt ea, quorum protasis et apodosis aoristi indicatiuo formantur: Lys. XIII 16: '*ἐνόμιζον δὲ δυνήσεσθαι, καὶ ἔπραξαν ἂν ταῦτα, εἰ μὴ ὑπ' Ἀγοράτου τουτουὶ ἀπώλοντο.*' Aoristis deest durandi notio, adest praecedenti '*ἐνόμιζον*' ('sie waren der Überzeugung') VII 17. X 2. XII 34. XIII 51. XIX 51. XXV 30. XXVI 18. XXX 20. XXXI 28. (XIV) 16. And. I 102. III 19. (IV) 26. Ant. V 56. *Δα* 9.

Neque uero absunt loci, ubi actio aoristo significata praeterita intellegi nequit. Non ualet hoc in iis exemplis, ubi et protasis et apodosis in aoristo collocatae sunt; ubi protasis aoristi, apodosis imperfecti est, temporalem aoristi uim abolitam esse quisquam iudicauerit: (Lys.) XIV 21: '... *ὑμᾶς δὲ χρὴ ὑπολαμβάνειν πρῶτον μὲν ὅτι, εἰ πάντες Ἀλκιβιάδῃ ὅμοιοι ἐγένοντο, οὐδὲν ἂν ἔδει τοῦ στρατηγεῖν*' ('si omnes Alcibiadi similes essent (non 'fuissent'), nihil opus esset militiae ducibus'); neque uero minus quam in aoristo *ἔφυν* Soph. Ant. 905. Eur. Phoen. 500[1]), quem nos in enuntiato huius classis praesenti parem habere solemus, Graeci temporis praeteriti uim intellegebant in '*ἐγένοντο*'. — Imperfecto autem protasis antecedente aoristus apodosis aliquoties ad res praeteritas referri non potest: Lys. XXX 8: u. p. 257. Actio protasis non aliquod factum temporis praeteriti spectat, orator potius fingit aliquid fieri, quod omni tempore accidere potuit; itaque etiam res conclusa tempori praeterito attribui nequit. (II) 1: '*εἰ μὲν ἡγούμην οἷόν τε εἶναι, ὦ παρόντες ἐπὶ τῷδε τῷ τάφῳ, λόγῳ δηλῶσαι τὴν τῶν ἐνθάδε κειμένων ἀρετήν, ἐμεμψάμην ἂν τοῖς ἐπαγγείλασιν ἐπ' αὐτοῖς ἐξ ὀλίγων ἡμερῶν λέγειν·*' hic saltem proprietatis utriusque actionis ratio habetur, nam imperfecto status, aoristo actio per se ipsa exprimitur. Quae differentia euanuit XXX 8, praeterea (XX) 19; hic quidem aoristus et imperfectum promiscue adhibentur. Non praetermittam, huiusmodi exempla nondum reperiri apud Andocidem, nondum apud Antiphontem.

VII. Haec quidem de imperfecto et aoristo; interdum in enun-

1) Cf. A. Winter. l. c. p. 15.

tiatis, quae tracto, plusquamperfectum occurrit, de quo Kuehnerus[1]) docet: 'Da das griechische Plusquamperfekt nicht wie das deutsche oder lateinische Plusquamperfekt schlechtweg eine Vergangenheit ausdrückt, sondern die in ihrem Vollendetsein fortbestehende Handlung bezeichnet, so wird es in gleicher Weise gebraucht wie das statt des Plusquamperfekts stehende Imperfekt...'

1) In protasi exstat plusquamperfectum: Lys. I 45: '*τί ἂν οὖν βουλόμενος ἐγὼ τοιοῦτον κίνδυνον ἐκινδύνευον, εἰ μὴ τὸ μέγιστον τῶν ἀδικημάτων ἦν ὑπ' αὐτοῦ ἠδικημένος;*' sententia fictioni contraria haec est: '*ἐγὼ τοιοῦτον κίνδυνον κινδυνεύω, ἐπειδὴ τὸ μέγιστον τῶν ἀδικημάτων εἰμὶ ὑπ' αὐτοῦ ἠδικημένος.*' Fictio temporis praesentis est etiam XXIV 11: '*εἰ γὰρ ἐκεκτήμην οὐσίαν, ἐπ' ἀστράβης ἂν ὠχούμην, ἀλλ' οὐκ ἐπὶ τοὺς ἀλλοτρίους ἵππους ἀνέβαινον·*' 'nam si opes partas nunc haberem' cf. id, quod orator adiungit: '*νυνὶ δ' ἐπειδὴ τοιοῦτον οὐ δύναμαι κτήσασθαι, τοῖς ἀλλοτρίοις ἵπποις ἀναγκάζομαι χρῆσθαι πολλάκις.*' XIII 85. Ant. VI 10. — Ceterum imperfectum apodosis in iis habendum est, quae spectant tempus loquentis (cf. Lys. III 2. V 1 etc. p. 256). Aoristus in apodosi cernitur Ant. V 13: '*λέγεις δὲ ὡς οὐκ ἂν παρέμεινα εἰ ἐλελύμην, ἀλλ' ᾠχόμην ἂν ἀπιών.*' Aoristo actio per se ipsa, plusquamperfecto status significatur: 'wäre ich nicht gefesselt gewesen'; '*ἐλύθην*' ualeret: 'wäre ich nicht gefesselt worden'. Eo, quod fictio ad tempus praeteritum pertinet, locus hic similis est Lys. I 31 (u. p. 253) etc.

2) In apodosi exstat plusquamperfectum: And. I 92: '*εἰ γὰρ ἦλθεν, ἐδέδετ' ἂν ἐν τῷ ξύλῳ*' (cf. Lys. XIX 34 etc. p. 254). Ant. *Γβ* 3: '*εἰ μὲν γὰρ ὑπὸ τῶν πληγῶν ὁ ἀνὴρ παραχρῆμα ἀπέθανεν, ὑπ' ἐμοῦ μὲν δικαίως δ' ἂν ἐτεθνήκει ...*' (cf. Lys. VII 22 etc. p. 257). Incerta est scriptura Lys. XXV 15: '*ἐγὼ γὰρ τοιοῦτον ἐμαυτὸν ἐν ταῖς τῆς πόλεως συμφοραῖς παρέσχον ὥστε, εἰ πάντες τὴν αὐτὴν γνώμην ἔσχον ἐμοί, μηδένα ἂν ὑμῶν μηδεμιᾷ κεχρῆσθαι συμφορᾷ.*'[2])

3) Plusquamperfectum una cum imperfecto in protasi occurrit: Lys. XIII 26: '*... εἰ μή τί σοι ἦν παρεσκευασμένον καὶ ἐπίστευες μηδὲν κακὸν πείσεσθαι, πῶς οὐκ ἂν ᾤχου καὶ πλοίων παρεσκευασμένων καὶ τῶν ἐγγυητῶν ἑτοίμων ὄντων σοι συνεκπλεῖν;*'

1) gr. II p. 130. 2) Reiskio auctore editores discesserunt a librorum auctoritate *χρῆσθαι* praebentium; equidem infinitiuum praesentis pro ind. imp. haberi posse censeo, quoniam saepe apud oratores imperfectum de rebus praeteritis adhiberi uidimus; accedit hic locus ad XIX 34 etc. (p. 254).

('wäre nicht etwas von dir abgemachte Sache gewesen und hättest du nicht auf Straflosigkeit gerechnet'). Ab hoc XXVI 10 eo tantum differt, quod fictio temporis praesentis est. — Ant. V 52: '*καίτοι τὸ παράπαν ἔγωγ' ἂν εἴ τι συνῄδη ἐμαυτῷ καὶ εἴ τί μοι τοιοῦτον εἴργαστο, ἠφάνισ' ἂν τὼ ἀνθρώπω...*' ('hätte mir das Bewufstsein irgend eines Vergehens angehaftet und wäre ich der Thäter eines solchen Verbrechens gewesen').

4) Protasis in aoristo, apodosis in imperfecto et plusquamperfecto collocatae exemplum praebet (And.) IV 41: '*καίτοι εἰ τῶν πρεσβευόντων ἕκαστος τὰ αὐτὰ ἐποίησεν, ὀλίγους ἂν πολεμίους εἴχετε καὶ πολλοὺς συμμάχους ἐκέκτησθε.*' Verbis '*ἐκέκτησθε*' atque '*εἴχετε*' notio possidendi inest, praeterea illi uis comparandi.

§. 8. **De particula *ἂν* apodosis aut addita aut omissa.**

Occupatus eruenda diuersa imperfecti (plusquamperfecti) et aoristi ui in uariis enuntiatorum, quae uocantur, irrealium generibus adhuc nullam rationem habui, apodosis utrum consociaretur cum particula *ἂν* necne. Qua uocula uerbo apodosis addita euentus rei conclusae non certus significatur atque indubius, sed coniectura collectus, quae locum habere solet, cum de eo, quod, si non impleta condicio ad effectum esset perducta, accidisset, plerumque aliquid certi scire non possimus. — Neque uero desunt exempla ubi particula *ἂν* in apodosi desideratur: Lys. VII 12: '*νῦν δὲ πάντας ἂν ὑμᾶς βουλοίμην περὶ ἐμοῦ ταύτην τὴν γνώμην ἔχειν, ἵνα ἡγῆσθέ με σκοπεῖν, εἴπερ τοιούτοις ἔργοις ἐπεχείρουν, καὶ ὅ,τι κέρδος ἐγίνετο τῷ ἀφανίσαντι καὶ ἥτις ζημία τῷ ποιήσαντι ...*' Orator cupit, iudices ipsum tunc quidem — antea aegre ferebat — pro uiro acri et diligenti et nihil unquam temere atque inconsulte agente habere, ut credant, semet ipsum, si facinus tale commisisset, perpensurum fuisse, et quid lucri et quid damni sibi truncum oleae exscindenti instaret; utique hoc se perpensurum fuisse exprimit omissa post '*σκοπεῖν*' uocula *ἂν*. XVIII 17: u. s. p. 256.[1])

Exemplis imperfecto et protasis et apodosis formatis nulla respondent aoristi in utroque membro adhibiti, quo confirmatur id, quod statuit Goelkelius (l. c. p. 13), ellipsin uoculae *ἂν* in aoristo

1) Reiskius *ἂν* post '*εἰκότως*' inseruit, iure, si '*εἰκότως*' uim haberet uernaculae 'mutmafslich, wahrscheinlich'; tum enim orator hac ipsa uoce ostenderet, euentum apodosis se tantum coniecisse; *ἂν* uero non opus est, si *εἰκ.* ualet idem, quod 'iure, merito', quae notio sola huc quadrat.

rarissime animaduerti. Contra occurrunt loci Andocidei et Antiphontei, ubi aoristum protasis apodosis imperfectum sequitur. Ant. Γβ 2: 'τὸν γὰρ ἄρξαντα τῆς πληγῆς, εἰ μὲν σιδήρῳ ἢ λίθῳ ἢ ξύλῳ ἠμυνάμην αὐτόν, ἠδίκουν μὲν οὐδ' οὕτως.' Orator innocentiam suam firme profiteri studens ἂν omisit. And. I 114. – Rei conclusae euentus non conicitur tantum, sed scitur, ob eamque rem ἂν superuacaneum est, si illa efficitur notione necessitatis, officii, libertatis, copiae, uoluntatis etc.: χρῆν, ἔδει, προσῆκε, καιρὸς ἦν, εἰκὸς ἦν, καλόν, δίκαιον, αἰσχρὸν ἦν, καλῶς εἶχε, ἐξῆν, ὑπῆρχε, ἦν, ἔμελλον, ἐβουλόμην, ἤθελον etc. cf. Kuehner.[1]) Lys. VII 24: 'ἐπίστασθε γὰρ ἐν τῷ πεδίῳ πολλὰς μορίας οὔσας καὶ πυρκαϊὰς ἐν τοῖς ἄλλοις τοῖς ἐμοῖς χωρίοις, ἅς, εἴπερ ἐπεθύμουν, πολὺ ἦν ἀσφαλέστερον καὶ ἀφανίσαι καὶ ἐκκόψαι καὶ ἐπεργάσασθαι, ὅσῳπερ ἧττον τὸ ἀδίκημα πολλῶν οὐσῶν ἔμελλε δῆλον ἔσεσθαι.' Loquens oleas et truncos olearum auferre non cupiuit, id quod docent uerba sequentia: 'νῦν δ' οὕτως αὐτὰς περὶ πολλοῦ ποιοῦμαι' etc. Sed siue illis parcere uoluit siue noluit, omni modo tutius erat illas exscindere, quae in campo et in aliis fundis suis erant, quanto minus propter olearum multitudinem delictum manifestum futurum erat. Ἂν uero non superuacaneum esset, si contrarium cogitari deberet 'οὐκ ἦν ἀσφαλέστερον' etc., si conclusa notio necessitatis etc. ipsa coniectura tantum constaret. In apodosi exstat ἐχρῆν (χρῆν): Lys. III 22. XII 32. XII 48: 'καίτοι εἴπερ ἦν ἀνὴρ ἀγαθός, ἐχρῆν[2]) αὐτὸν πρῶτον μὲν μὴ παρανόμως ἄρχειν, ἔπειτα τῇ βουλῇ μηνυτὴν γίγνεσθαι.' XXII 12. And. I 114.

ἔδει: Lys. XIII 72. And. III 16.
ἀνάγκη ἦν: And. II 7.
εἰκὸς ἦν: Lys. XXIII 25. Ant. V 27.
συνέφερε: Lys. XIII 28.
ἄξιον sc. ἦν: (Lys.) II 78.
κρεῖττον ἦν: Lys. I 40.
ἴσον ἦν: Ant. V 13.

1) gr. II p. 176. 2) Traditum ἂν cum Bekkero, Frohbergero, Cobeto, Gebauero, Fuhrio remouendum puto, cum sententia uera supplenda sit: 'ἀλλ' ἦρχε παρανόμως', non 'ἀλλ' οὐκ ἐχρῆν αὐτὸν παρανόμως ἄρχειν'. Akenus l. c. p. 59 ἂν ita defendere studet: 'Die Notwendigkeit ist hier eine logische; für den Begriff des ἀγαθὸς wäre es nötig gewesen, daſs etc. War er nicht ἀγαθός, so fällt diese Notwendigkeit weg.' Sed XII 32 eadem interpretatione utens ἂν desideres, tamen in libris non reperitur, quia contrarium non est 'οὐκ ἐχρῆν'.

θαυμαστὸν sc. *ἦν*: Lys. III 24. VII 7.
ἱκανὸν ἦν: Lys. III 33.
ἱκανὰ ἦν: Ant. VI 46. 48.
κίνδυνος ἦν: And. II 12.
οἷόν τε ἦν: And. I 20.
ἐξῆν: Lys. XXXII 23. Ant. VI 9.
ἔμελλον: Ant. *Δγ* 5.

Restat Ant. *Ββ* 4: '*εἰ μὲν γὰρ τὸ ἀκόντιον ἔξω τῶν ὅρων τῆς αὐτοῦ πορείας ἐπὶ τὸν παῖδα ἐξενεχθὲν ἔτρωσεν αὐτόν, οὐδεὶς ἡμῖν λόγος ὑπελείπετο μὴ φονεῦσιν εἶναι·*' Particula *ἂν* a Blassio perperam addita esse uidetur mihi cum Goelkelio (l. c. p. 12) et Gebauero (ed. Frohb. p. 413 sq.), qui demonstrat uerba '*οὐδεὶς ἡμῖν λόγος ὑπελείπετο μὴ φονεῦσιν εἶναι*' nihil aliud ualere nisi '*οὐκ ἐξῆν ἡμῖν ἀντειπεῖν* ...'. Idem Lys. XIII 90: '*εἰ μὲν οὗτος μὲν ἐν ἄστει, ἡμεῖς δ' ἐν Πειραιεῖ ἦμεν, εἶχόν τινα λόγον αὐτῷ αἱ συνθῆκαι·*' uoculam *ἂν* remouet, quam Baiterus inseruit, cum apodosis eandem uim habeat atque '*ἐξῆν αὐτῷ ἰσχυρίζεσθαι ταῖς συνθήκαις*'. Hic uero cum Frohbergero, Fuhrio particulam post *εἶχον*, ubi facile excidere potuit, inseram, cum sequentibus '*νῦν δὲ καὶ οὗτος ἐν Πειραιεῖ ἦν καὶ ἐγὼ καὶ Διονύσιος καὶ οὗτοι ἅπαντες οἱ τοῦτον τιμωρούμενοι, ὥστε οὐκ εἰσιν ἡμῖν ἐμποδὼν* sc. *αἱ συνθῆκαι*' contineatur '*οὐκ ἔχουσι λόγον αὐτῷ αἱ συνθῆκαι*' cf. III 31. Similiter XXXIII 4.

§. 9. Enuntiata huius classis concessiua.

1) *εἰ καί.*[1])

Lys. XXXI 20: '*τοιαῦτα γάρ ἐστιν, ὥστ' εἰ καὶ μηδὲν αὐτῷ ἄλλο ἡμάρτητο, διὰ μόνα ταῦτα δίκαιον εἶναι ἀποδοκιμασθῆναι.*' Philonem reum re uera alia quoque maleficia in se admisisse ex antecedentibus discimus; sententiae inter se oppositae haec sunt: exspectauerit quis, impietatem Philonis erga propinquos non sufficere ad reprobandum eum; sufficere uero orator in apodosi profitetur. Ant. V 27: '*εἰ δὲ*[2]) *καὶ ὡς μάλιστα ἐξέβην ἐκ τοῦ πλοίου, οὐδενὶ τρόπῳ εἰκὸς ἦν ἀφανισθέντα λαθεῖν τὸν ἄνθρωπον, εἴπερ γε μὴ πάνυ πόρρω ἀπῆλθεν ἀπὸ τῆς θα-*

1) Inde quod reperiuntur omnino eiusmodi exempla in sententiis a uero alienis, argumentum petas, minus recte Hermannum censere, *εἰ καὶ* de iis tantum rebus usurpari, quas ueras esse iudicemus.
2) Vocula *δὲ* inter *εἰ* et *καὶ* offendere non potest respicientem (Lys.) XX 8 (u. p. 243).

λάσσης.' Reus, si naui egressus erat — id quod ille negat — existimari poterat scire, ubi Herodes, quem in terra occisum esse aduersarii dicebant, reperiendus esset, nisi longius ille a mari processit. V 62.

2) *καὶ εἰ, οὐδ' εἰ.*

Lys. XXVI 11: '*καὶ μὲν δὴ βουλεύειν γε δοκιμασθεὶς πεντακοσιοστὸς ὢν μετὰ τῶν ἄλλων ἐνιαυτὸν ἂν μόνον ἐβούλευσεν, ὥστε καὶ εἴ τι ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ ἐξαμαρτάνειν ἐβούλετο, ῥᾳδίως ἂν ὑπὸ τῶν ἄλλων ἐκωλύετο.*' Etiam tum, si Euander ex probatione in ordinem senatorium cooptatus atque cum ceteris per unum annum consedens illo tempore aliquid mali committere in animo haberet, tamen committere non posset, sed facile a ceteris impediretur. —

Conspectus.

Apodosis.	Imperf. cum ἄν.	Imperf. sine ἄν.	Aor. cum ἄν.	Aor. s. ἄν.	Plusquamp. cum ἄν.	Plusqu. s. ἄν.
εἰ cum indicat. imperfecti.	Lys. I 38. III 2. 31. V 1. VII 16. 36. X 2. XII 29. 47. XIII 26. 36. 62. 90. XVI 1. 11. XVIII 20. XXI 17. XXII 17. XXIV 12. XXV 5. 19. XXVI 11 XXIX 1. XXX 17. XXXI 27. XXXIII 4. Fr. 13. 88. (VIII) 9. (XI) 5. 6. (XV) 2. (XX) 16. 27. And. I 24. 119. II 1. — (IV) 8. Ant. V 32. 38. 74. 84. VI 27. 28 (2). 29. Αβ 13. Γδ 2.	Lys. I 46. III 22. VII 7. 12. 24. XII 32. 48. 52. XIII 28. XVIII 17. XXII 12. XXIII 15. XXXII 23. — (II) 78. And. I 114. II 7. III 16. Ant. V 13. VI 9. 46.	Lys. I 31. 42. III 38. IV 16. VII 15. XIII 22. 53. XIX 61. XXI 5. XXVIII 4. XXX 8. 15. XXXII 1. — (II) 1. (XX) 19. — Fr. 11. Ant. V 52. 62. 69. 93. Αβ 13.	—	—	—
εἰ cum indicat. aoristi.	Lys. VII 22. 23. XII 98. XVI 8. XVII 4. XIX 34. XXV 15. XXVII 15. XXXI 26. — (XIV) 21. And. I 119. III 2. — (IV) 41. Ant. I 11. 12. V 38. VI 27 29. Γα 6. γ 5.	Lys. XIII 72. And. I 20. 114. II 12. Ant. V 27 (2). VI 48. Αγ 5. Ββ 4. Γβ 2.	Lys. VII 17. X 2. XII 34. 98. XIII 16. 51. 53. 75. XIX 51. XXV 30. XXVI 18. XXX 20. XXXI 28. — (XIV) 16. And. I 102. III 19. — (IV) 26. Ant. V 56. 69. Αα 9.	—	And. I 92. — (IV 41. Ant. Γβ 3.	—
εἰ cum indic. plusquamp.	Lys. I 45. XIII 26. XXIV 11. Ant. VI 10.	Lys. XXXI 20.	Ant. V 13. 52.	—	—	—

Lysias	utitur	εἰ	cum	indic.	imperf.:	52	(61)[1]	locis
"	"	"	"		aor.:	23	(25)	"
"	"	"	"		plusqu.:	4	(4)	"
Andocides	utitur	εἰ	cum	indic.	imperf.:	6	(7)	locis
"	"	"	"		aor.:	8	(11)	"
"	"	"	"		plusqu.:	—	—	"
Antiphon	utitur	εἰ	cum	indic.	imperf.:	15		locis
"	"	"	"		aor.:	10		"
"	"	"	"		plusqu.:	3		"
Tetralogiae	praebent	εἰ	cum	indic.	imperf.:	3		locis
"	"	"	"		aor.:	7		"
"	"	"	"		plusqu.:	—		"

Itaque Lysiae et Antiphontis I., V., VI. orationibus, ubi imperfectum protasis multo saepius adhibitum cernitur quam aoristus, opponuntur Andocideae et tetralogiae, in quibus ratio permutata est; ceterum iam e conspectu, quem ad primam classem enuntiatorum condicionalium dedi, apparuit, in tetralogiis longe praeualere exempla aoristi in protasi usurpati; ibi imperfectum aoristo inferius erat, hic superius est in Antiphontis I., V., VI. orationibus. Lysias sibi constat in imperfecto ut ibi sic hic multo frequentius, Andocides in utroque tempore eadem fere frequentia adhibito. Plusquamperfectum protasis reperitur neque apud Andocidem neque in tetralogiis, quae hac re rursus consentiunt aduersus Lysiam et Antiphontis orationes non addubitatas. — De temporibus ac modis, quibus apodoses formantur, ut pauca dicam, apud Lysiam protasin in imperfecto collocatam sequitur 39× idem tempus, 13× aoristus in apodosi; imperfectum numero exemplorum praeualet, etiam demptis iis locis, ubi aoristus omnino deest (ἐξῆν, ἐχρῆν etc.); item e protasi aoristica saepius aoristus suspensus est, 13 × enim, imperfectum 10 × uel rectius 8 ×. — Andocides congruentiam temporum protasis et apodosis seruat tum, cum imperfectum in protasi exstat: nullum enim exemplum sequentis aoristi repperi; ex aoristica uero protasi aoristus tantum 2×, imperfectum 5× aptum est; ceterum 3× aoristus formari non poterat. — Antiphon imperfecto protasis 11× idem tempus, 4× aoristum in apodosi adiungit; etiam hic congruentiam minus respicit utens εἰ c. ind. aor.: aoristus sequitur 2×, imperfectum 7× uel rectius 4× in locum eius succedit. Similiter res se habet in tetralogiis: imperfectum protasis 2× imperfectum, 1× aoristus, aoristum

1) Adiunctis exemplis orationum spuriarum.

protasis 5× uel 4× imperfectum, 1× aoristus in apodosi sequitur. — De ἄν addito aut omisso doceat haec tabula:

	εἰ c. imp.		εἰ c. aor.		εἰ c. plusqu.	
	ἄν add.	ἄν om.	ἄν add.	ἄν om.	ἄν add.	ἄν om.
Lys.	39	13	22	1	3	1
(Lys.)	8	1	2	—	—	—
And.	3	3	5	3	—	—
(And.)	1	—	3	—	—	—
Ant.	12	3	7	3	3	—
Tetr.	3	—	4	3	—	—

Silentio non praeteream, uoculam εἴπερ semper fere ibi exstare, ubi ἄν abest: orator apodosin firme statuens condicionis quoque uim auget. — Ordinem praepositiuum hic etiam praeualere cernas:

Lysias.		Andocides.		Antiphon.	
Prot. praes.	Pr. non pr.	Prot. pr.	Pr. non pr.	Prot. pr.	Pr. non pr.
61 (70)[1]	18 (20)	10 (13)	5 (6)	32	7

Caput III.

ἐάν cum coniunctiuo.

§. 10. De discrimine inter εἰ c. ind. fut. et ἐάν c. coni.

Particula condicionalis cum coniunctiuo iuncta quali praedita sit ui, quo altius pernoscamus, haud inutile erit quaerere, quaenam differentia inter huiusmodi enuntiata et ea intercedat, quorum protasis particula εἰ cum indicatiuo futuri formatur. Atque Kuehnerus[2]) ita distinguit: 'ἐάν c. coni. fällt fast ganz mit εἰ c. fut. zusammen, und es findet nur der Unterschied statt, dafs durch εἰ c. ind. fut. die Bedingung als ein in der Zukunft wirklich Eintretendes bezeichnet, durch ἐάν c. coni. aber die Bedingung als eine solche gesetzt wird, deren Eintreten in die wirkliche Erscheinung blofs angenommen oder erwartet wird.' Sententiae Kuehneri obstant omnia ea exempla uoculae εἰ cum futuro consociatae, ubi loquens euentum protasis adhuc ignorat (cf. p. 230) aut rem sumptam cum ueritate non consensuram esse scit (cf. p. 229). Iniuria omnino uoci εἰ cum indicatiuo semper affirmatiuam tribui uim satis multis exemplis demonstrasse mihi uideor. Ceterum Kuehnerus alibi[3]) aliter sentit: 'Da der Indikativ

1) Additis locis orationum spuriarum. 2) gr. II p. 976. 3) gr. II p. 969.

keine objektive, sondern nur eine subjektive, blofs angenommene Wirklichkeit ausspricht, so kann der Redende εἰ c. ind. auch von dem gebrauchen, von dem er weifs, dafs es sich gar nicht verwirklichen kann.' 'Ebenso kann auch εἰ c. ind. von einer durchaus zweifelhaften, ungewissen Bedingung gebraucht werden.' Quod in discrimine inter εἰ c. fut. et ἐὰν c. coni. faciendo oblitus secum ipse pugnat. Nam eadem ui altero in loco εἰ cum indicatiuo, altero in loco ἐὰν cum coniunctiuo instruit.

Kruegerus[1]) ita statuit: 'Fast gleichbedeutend mit dieser Ausdrucksweise (ἐὰν c. coni.), oft mit ihr abwechselnd, ist εἰ mit dem Indikativ des Futurs, leicht auch anwendbar, wo man die Wirklichkeit der Bedingung ablehnt oder als zweifelhaft vorstellt.' Recte uirum doctum de εἰ c. ind. fut. iudicare satis apparet e locis p. 229 sq. allatis; unde etiam perspicuum fit, Ditfurtum aeque ac Kuehnerum errare, qui εἰ ἀκούσομαι hoc ualere dicat:[2]) 'ich bin überzeugt, dafs ich hören werde', cum particula ἐὰν condicio significetur, quae utrum euentura sit necne nesciatur.

Merito Middendorfius[3]) praeter Kuehnerum et Ditfurtum reicit Maduigium docentem, particula ἐὰν magis quam εἰ exprimi 'der unbestimmte und einzelne, möglicherweise eintretende Fall'.[4]) Valde dubito, num ita inter se utrumque genus periodorum hypotheticarum differat uelut Lys. XXVII 7: 'ἥκουσι δὲ πάντες . . . εἰσόμενοι ἥντινα γνώμην περὶ τῶν ἀδικούντων ἕξετε. ὥστ' εἰ μὲν ἀποψηφιεῖσθε τούτων, οὐδὲν δεινὸν δόξει αὐτοῖς εἶναι ὑμᾶς ἐξαπατήσαντας ἐκ τῶν ὑμετέρων ὠφελεῖσθαι· ἐὰν δὲ καταψηφισάμενοι θανάτου τιμήσητε, τῇ αὐτῇ ψήφῳ τούς τε ἄλλους κοσμιωτέρους ποιήσετε ἢ νῦν εἰσι, καὶ παρὰ τούτων δίκην εἰληφότες ἔσεσθε.'

Venio ad sententiam Akeni[5]): 'So steht auch im Bedingungssatz gerade, wo es auf Bezeichnung der Zukunft ankommt, der Konj. c. ἄν weit häufiger als das Futur; dagegen εἰ c. fut. enthält fast immer ein 'wenn das sein soll,' 'wenn ihr wollt, dafs das sei'.' Concedo talem notionem saepe futuro ab εἰ suspenso contineri, ut Lys. XXXIV 2: 'καίτοι τί ἔδει φεύγοντας κατελθεῖν, εἰ χειροτονοῦντες ὑμᾶς αὐτοὺς καταδουλώσεσθε;' ('wenn ihr euch . . . in Knechtschaft begeben wollt?') cf. p. 228, ubi plura exempla con-

1) §. 54, 12, 2. 2) Att. Syntax. §. 406 b. 3) 'Beiträge zur Lehre von den temporalen und hypothetischen Nebensätzen im Griechischen.' Progr. von Weifsenburg 1876. 4) Syntax d. griech. Spr. §. 125 Anm. 1. 5) l. c. p. 145.

gessi. — Respiciamus uero Lys. XXIV 13: '*καίτοι εἰ τοῦτο πείσει τινὰς ὑμῶν, ὦ βουλή, τί με κωλύει κληροῦσθαι τῶν ἐννέα ἀρχόντων, καὶ ὑμᾶς ἐμοῦ μὲν ἀφελέσθαι τὸν ὀβολὸν ὡς ὑγιαίνοντος, τούτῳ δὲ ψηφίσασθαι πάντας ὡς ἀναπήρῳ;*' notionem uolendi inserere hic prorsus falsum sit, cum antecedant: '*τοσοῦτον δὲ διενήνοχεν ἀναισχυντίᾳ τῶν ἁπάντων ἀνθρώπων, ὥστε ὑμᾶς πειρᾶται πείθειν, τοσούτους ὄντας εἷς ὤν, ὡς οὐκ εἰμὶ τῶν ἀδυνάτων ἐγώ.*' In hac quidem enuntiatione de conatu persuadendi agitur, in sequente autem de actione ipsa. Item actio futura ipsa tantum intellegi potest Lys. XII 70: '. . . *ταῦθ' ὑμᾶς ἔπεισε πρᾶξαι, οὐχ ὑπὸ Λακεδαιμονίων ἀναγκαζόμενος, ἀλλ' αὐτὸς ἐκείνοις ἐπαγγελλόμενος, τοῦ τε Πειραιῶς τὰ τείχη περιελεῖν καὶ τὴν υπάρχουσαν πολιτείαν καταλῦσαι, εὖ εἰδὼς ὅτι, εἰ μὴ πασῶν τῶν ἐλπίδων ἀποστερηθήσεσθε, ταχεῖαν παρ' αὐτοῦ τὴν τιμωρίαν κομιεῖσθε.*' Sensu carent ubi sic uertuntur: 'wenn ihr nicht aller Hoffnungen beraubt werden wollt (sollt).' Accedunt XXIX 2. And. I 104. 149. III 21. Ant. *Αβ* 4. — Contra saepe condicionibus uoce *ἐὰν* formatis notio uoluntatis integro uerborum sensu adiungi potest, uelut Lys. XXI 14: '*ἐὰν δ' ἐμὲ πένητα ποιήσητε, καὶ ὑμᾶς αὐτοὺς ἀδικήσετε*' uerti licet: 'wenn ihr aber mich arm zu machen gewillt seid, werdet ihr (zugleich mit diesem Entschlufs) auch euch selbst schädigen', cf. XIX 56. XXIII 16. XXIX 14. Akenum sequens XXVII 7 (u. p. 267) aut bis *εἰ* c. fut. aut bis *ἐὰν* c. coni. adhibitum exspectauerit; neque enim intellego, cur orator sumens, reos absolutum iri, uoluntatem iudicum respexerit, neque uero, sumens illos capitis damnatum iri.

Accuratius de differentia utriusque generis enuntiatorum agit Ludouicus Tillmanns in disputatione, quae inscribitur: 'Über *εἰ* mit Indikativ der Haupttempora und *ἐὰν* mit Konjunktiv' (J. f. kl. Ph. 16. Jahrg. 1870. p. 649 sqq.). Commemoratis uariis grammaticorum sententiis primum disputat de propria ui indicatiui et coniunctiui et de modo utroque cum in condicionalibus tum in enuntiatis similibus usurpato, deinde exempla ex Herodoto (VII 1—100), Thucydide (III 1—50), Xenophonte (an. lib. III), Demosthene (Olynth. I—III), Isocrate (Panegyr.), Platone (Charm.) petita tractat. Venit ad hanc summam[1]): 'einen fall der zukunft, der schlechtweg als vielleicht eintretend in form eines bedingenden nebensatzes ausgedrückt werden soll, giebt die attische prosa durch *ἐὰν* mit dem conj. praes. (bez. aor.), dem modus, der die tendenz

1) l. c. p. 658.

zur wirklichkeit bezeichnet; versetzt man sich dagegen in seinen eigenen gedanken so lebhaft in die betreffende situation, dass man den fall als fast schon entschieden ansieht — ob verneint oder bejaht, ist gleichgültig — dann setzt man εἰ mit dem ind. fut., dem modus der wirklichkeit...' Isocrates et Demosthenes, apud quos ut oratores qualis sit usus maxime nostra interesse oportet, ἐὰν c. coni. ponunt, ubi de rebus minoris momenti agitur, contra εἰ c. fut. de rebus, in quibus tota uertitur quaestio. Hoc an confirmetur usu Lysiae, Andocidis, Antiphontis, uideamus.

Atque Lys. XII 90: 'ὑμεῖς δὲ δείξατε ἥντινα γνώμην ἔχετε περὶ τῶν πραγμάτων. εἰ μὲν γὰρ τούτου καταψηφιεῖσθε, δῆλοι ἔσεσθε ὡς ὀργιζόμενοι τοῖς πεπραγμένοις· εἰ δὲ ἀποψηφιεῖσθε, ὀφθήσεσθε τῶν αὐτῶν ἔργων ἐπιθυμηταὶ τούτοις ὄντες...' recte εἰ c. fut. adhibitum est, cum in eo res posita sit, utrum condemnetur an absoluatur Eratosthenes, item XXII 17, utrum puniantur frumentarii necne; cf. III 43. VII 41. X 22. XIII 93. 94. XXVII 1. XXIX 2. XXXIV 2. 6. And. I 103. 104. III 36. Ant. Δβ 4. — Neque uero desunt loci, in quibus, quamquam res eiusdem momenti proponuntur, nihilominus tamen ἐὰν c. coni. usurpatum inuenitur: Lys. XXVIII 16: 'ἔτι δέ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἂν αὐτῶν ἀποψηφίσησθε, οὐδεμίαν ὑμῖν εἴσονται χάριν, ἀλλὰ τοῖς ἀνηλωμένοις καὶ τοῖς χρήμασιν οἷς ὑφῄρηνται·' Hic quoque caput rei est, utrum Ergocles eiusque similes liberentur necne. XXXIV 4. 5 orator sumit: 'ἂν ἔμοιγε πείθησθε', pro quo exspectetur secundum Tillmannsium εἰ c. fut., cum loquens nihil antiquius habeat quam ut persuadeat audientibus cf. §. 7: 'ἐὰν μὲν πείσω'. Item res se habet Lys. XXI 14. XXII 19. XXVI 14. XXX 23. And. I 146: 'ἐάν με νυνὶ διαφθείρητε, οὐκ ἔστιν ὑμῖν ἔτι λοιπὸς τοῦ γένους τοῦ ἡμετέρου οὐδείς, ἀλλ' οἴχεται πᾶν πρόρριζον.' I 149. Ant. I 3. Δβ 9: 'ἐὰν δὲ νῦν καταληφθεὶς ἀποθάνω, ἀνόσια ὀνείδη τοῖς παισὶν ὑπολείψω, ἢ φυγὼν γέρων καὶ ἄπολις ὢν ἐπὶ ξενίας πτωχεύσω.' Βδ 9. Discrimen quale a Tillmannsio inter εἰ c. fut. et ἐὰν c. coni. statuatur minus recte fieri argumento est etiam Lys. XXVII 7 (u. p. 267), ubi utraque protasis aliam constructionem praebet, etiamsi grauitas utriusque rei eadem est.

Sequitur sententia Middendorfii ita statuentis[1]): 'ἐὰν c. coni. wird gebraucht, wenn nicht blofs die Bedingung ausgedrückt wird, sondern auch das temporale Verhältnis, in welchem die Handlung des Bedingungssatzes zu der Handlung des Hauptsatzes steht, deutlich

1) l. c. p. 12.

gessi. — Respiciamus uero Lys. XXIV 13: 'καίτοι εἰ τοῦτο πείσει τινὰς ὑμῶν, ὦ βουλή, τί με κωλύει κληροῦσθαι τῶν ἐννέα ἀρχόντων, καὶ ὑμᾶς ἐμοῦ μὲν ἀφελέσθαι τὸν ὀβολὸν ὡς ὑγιαίνοντος, τούτῳ δὲ ψηφίσασθαι πάντας ὡς ἀναπήρῳ;' notionem uolendi inserere hic prorsus falsum sit, cum antecedant: 'τοσοῦτον δὲ διενήνοχεν ἀναισχυντίᾳ τῶν ἁπάντων ἀνθρώπων, ὥστε ὑμᾶς πειρᾶται πείθειν, τοσούτους ὄντας εἷς ὤν, ὡς οὐκ εἰμὶ τῶν ἀδυνάτων ἐγώ.' In hac quidem enuntiatione de conatu persuadendi agitur, in sequente autem de actione ipsa. Item actio futura ipsa tantum intellegi potest Lys. XII 70: '... ταῦθ' ὑμᾶς ἔπεισε πρᾶξαι, οὐχ ὑπὸ Λακεδαιμονίων ἀναγκαζόμενος, ἀλλ' αὐτὸς ἐκείνοις ἐπαγγελλόμενος, τοῦ τε Πειραιῶς τὰ τείχη περιελεῖν καὶ τὴν ὑπάρχουσαν πολιτείαν καταλῦσαι, εὖ εἰδὼς ὅτι, εἰ μὴ πασῶν τῶν ἐλπίδων ἀποστερηθήσεσθε, ταχεῖαν παρ' αὐτοῦ τὴν τιμωρίαν κομιεῖσθε.' Sensu carent ubi sic uertuntur: 'wenn ihr nicht aller Hoffnungen beraubt werden wollt (sollt).' Accedunt XXIX 2. And. I 104. 149. III 21. Ant. *Αβ* 4. — Contra saepe condicionibus uoce ἐὰν formatis notio uoluntatis integro uerborum sensu adiungi potest, uelut Lys. XXI 14: 'ἐὰν δ' ἐμὲ πένητα ποιήσητε, καὶ ὑμᾶς αὐτοὺς ἀδικήσετε' uerti licet: 'wenn ihr aber mich arm zu machen gewillt seid, werdet ihr (zugleich mit diesem Entschlufs) auch euch selbst schädigen', cf. XIX 56. XXIII 16. XXIX 14. Akenum sequens XXVII 7 (u. p. 267) aut bis εἰ c. fut. aut bis ἐὰν c. coni. adhibitum exspectauerit; neque enim intellego, cur orator sumens, reos absolutum iri, uoluntatem iudicum respexerit, neque uero, sumens illos capitis damnatum iri.

Accuratius de differentia utriusque generis enuntiatorum agit Ludouicus Tillmanns in disputatione, quae inscribitur: 'Über εἰ mit Indikativ der Haupttempora und ἐὰν mit Konjunktiv' (J. f. kl. Ph. 16. Jahrg. 1870. p. 649 sqq.). Commemoratis uariis grammaticorum sententiis primum disputat de propria ui indicatiui et coniunctiui et de modo utroque cum in condicionalibus tum in enuntiatis similibus usurpato, deinde exempla ex Herodoto (VII 1—100), Thucydide (III 1—50), Xenophonte (an. lib. III), Demosthene (Olynth. I—III), Isocrate (Panegyr.), Platone (Charm.) petita tractat. Venit ad hanc summam[1]): 'einen fall der zukunft, der schlechtweg als vielleicht eintretend in form eines bedingenden nebensatzes ausgedrückt werden soll, giebt die attische prosa durch ἐὰν mit dem conj. praes. (bez. aor.), dem modus, der die tendenz

1) l. c. p. 658.

zur wirklichkeit bezeichnet; versetzt man sich dagegen in seinen eigenen gedanken so lebhaft in die betreffende situation, dass man den fall als fast schon entschieden ansieht — ob verneint oder bejaht, ist gleichgültig — dann setzt man *εἰ* mit dem ind. fut., dem modus der wirklichkeit...' Isocrates et Demosthenes, apud quos ut oratores qualis sit usus maxime nostra interesse oportet, *ἐὰν* c. coni. ponunt, ubi de rebus minoris momenti agitur, contra *εἰ* c. fut. de rebus, in quibus tota uertitur quaestio. Hoc an confirmetur usu Lysiae, Andocidis, Antiphontis, uideamus.

Atque Lys. XII 90: '*ὑμεῖς δὲ δείξατε ἥντινα γνώμην ἔχετε περὶ τῶν πραγμάτων. εἰ μὲν γὰρ τούτου καταψηφιεῖσθε, δῆλοι ἔσεσθε ὡς ὀργιζόμενοι τοῖς πεπραγμένοις· εἰ δὲ ἀποψηφιεῖσθε, ὀφθήσεσθε τῶν αὐτῶν ἔργων ἐπιθυμηταὶ τούτοις ὄντες ...*' recte *εἰ* c. fut. adhibitum est, cum in eo res posita sit, utrum condemnetur an absoluatur Eratosthenes, item XXII 17, utrum puniantur frumentarii necne; cf. III 43. VII 41. X 22. XIII 93. 94. XXVII 1. XXIX 2. XXXIV 2. 6. And. I 103. 104. III 36. Ant. *Δβ* 4. — Neque uero desunt loci, in quibus, quamquam res eiusdem momenti proponuntur, nihilominus tamen *ἐὰν* c. coni. usurpatum cernitur: Lys. XXVIII 16: '*ἔτι δέ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἂν αὐτῶν ἀποψηφίσησθε, οὐδεμίαν ὑμῖν εἴσονται χάριν, ἀλλὰ τοῖς ἀνηλωμένοις καὶ τοῖς χρήμασιν οἷς ὑφῄρηνται·*' Hic quoque caput rei est, utrum Ergocles eiusque similes liberentur necne. XXXIV 4. 5 orator sumit: '*ἂν ἔμοιγε πείθησθε*', pro quo exspectetur secundum Tillmannsium *εἰ* c. fut., cum loquens nihil antiquius habeat quam ut persuadeat audientibus cf. §. 7: '*ἐὰν μὲν πείσω*'. Item res se habet Lys. XXI 14. XXII 19. XXVI 14. XXX 23. And. I 146: '*ἐάν με νυνὶ διαφθείρητε, οὐκ ἔστιν ὑμῖν ἔτι λοιπὸς τοῦ γένους τοῦ ἡμετέρου οὐδείς, ἀλλ' οἴχεται πᾶν πρόρριζον.*' I 149. Ant. I 3. *Δβ* 9: '*ἐὰν δὲ νῦν καταληφθεὶς ἀποθάνω, ἀνόσια ὀνείδη τοῖς παισὶν ὑπολείψω, ἢ φυγὼν γέρων καὶ ἄπολις ὢν ἐπὶ ξενίας πτωχεύσω.*' *Βδ* 9. Discrimen quale a Tillmannsio inter *εἰ* c. fut. et *ἐὰν* c. coni. statuatur minus recte fieri argumento est etiam Lys. XXVII 7 (u. p. 267), ubi utraque protasis aliam constructionem praebet, etiamsi grauitas utriusque rei eadem est.

Sequitur sententia Middendorfii ita statuentis[1]): '*ἐὰν* c. coni. wird gebraucht, wenn nicht bloſs die Bedingung ausgedrückt wird, sondern auch das temporale Verhältnis, in welchem die Handlung des Bedingungssatzes zu der Handlung des Hauptsatzes steht, deutlich

1) l. c. p. 12.

bezeichnet werden soll; dagegen wird εἰ c. Futur. indic. gebraucht, wenn nur die Bedingung ausgedrückt, das temporale Verhältnis aber gar nicht bezeichnet werden soll.' εἰ c. ind. fut., cum futuro II. Latinorum Graecus sermo careat[1]) tum solum adhiberi posse censet, si actio protasis eodem quo apodosis tempore accidat; si quis uero significare uelit, actionem sumptam conclusae antecedere, cogi ἐὰν c. coni. aor. uti; seruat igitur Middendorfius uulgarem regulam, qua ἐὰν c. coni. praes. eandem uim habet quam si c. ind. fut., ἐὰν c. coni. aor. a si c. ind. fut. II. non differt. De hac re infra agam. Inde, quod εἰ c. fut. semper tantum actio eodem tempore atque alia futura significari possit, conficit Middendorfius, ab eo, qui hoc genus enuntiatorum condicionalium adhibeat, rationem temporalem omnino non respici, sed condicionis et consecutionis rationem; itaque condicionem in futuro collocatam multo firmius acriusque proponi quam uocula ἐὰν formatam. Recte εἰ c. ind. fut. imprimis locum habere ducit, ubi duae condiciones inter se contrariae proferantur cf. Lys. XII 90 (u. p. 269). XXVII 13. — Verum etiam ἐὰν c. coni. sic reperitur, uelut Lys. XIII 76: 'ἐὰν μὲν οὖν φάσκῃ Φρύνιχον ἀποκτεῖναι, τούτων μέμνησθε, καὶ τοῦτον τιμωρεῖσθε, ἀνθ' ὧν ἐποίησεν· ἐὰν δ' οὐ φάσκῃ, ἔρεσθε αὐτὸν δι' ὅ,τι φησὶν Ἀθηναῖος ποιηθῆναι.' Hic locus a duobus prioribus eo diuersus est, ut iudicat Midd., quod exprimitur, actiones utriusque membri periodorum eodem tempore euenturas esse. Ut actiones ('φάσκειν' et 'μεμνῆσθαι', 'οὐ φάσκειν' et 'ἐρέσθαι') eiusdem temporis sint, num causa ulla explorari potest, cur id orator disertis uerbis indicare studuerit? Contra XII 90 grauitas uerborum augetur, si orator dicit, iudices simul damnando Eratosthene demonstraturos esse, se rebus ab hoc gestis succensere, simul absoluendo, se eadem quae reum eiusque socios concupiuisse. Tamen εἰ c. fut. usurpatum uidemus. Dein Midd. usum εἰ c. fut. sermoni feruidiori ac uiuidiori attribuit; sed ibi etiam ἐὰν occurrit, uelut in epilogo uiuido orationis ab Andocide de mysteriis habitae, §. 146: 'ἐάν με νυνὶ διαφθείρητε' etc. (u. p. 269); similiter in epilogo alterius orationis, §. 26: 'ὧν καὶ ἕνεκα εἰκὸς ὑμᾶς, ἐὰν χρηστὸς ὢν ἀνὴρ εἰς ὑμᾶς φαίνωμαι, προθυμότερόν μου ἀποδέχεσθαι τὰ πραττόμενα.' Tum eum, qui speret uel cupiat rem sumptam non ad effectum uenturam esse, illam in indicatiuo futuri collocare Midd. censet. Concedendum est, multis locis euentum condicionis εἰ c. fut. formatae loquenti ini-

1) Cf. Kuehner. gr. II p. 153.

quum uel perniciosum esse cf. Lys. VII 41: '*πάντων γὰρ ἀθλιώτατος ἂν γενοίμην, εἰ φυγὰς ἀδίκως καταστήσομαι...*' And. I 146 (u. p. 269). Ant. *Αβ* 9 (u. ibid.), ut illum a loquente non desiderari per se pateat. Rursus uero *ἐὰν* saepe locum habet, ubi temporum ratio qualis inter protasin et ap. intercedat non quaeritur: Lys. XXXI 14: '*εἰ μέντοι τι μέρος περίεστι τῶν πολιτῶν ὅ,τι τῶν αὐτῶν μετέσχε τούτῳ πραγμάτων, μετ' ἐκείνων, ἐάν ποτε* (*ὃ μὴ γένοιτο*) *λάβωσι τὴν πόλιν, βουλεύειν ἀξιούτω.*' XVII 4. XIX 1. XXIV 6. XXV 17. XXVI 14. XXVIII 16. XXX 27. And. I 26. 146. Ant. V 87. 96. VI 4. — Middend. addere poterat, saepe pro statu rerum loquenti uoluntatem, ut eueniat res sumpta, adscribi posse, uelut And. I 123: '*εἰ δ' ἐγὼ αὐτὸν ἀποφεύξομαι καὶ γνώσονται Ἀθηναῖοι περὶ ἐμοῦ τὰ δίκαια, ἐγὼ αὐτὸν οἴομαι περὶ τοῦ σώματος τοῦ ἑαυτοῦ ἐν τῷ μέρει κινδυνεύσειν.*' Omnino si uoluntas *εἰ* c. fut. exprimi putatur, tum nullam differentiam inter utrumque genus locutionum hypotheticarum obtinere doceat pro multis locis unus Lys. XXI 12, ubi euentus protasis exoptetur: '*ἂν οὖν ἐμοὶ πεισθῆτε, τά τε δίκαια ψηφιεῖσθε καὶ τὰ λυσιτελοῦντα ὑμῖν αὐτοῖς αἱρήσεσθε.*'

Postremo afferam, quod Gerthius in recensione disputationis Middendorfianae[1]) docet, coniunctiuum, cum ex sententiis primariis ab indicatiuo futuri postea formato depelleretur, in sententiis secundariis (finalibus, condicionalibus, temporalibus) locum retinuisse; sententias secundarias *εἰ* c. ind. fut. praebentes pro exceptionibus habet; permultas exceptiones occurrere confitebitur hanc tabulam cernens:

	εἰ c. fut.	*εἰ, εἴκε, εἰάν, ἤν* c. coni.
Homerus[2]):	35 exempla	135 exempla
Aeschylus[3]):	22 „	13 „
Sophocles:	61 „	79 „
Euripides:	140 „	282 „

	εἰ c. fut.	*ἐὰν* c. coni.
Antiphon:	4 exempla	44 exempla
Andocides:	9 (10) „	21 (24) „
Lysias:	42 (64) „	97 (129) „

Dolendum est, quod doctissimus Gerthius, enuntiata *εἰ* c. ind. fut. exhibentia propriam uim habere profitens, quanam re a ceteris

1) Burs. Jahrb. 1878 p. 261. 2) Tot locos praebet Lilii conspectus. 3) Numeros tragicorum exemplorum ex Winteri conspectu congessi.

differant, non ostendit; itaque hanc sententiam in medio relinquere coactus sum.

Quoniam tot discrimina, quae uiri docti inter utrumque genus enuntiatorum condicionalium posuerint, aut falsa aut re uera nulla esse cognouimus, ego quidem ita dicendum puto: εἰ cum indicatiuo adhiberi poterat de rebus, quas re uera accidere aut non accidere loquens persuasum habebat, deinde de iis, quae consentirentne cum ueritate necne loquens aut ignorabat aut neglegebat; ad omnia haec una eademque forma condicionis sufficiebat; itaque εἰ c. ind. qui usurpat forma ipsa non significat, quid de rei sumptae euentu iudicet; εἰ c. ind. futuri item atque εἰ c. ind. ceterorum temporum locum habet, ubi quis nihil aliud nisi logicam rationem, quae inter duo membra periodi ualet, exprimere studet; contra ἐὰν cum coniunctiuo, modo exspectationis, adhibens quasi relinquit latebras, quibus abdita erat animi sententia, et prodit, sua interesse, utrum res sumpta euentura sit necne, se effectum condicionis sperare aut metuere. Confiteor, hoc minus quadrare in ea enuntiata uoce ἐὰν formata, quibus actiones saepius repetitae continentur; quae uero enuntiationes minus condicionales quam temporales accipiendae sunt; ceterum de his infra agam.

§. 11. De coniunctiuo aoristi aut praesentis protasis.

Particula ἐὰν quoniam et cum praesentis et cum aoristi coniunctiuo iungi potest, alia oritur quaestio, quid inter utrumque modum in enuntiatis hypotheticis usurpatum intersit.

Atque coniunctiuum praesentis adhiberi docetur, si actio sumpta et conclusa eiusdem temporis sint, coniunctiuum aoristi, si illa hanc praecedat. Hoc multis locis confirmari concedens Iulius Ernst[1]) ostendit, in interrogationibus, quae dubitationem sapiant, in adhortationibus, in enuntiatis finalibus coniunctiuum aoristi de praesentibus rebus dici; item censet Akenus.[2]) Porro inde, quod Graeci actum uidendi et uolendi modo in prius tempus transtulerint modo in eodem in quo actum apodosis tempore collocauerint, conficit, uulgarem explicationem non sufficere; exemplo deinde e Plat. Gorg. 503E prolato, unde cognosceretur, etiamsi tempora utriusque actionis congruerent, aoristum occurrere, addam Lys. XXII 22: 'ἂν οὖν τούτων καταψηφίσησθε, τά τε δίκαια ποιήσετε καὶ ἀξιώτερον τὸν σῖτον ὠνήσεσθε·' 'τὰ δίκαια ποιεῖν' non sequitur ac-

1) 'de usu aoristi et praesentis coniunctiui in enunciatis relatiuis condicionalibus et temporalibus' Marb. 1873. p. 5. 2) l. c. p. 8.

tionem sumptam 'καταψηφίζεσθαι', sed in ea continetur; item res se habet XXI 14.[1]) — Potius coniunctiuo aoristi significatur 'actus momentaneus, cuius euentus aliquo tempore nondum definito exspectandus est'.[2]) Saepius Graecos uerbis ut ἅπαξ aliis appositis aoristicam actionem clarius indicauisse Ernestus dicit. — Temporis significationem omnino abhorrere a coniunctiuo aoristi ex iis locis apparere ducit[3]), in quibus eius actio adiectis aduerbiis ad uaria tempora traducta est, uelut Lys. XIX 1: 'πολλήν μοι ἀπορίαν παρέχει ὁ ἀγὼν οὑτοσί, ὦ ἄνδρες δικασταί, ὅταν ἐνθυμηθῶ, ὅτι, ἂν ἐγὼ μὲν μὴ νῦν εὖ εἴπω, οὐ μόνον ἐγὼ ἀλλὰ καὶ ὁ πατὴρ δόξει ἄδικος εἶναι καὶ τῶν ὄντων ἁπάντων στερήσομαι.' Locis ab Ernesto allatis adiciam Lys. XXX 27: 'ἀλλ' ὡς, ἐὰν νῦν αὐτοῦ φείσησθε, αὖθις ἀποδώσει τὰς χάριτας;' (VI) 4. And. I 146. Ant. V 90. *Αβ* 9. Aduerbia πρότερον, πάρος, ὕστερον apud oratores non repperi in aoristica protasi; semel autem ποτὲ occurrit usurpatum ad aoristi notionem dilucidiorem reddendam, Lys. XXXI 14: '... μετ' ἐκείνων, ἐάν ποτε (ὃ μὴ γένοιτο) λάβωσι τὴν πόλιν, βουλεύειν ἀξιούντω.'

Atque primum quidem exempla aoristi de actionibus momentaneis adhibiti Ernestus profert.[4]) Oratores, quos tracto, hos locos praebent: Lys. XXVIII 16: 'ὑμᾶς δὲ χρὴ εἰδέναι ὅτι, ἂν μὲν ἐμοὶ πεισθῆτε, εὖ περὶ αὐτῶν βουλεύσεσθε ...' ('wenn ihr euch von mir überzeugen lassen werdet', cum 'πείθησθε' uertendum sit 'wenn ihr euch von mir zureden lassen werdet'). XXI 12. Iure XXXIV 7 Usenerus (J. f. kl. Ph. 1873 p. 170) coniunctiuum aoristi 'πείσω' legi uult, cum quia codicum auctoritas restituitur contra Scheibii 'πείθω' ('μὴ πειθώμεθα' praef. p. LXX), tum quia sensus actionem

1) Cf. XII 15. 2) Ernestus l. c. p. 7. 3) l. c. p. 10. 4) l. c. p. 27 sqq. loci uoce ἐὰν formati congeruntur. Displicet mihi, quod Ernestus semper actum aoristicum momentaneum appellat, quasi Isocr. V 37: 'ἀλλὰ μὴν κἀκεῖνο φανερόν, ὅτι πάντες ἄνθρωποι τούτων πλείστην μνείαν ἔχουσιν, ὧν ἂν ἐν ταῖς συμφοραῖς εὖ πάθωσιν' ('welche ihnen einmal beistehen') actio uno quasi ictu temporis fieri debeat cf. Plat. Gorg. 485 B (p. 30). Isocr. VI 39 (ibid.). V 31 (ibid.) etc. Recte Curtius ('Erläuterungen zu meiner griech. Schulgrammatik' p. 173) docet: 'Es liegt, wenn diese Bezeichnung (momentan) gewählt wird, nahe, den Unterschied zwischen ποιεῖν und ποιῆσαι, νικᾶν und νικῆσαι, ἔβαλλε und ἔβαλε gleichsam nach der Uhr zu messen, während ja doch der Unterschied ein ganz anderer, viel tiefer gegriffener ist.' Aoristica potius actio duranti et quasi crescenti opposita est, aoristica actio instat: νοσῆσαι (krank werden), νοσεῖν (krank sein); πεῖσαι (überreden), πείθειν (zureden); instant quoque eae actiones, quae uno temporis momento perficiuntur aut quarum singulas, ut ita dicam, stationes loquens non respicit.

aoristicam postulat. — XXVI 14: *'ἐὰν δὲ τοῦτον δοκιμάσητε, εὖ εἴσονται ὅτι οὐ δικαίᾳ γνώμῃ περὶ αὐτοῦ κέχρησθε.'* ('wenn ihr aber diesen zur Wahl zulassen werdet (Resultat der Prüfung)', praesens ualeret 'wenn ihr aber mit seiner Prüfung beschäftigt sein werdet.'). V 4. XIII 9. 61. XVII 1. 4. XIX 33. XXI 13. XXII 19. XXIV 6. XXVI 6. XXXI 14. Actio quae semel fit opponitur saepius euenientibus (XIV) 13: *'ἐὰν τοίνυν τούτου καταψηφίσησθε, οὐ μόνον οἱ ἐν τῇ πόλει εἴσονται, ἀλλὰ καὶ οἱ σύμμαχοι αἰσθήσονται καὶ οἱ πολέμιοι πεύσονται.'* Praecedunt haec: *'ἐὰν μὲν τοίνυν τοὺς ἀγνῶτας κολάζητε, οὐδεὶς ἔσται τῶν ἄλλων βελτίων·' 'ἐὰν δὲ τοὺς ἐπιφανεστάτους τῶν ἐξαμαρτανόντων τιμωρῆσθε, πάντες πεύσονται ...'* — And. I 41: *'εἰπεῖν δὲ ἡμᾶς, ὅτι δεδογμένον ἡμῖν εἴη δύο μὲν τάλαντα ἀργυρίου διδόναι οἱ ἀντὶ τῶν ἑκατὸν μνῶν τῶν ἐκ τοῦ δημοσίου, ἐὰν δὲ κατάσχωμεν ἡμεῖς* ('wenn wir in Besitz dessen gelangen würden'), *ἃ βουλόμεθα, ἕνα αὐτὸν ἡμῶν εἶναι ...'* I 8. (IV) 5. Ant. V 95: *'ἐὰν γὰρ τὸ παραχρῆμα μόνον πείσωσιν ὥστε ἀποκτεῖναι, ἅμα τῷ σώματι καὶ ἡ τιμωρία ἀπόλωλεν.'* V 46: *'ὃ δὲ καὶ μάλιστα ἐνθυμεῖσθε, καὶ μή μοι ἄχθεσθε, ἂν ὑμᾶς πολλάκις ταὐτὰ διδάξω·'* ('wenn ich es oft zur Ausführung bringe, euch über dasselbe zu belehren'; coniunctiuo praesentis orator exprimeret 'wenn ich oft damit umgehe, euch zu belehren'). V 87. VI 4. *Αβ* 9. *δ* 10. *Βδ* 9. Item aoristus pro ui sua propria locum habet in enuntiatis huius generis iteratiuis: Lys. I 49: *'πολὺ γὰρ οὕτω δικαιότερον ἢ ὑπὸ τῶν νόμων τοὺς πολίτας ἐνεδρεύεσθαι, οἳ κελεύουσι μέν, ἐάν τις μοιχὸν λάβῃ* ('wenn Jemand einen Ehebrecher ertappt'), *ὅ,τι ἂν οὖν βούληται χρῆσθαι ...'* XIII 87. (XIV) 11: *'θαυμάζω δέ, ὦ ἄνδρες δικασταί, εἴ τις ἀξιοῖ, ἐὰν μέν τις προσιόντων τῶν πολεμίων τῆς πρώτης τάξεως τεταγμένος τῆς δευτέρας γένηται* ('wenn Jemand ... zur 2. Schlachtordnung übergeht'), *τούτου μὲν δειλίαν καταψηφίζεσθαι, ἐὰν δέ τις ἐν τοῖς ὁπλίταις τεταγμένος ἐν τοῖς ἱππεῦσιν ἀναφανῇ* ('wenn Jemand ... unter den Reitern zum Vorschein kommt'), *τούτῳ συγγνώμην ἔχειν.'* (VI) 15. (XIV) 5. Fr. 10. — And. I 116. Ant. V 48. Fr. 57. Aoristus etiam tum suam potestatem retinet, 'ubi scriptori actus uerbi minoris momenti uidebatur esse, ita ut satis haberet eum (coniunctiuo aoristi adhibito) leuiter attigisse' cf. exempla satis multa, quae Ernestus p. 40 sqq. congerit.

Coniunctiuum praesentis adhiberi docetur, si actio protasis et apodosis in idem tempus cadant. In enuntiatis *θαυμάζω ὅταν ὁρῶ, θαυμάζω ὅταν ἴδω* similibus interpretationem illam non sufficere uidimus; accedunt exempla coniunctiui praesentis contra

regulam adhibiti: locis ab Ernesto[1]) allatis adiungam Lys. XXVII 9: 'καὶ οὐ τοῦτο δέδοικα, ὡς ἐὰν ἀκροᾶσθε αὐτῶν ἀποψηφιεῖσθε.' Actionem audiendi tempore antecedere absoluendi actioni patet; comprobatur etiam sequente sententia simili: 'ἀλλ' οὐκ ἂν ἡγοῦμαι αὐτοὺς δίκην ἀξίαν δεδωκέναι, εἰ ἀκροασάμενοι αὐτῶν καταψηφίσαισθε.' X 30. XXII 6. XXV 17. (XI) 11. And. I 11: '...χρῆσθε ἐμοὶ ὅ,τι ἂν ὑμῖν δοκῇ, ἐὰν μὴ τἀληθῆ λέγω.' Ant. Αβ 1: 'ἐάν τέ τις ἄλλη συμφορὰ καταλαμβάνῃ αὐτούς, τὰ ἐναντία ἐπιγιγνόμενα ὀνίνησιν.' Postquam Ern. deinde exemplis confirmauit, coniunctiuo praesentis 'actionem infectam, quae unoquoque tempore ingredi possit, ita significari, ut eius euentus exspectetur', actionem coniunctiui praesentis ab aoristica ita distinguit[2]): 'cum primum quidem coniunctiuus praesentis illas res significet, quae perpetuae sunt, ita ut secundum rei ueritatem actio eius infecta sit, non minus unumquemque actum qui per aliquantum temporis permanet siue semel siue saepius ad euentum adducitur depingere potest, si quidem ille ut durans pronunciandus uidetur.'[3]) Huc referendi sunt oratorum hi loci: Lys. (VI) 43: 'ἀλλὰ λέξει ὅτι μηνυτὴς ἐγένετο, καὶ ἕτερος οὐδεὶς ὑμῖν ἐθελήσει μηνύειν, ἐὰν κολάζητε.' (wenn ihr stets (den Angeber) bestraft') cf. (XIV) 12 (u. p. 274) XVIII 20: 'ἂν δ' ἐμοὶ πείθησθε, ('wenn ihr euch von mir zureden lafst'), οὐκ ἐλάττω ἀπ' αὐτῶν ὑμεῖς ὠφεληθήσεσθε ἢ ἡμεῖς οἱ κεκτημένοι ...' cf. XXXIV 5. XIX 61: 'πολὺ γὰρ πλείω ὠφελήσεσθε, ἂν ἡμεῖς ἔχωμεν' ('wenn wir im Besitz der Gelder sind'). XXIX 13: '... ἐὰν δὲ εὖ φρονῆτε ...' ('wenn ihr eine rechte Gesinnung habt') cf. Erot. 232 D. And. II 26: 'ὧν καὶ ἕνεκα εἰκὸς ὑμᾶς, ἐὰν χρηστὸς ὢν ἀνὴρ εἰς ὑμᾶς φαίνωμαι, προθυμότερόν μου ἀποδέχεσθαι τὰ πραττόμενα' ('wenn ich ... erscheine', aoristus ualeret 'wenn es sich herausstellt, dafs ich ... bin').[4]) III 26: '...ἂν Κόρινθόν τε φυλάττωμεν καὶ συμμάχους ἔχωμεν Ἀργείους' ('wenn wir Korinth nie unbewacht lassen'). Ant. V 80: 'ἐὰν μὲν γὰρ εἰσιόντες εἰς ὑμᾶς ἃ βούλονται πράσσωσι...' ('wenn sie... jederzeit treiben, was sie wollen'). In enuntiatis iteratiuis coniunctiuus praesentis item usurpatur: Lys. (XIV) 8: '... τοῦ νόμου κελεύοντος, ἐάν τις ἀδοκίμαστος ἱππεύῃ ('wenn Jemand ... unter den Reitern dient'), ἄτιμον εἶναι.' And. III 35: 'ἐὰν δέ τις ὑμῖν τὴν εἰρήνην πράττῃ' ('wenn Jemand für euch den Frieden betreibt,

1) l. c. p. 15. 2) l. c. p. 16. 3) Compluria exempla adfert p. 51 sq. 4) Cf. Ant. Αδ 8: 'καὶ ἐὰν μὴ φανῶ ταύτῃ τῇ νυκτὶ ἐν οἴκῳ καθεύδων ἢ ἐξελθών ποι, ὁμολογῶ φονεὺς εἶναι.'

euch den Frieden zu verschaffen bestrebt ist'). Ant. *Α α* 1: '*ἂν δ' οἱ ἱκανῶς μὲν πεφυκότες, ἔμπειροι δὲ πραγμάτων ὄντες ... πράσσωσι* ('wenn ... thätig sind' h. e. 'Verbrechen begehen'). — Praesens etiam conatum actionis significat, cui aoristus, quem uocat Curtius [1]) effectiuum, contrarius est: Lys. XXX 14: '*ἐὰν οὖν πρὸς ταῦτα ἀπολογῆται, τοσοῦτον μέμνησθε ...*', recte uertit Carolus Mueller: 'si ad haec respondere suscipiat, id duntaxat recordemini ...' —

Confiteri debemus haud exiguo in numero exemplorum nos nescire, quid scriptor uno uel altero tempore adhibito exprimere studuerit, uelut (Lys.) XI 5: '*τὸν γὰρ νόμον, ἐάν τις εἴπῃ ἀποβεβληκέναι τὴν ἀσπίδα, ζημίαν τάττειν, ἀλλ' οὐκ ἄν τις ῥῖψαι φῇ αὐτήν.*' Cf. Lys. XIII 83. (XIV) 22. Cur Lys. XXXII 6 aoristi coniunctiuus uerbi *πάσχειν*, Ant. V 96 praesentis coniunctiuus positus sit, non magis diiudicari posse censeo quam qua de causa Lysias XIII 97 '*ψηφίζησθε*', Ant. *Α β* 1 '*καταλαμβάνῃ*' usus sit, etiamsi actiones durantes uel saepius repetitae non existimandae sunt. Aoristum exspectes etiam Ant. I 23: '*δεήσεται δ' ὑμῶν οὗτος μὲν ὑπὲρ μητρὸς τῆς αὐτοῦ ζώσης, τῆς ἐκεῖνον διαχρησαμένης ἀβούλως τε καὶ ἀθέως, ὅπως δίκην μὴ δῷ, ἂν ὑμᾶς πείθῃ, ὧν ἠδίκηκε·*', praesentem Lys. XXVII 6: '*ἂν μὲν γὰρ λάθωσιν, ἀδεῶς αὐτοῖς ἔχουσι χρῆσθαι·*' XII 15, cum agatur et de statu aliquo et de actione ui praedita.

§. 12. **De uariis huius classis enuntiatorum condicionalium formis.**

Enuntiata condicionalia per *ἐὰν* formata cum iis, quorum protasis *εἰ* c. ind. fut. exhibet, congruunt apud Lysiam quidem et Andocidem apodosi multo saepius in futuri quam praesentis indicatiuo collocata: Apodosin enim ponit

Lysias	43	locis in ind. fut.,	17	locis in ind. praes. [2])	
Andocides	9	„ „ „ „,	4	„ „ „ „	
Antiphon uero	11	„ „ „ „,	12	„ „ „ „.	

Longe alia ratio ualet in enuntiatis iteratiuis: Apodosis

a Lysia	1 loco in ind. fut.,	17	locis in ind. praes.,	
ab Andocide	— „ „ „,	6	„ „ „ „	
ab Antiphonte	2 locis „ „ „,	14	„ „ „ „	

1) Erläuter. p. 175. 2) In orationibus spuriis 6 exemplis futurae apodosis opponuntur 4 apodosis praesentis: in oratione quarta Andoc. idem numerus locorum utriusque generis.

collocatur.[1]) Quod mirum esse desinit spectantibus, quaenam differentia inter enuntiata condicionalia et iteratiua intercedat. Atque Akenus[2]) ita statuit: 'Der Unterschied beider Satzarten beruht ... darauf, daſs beim allgemein relativischen Satze[3]) der Hauptsatz geradezu als wirklich behauptet wird, und nur eine attributive Bestimmung eines Gliedes desselben in rein begrifflicher Weise geschieht; beim Bedingungssatz aber weder Haupt- noch Nebensatz als wirklich behauptet wird, sondern nur die Abhängigkeit beider von einander in ganz abstrakter Weise.' In condicionalibus sententiis semper exspectatio siue positiua siue negatiua adest; inde perspicuum fit, rem conclusam quoque futuri plerumque temporis esse; indicatiuus praesentis tum tantum locum habet, si de rebus, quas exspectamus, iudicium nostrum uel consilium constat, licet res ipsae nondum ad effectum uenerint; uelut Lys. I 5: 'ταύτην γὰρ ἐμαυτῷ μόνην ἡγοῦμαι σωτηρίαν, ἐὰν ὑμῖν εἰπεῖν ἅπαντα δυνηθῶ τὰ πεπραγμένα.' Orator, etiamsi actio protasis futura est, tamen iam tum sibi conscius est, totam suam salutem in eo constare, si possit omnes res gestas iudicibus adferre. Item res se habet XIX 33. And. I 146. Creberrima sunt praesentia eorum uerborum, quae uoluntatem hominis aut necessitudinem aliquam significant, ut ἀξιῶ (Lys. XVI 3. XXV 4. (XIV) 20. 22. Fr. 11), δέομαι (Lys. XVI 3. XXXII 2. Ant. I 3. V 5. Β β 2), εἰκός (decet) (Lys. XII 28. And. II 26), ἀνάγκη (Lys. XXVI 6. Ant. V 87. VI 4), χρή (Lys. XIII 82. XXVI 5. (XIV) 22). — Semel perfectum exstat in apodosi: Ant. V 95: 'ἐὰν γὰρ τὸ παραχρῆμα μόνον πείσωσιν ὥστε ἀποκτεῖναι, ἅμα τῷ σώματι καὶ ἡ τιμωρία ἀπόλωλεν.' Quid sequatur ex impleta condicione, orator exploratum se habere declarat. 3 × (Lys. V 4. XXII 19. Ant. V 80) futurum tertium peculiari sua ui adhibitum cernitur, 2 × (Lys. XXII 21. XXIV 6) modus potentialis. — Imperatiuum apodosis quod Winterus[4]) saepe ex coniunctiuo, perraro ex indicatiuo futuri protasis pendere docet, usu Lysiae comprobatur, qui condicionem uoce εἰ et indicatiuo futuri pronuntians nunquam imperatiuo conclusionem faciat, contra protasi cum ἐὰν 13× imperatiuum adiungat, tum Andocidis, cuius orationes duo exempla huius classis, unum prioris praebeant; apud Antiphontem hic tantum imperatiuus in apodosi occurrit. Atque imperatiuum tempore cum protasi consentire, id quod plerumque apud

1) (Lys.): Apod. 17 × Ind. Praes., 5 × Ind. Fut., (And.): — —. 2) l. c. p. 153. 3) easdem enuntiationes appellat 'Sätze der unbestimmten Frequenz' l. c. p. 152. 4) l. c. p. 22.

Aristophanem ualere demonstrat Ferdinandus Petri[1]), confirmatur consuetudine Lysiae et Andocidis; apud illum imperatiuus praesentis 6×, aoristi 1× protasin in coniunctiuo praesentis positam, imperatiuus aoristi 3×, praesentis 1× protasin aoristicam sequitur; de duobus locis certo iudicari nequit: Lys. XIII 42: '*καὶ τῇ γυναικὶ τῇ αὐτοῦ ἐπέσκηπτε, νομίζων αὐτὴν κυεῖν ἐξ αὐτοῦ, ἐὰν γένηται αὐτῇ παιδίον, φράζειν τῷ γενομένῳ ὅτι...*' XXXII 6: '*ἐπέσκηψε δέ, ἐάν τι πάθῃ, τάλαντον μὲν ἐπιδοῦναι τῇ γυναικὶ...*', quos, quoniam in oratione recta imperatiui adhibendi sint, huc referendos putaui. Andocides eadem ratione imperatiuos disponit cf. I 11: '... *χρῆσθε ἐμοὶ ὅ,τι ἂν ὑμῖν δοκῇ, ἐὰν μὴ τἀληθῆ λέγω.*' et I 26: '*καὶ ἐάν τις ἐλέγξῃ με ὅτι ψεύδομαι, χρήσασθέ μοι ὅ,τι βούλεσθε.*' Antiphon 1× usum tenet, 1× neglegit. — Aoristum gnomicum in apodosi proprium habent enuntiata iteratiua: Lys. XXVII 6: '*ἂν δὲ ὀφθῶσιν, ἢ μέρει τῶν ἀδικημάτων τὸν κίνδυνον ἐξεπρίαντο, ἢ εἰς ἀγῶνα καταστάντες τῇ αὐτῶν δυνάμει ἐσώθησαν.*' Orator describit praesentem statum rerum, ubi assentatoribus populi disertis liceat omnia furari, qui ne tum quidem, si deprehendantur, potestatem sui puniendi dent. (And.) IV 18. Item aoristus uulgari notione praeditus in iteratiuis sententiis exstat: Lys. Fr. 10: '*Δράκων ἦν ο θεὶς τὸν νόμον, αὖθις δὲ καὶ Σόλων ἐχρήσατο, θάνατον οὐχ ὁρίσας ὥσπερ ἐκεῖνος, ἀλλ' ἀτιμίαν, ἐάν τις ἁλῷ τρίς, ἐὰν δ' ἅπαξ, ζημιοῦσθαι δραχμὰς ἑκατόν.*'

Concessiua enuntiata per *ἐὰν* formata haec repperi: *ἐὰν καὶ* occurrit Ant. V 95: '*ἐὰν δὲ καὶ βουληθῶσιν, τί ἔσται πλέον τῷ γε ἀποθανόντι;*' Ut in animo habeant amici subuenire, tamen nullum fructum inde capturum esse orator dicit eum, quem homicidii facti accusatum iudices falsis testimoniis nixi condemnauerint. Saepius uocibus *καὶ ἐὰν* (*ἄν*), *οὐδ' ἐὰν* (*ἄν*) uis concessiua adhaeret: Lys. XXII 21: '*καὶ μὲν δὴ οὐδ' ἂν ἀντιβολῶσιν ὑμᾶς καὶ ἱκετεύωσι, δικαίως ἂν αὐτοὺς ἐλεήσαιτε...*' Ne tum quidem iure miserere iudices frumentariorum accusator profitetur, si orentur et obsecrentur a reis. XIII 52. XIX 30. XXV 11. And. I 149. II 17. Ant. VI 4. 25: '*ὑφ' ὧν* sc. *ἀναγκῶν καὶ ἢν μέλλωσιν ἀποθανεῖσθαι κατειπόντες, ὅμως ἀναγκάζονται τἀληθῆ λέγειν·*', locus ideo commemoratione dignus, quia sententia apodosis protasi aduersa indicatur uoce *ὅμως* addita. VI 50.

Haud raro *καὶ ἂν* in *κἂν* contractum cernitur, uelut Lys.

1) l. c. p. 36.

XIX 3: '*ἀνάγκη γὰρ τὸν ἀπολογούμενον, κἂν ἐξ ἴσου ἀκροᾶσθε, ἔλαττον ἔχειν.*' Exspectes reum, si aequo studio a iudicibus audiatur quo accusator, ex aequo atque illum contendere; tamen reum accusatori inferiorem esse affirmatur. XXXI 19. XXXIV 8. And. I 6. Ant.: *Α α* 2. *β* 2. — Alibi *κἂν* soli copulationi sententiarum inseruit neque concessiua ui praeditum accipi potest, Lys. Fr. 16. And. III 35. Numero exemplorum praeualet Antiphon: V 32. VI 5. *Α β* 2, qui etiam eo a Lysia et Andocide differt, quod *κἂν* cum participio utitur, *Α β* 9: '*περιγενόμενος δὲ καὶ λειφθεὶς, κἂν ἔρανον παρὰ τῶν φίλων συλλέξας, οὐκ ἂν εἰς τὰ ἔσχατα κακὰ ἦλθον*'; apud eundem *κἂν* cum adiectiuo iunctum reperitur: V 8: '... *τοῦτο ὑμᾶς διδάξω, οὐ τῷ φεύγειν ἂν τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον, ἐπεὶ κἂν ἀνωμότοις ὑμῖν καὶ μὴ κατὰ νόμον μηδένα ἐπιτρέψαιμι περὶ τοῦ σώματος τοῦ ἐμοῦ διαψηφίσασθαι*...'

Con-

Enuntiata condicionalia.

Apodosis.	Fut.	Praes.	Perf.	Opt. c. ἄν
ἐὰν cum Coniunctiuo Aoristi.	Lys. V 4 (2). XII 15 (2). XIII 9. 61. XVII 1. XIX 1. XXI 12. 13. 14. XXII 19 (2). 22. XXIV 15. XXV 32. XXVI 14. 15. XXVII 7. XXVIII 16 (2). 17 (2). XXX 23 (2). 27. XXXIV 8. — (VI) 4. (XIV) 13. Fr. 16. And. I 8. 11. 33. 144. 149 (2). III 15. — (IV) 5. Ant. V 80. 90. Αβ 2. β 9. Βδ 9 (3).	Lys. I 5. III 4. XVI 3. XVII 4. XIX 33. XXVI 6. XXXII 2. XXXIV 7. 8. — (XIV) 22. — Fr. 11. And. I 141. 146. — (IV) 27. Ant. I 3. V 5 (2). 66. 87. VI 4. Αα 2. δ 8. 10 (2). Ββ 2.	Ant. V 95. Αβ 2.	Lys. XXIV 6.
ἐὰν cum Coniunctiuo Praesentis.	Lys. I 36. 47. XIII 1. XVIII 20. XIX 61. XXII 10. XXIII 16. XXV 17. XXVII 9. XXIX 13. 14. XXXIV 5. 8. Erot. 231 C. 232 D. 233 B. — (VI) 43. (XIV) 12 (2). 13. And. I 123. III 26. Ant. I 20. V 80 (2). 96.	Lys. III 4. XIII 82. 97. XVI 3. XIX 3. XXV 4. 33. XXVI 5. — (XIV) 20. 21. 22. And. I 6. II 26. Ant. I 23.	—	Lys. XXII 21.

Sequitur, ut doceam, quae sit frequentia usus particularum *ἐάν*, *ἄν*, *κἄν*, *ἤν* apud tres oratores:

	ἐάν.	*ἄν.*	*κἄν.*	*ἤν.*
Lys.	60×	34×	3×	—
(Lys.)	27 „	5 „	— „	—
And.	14 „	5 „	2 „	—
(And.)	1 „	2 „	— „	—
Ant.	19 „	5 „	2 „	1×
Tetr.	13 „	1 „	3 „	—

Inde apparet, oratores consentire particula *ἐὰν* multo saepius quam forma eius contracta usurpata; tamen increbrescit usus uoculae *ἄν*, quae apud Antiphontem uix quintam, apud Andocidem circiter tertiam, apud Lysiam plus quam dimidiam partem locorum complectatur; hos numeros cum usu tragicorum et Aristophanis, apud quos

spectus.

		Enuntiata iteratiua.				Im-
Coni.	Imperat.	Praes.	Fut.	Perf.	Aor.	perat.
Lys. XXII 15.	Lys. XIII 42. XXII 6. XXVI 6. XXXI 14. 19. XXXII 6. And. I 26. Ant. V 46.	Lys. I 32 (2). 49. X 6. 12. XIII 52. 87. XXVII 6. — (XI) 5. 6 (2). (XIV) 5. 11 (2). — Fr. 8. And. I 116. II 7. Ant. V 48. VI 4. — Bδ 3.	(Lys.) VI 15. Ant. V 95.	—	Lys. XXVII 6. — Fr. 10 (2). — (And.) IV 18.	—
—	Lys. XIII 76 (3). 83. XIX 56. XXX 7. 14. And. I 11. Ant. V 66.	Lys. X 9. 30. XII 28. XVIII 17. XIX 30. XXII 6. XXX 1 (2). Erot. 233 C. — (VI) 14. 41. (IX) 6. (XI) 3. 4. 5. 6. 11. (XIV) 8. 24. (XX) 34. And. II 19 (2). III 35 (2). Ant. I 29. 30. V 32. 48. 87. VI 5. 25. Aα 1. β 1. δ 7. Bδ 3.	Lys. XXXI 25. — (VI) 15 (2). (XI) 4. (XX) 31. Ant. VI 50.	Lys. III 9. Ant. Bα 1.	—	—

	ἐάν.	ἤν.	κἄν.
Aesch.	8 ×	3 ×	1 ×
Soph.	22 „	28 „	19 „
Eur.	11 „	176 „	83 „
Aristoph.	59 „	218 „	54 „

exstat, comparantibus perspicuum fit, ut ἄν apud oratores sic ἤν apud poëtas increbruisse; forma contracta apud Sophoclem, Euripidem, Aristophanem etiam superior discedit; apud tragicos augetur quoque numerus locorum uoculis κἄν formatorum, qui apud oratores minuitur.

De ratione, quae inter ordinem praepositiuum et postpositiuum ualet, certiores nos faciat haec tabula:

	Prot. praec.	Prot. non praec.
Lys.	74×	23×
(Lys.)	18 „	14 „
And.	15 „	6 „
(And.)	2 „	1 „
Ant.	12 „	15 „
Tetr.	14 „	3 „

Antiphontis I., V., VI. orationes a ceteris diuersae sunt ordine postpositiuo praeualente.

Caput IV.

εἰ cum optatiuo.

§. 13. **De uariis formis huiusmodi enuntiatorum in oratione recta adhibitorum.**

Optatiuo utens is, qui loquitur, significat, rem sumptam in sola ipsius mente atque cogitatione uersari et agitari; utrum condicio ad effectum perduci possit necne, nullam habet rationem, nam interdum etiam ea ponuntur, quae ut naturae legibus repugnantia nullo modo fieri possunt, uelut Soph. El. v. 548:

'*φαίη δ' ἂν ἡ θανοῦσά γ', εἰ φωνὴν λάβοι.*'[1])

Simile exemplum occurrit Lys. XIII 46: '*οὓς* sc. *ἀπολομένους, ὦ ἄνδρες δικασταί, ποίαν τινὰ οἴεσθε γνώμην περὶ τούτου ἔχειν ἢ ποίαν τινὰ ἂν ψῆφον θέσθαι, εἰ ἐπ' ἐκείνοις γένοιτο, ἀποστερηθέντας διὰ τοῦτον τῶν ἡδίστων;*' Vis proprie optatiua, quam primo his enuntiatis affuisse doctissimus Langius ingeniose demonstrauit, in duobus locis Andocideis protasi tribui potest, II 6: '*ὧν ἕνεκα, ὦ Ἀθηναῖοι, εἰ ἀνθρωπίνως περὶ ἐμοῦ γιγνώσκοιτε, εἴητε ἂν ἄνδρες εὐγνωμονέστεροι.*' II 22: '*νῦν δέ, ὦ Ἀθηναῖοι, εἴ μοι βουληθείητε δοῦναι χάριν μικράν τε καὶ ἄπονον ὑμῖν καὶ ἅμα δικαίαν, πάνυ ἄν μοι τοῦτο ἐν μεγάλῃ ἡδονῇ γένοιτο.*' Huc spectat etiam Lys. I 1: '*εὖ γὰρ οἶδ' ὅτι, εἰ τὴν αὐτὴν γνώμην περὶ τῶν ἄλλων ἔχοιτε, ἥνπερ περὶ ὑμῶν αὐτῶν, οὐκ ἂν εἴη ὅστις οὐκ ἐπὶ τοῖς γεγενημένοις ἀγανακτοίη ...*' Notio optatiua protasis colligi potest ex antecedentibus: '*π ε ρ ὶ π ο λ λ ο ῦ ἂ ν π ο ι η σ α ί μ η ν, ὦ ἄνδρες, τὸ τοιούτους ὑμᾶς ἐμοὶ δικαστὰς περὶ τούτου τοῦ πράγματος γενέσθαι, οἷοίπερ ἂν ὑμῖν αὐτοῖς*

1) Alia exempla tragicorum congessit Alb. Winter. l. c. p. 37, Homeri Curtius Lilie l. c. p. 34, Xenophontis, Platonis Aken. l. c. p. 146.

εἴητε τοιαῦτα πεπονθότες·' Quoniam etiam *εἰ* ubi cum indicatiuo consociatur de euentu rei sumptae nihil significare uidimus, quaeritur, quid peculiare utraque classis enuntiatorum condicionalium habeat. Illic condicionem ponens sumit aliquid re uera esse indeque concludit aliud, hic aliquid a se cogitari tantum cum statu rerum conueniens. Hoc illustretur loco Antiphonteo, VI 19: '*πρῶτον μὲν αὐτοὶ οἱ κατήγοροι ὁμολογοῦσι μὴ ἐκ προνοίας μηδ' ἐκ παρασκευῆς γενέσθαι τὸν θάνατον τῷ παιδί, ἔπειτα τὰ πραχθέντα φανερῶς ἅπαντα πραχθῆναι καὶ ἐναντίον μαρτύρων πολλῶν, καὶ ἀνδρῶν καὶ παίδων, καὶ ἐλευθέρων καὶ δούλων, ἐξ ὧνπερ καὶ εἴ τίς τι ἠδίκηκε, φανερώτατος ἂν εἴη, καὶ εἴ τις μὴ ἀδικοῦντα αἰτιῷτο, μάλιστ' ἂν ἐξελέγχοιτο.*' Priori sumptioni orator non adiungit eam tantum, quam exspectes, '*καὶ εἴ τις μή τι ἠδίκηκε* sc. *φανερώτατος ἂν εἴη*', sed longius procedens cogitatione fingit, insontem ab aliquo insimulari. A genere periodorum uoce *ἐὰν* formatarum hoc eo differt, quod ratio euentus et simul cum illa etiam exspectatio implendae condicionis deest.

Differentiam eandem atque inter praesentis et aoristi coniunctiuum ab *ἐὰν* suspensum Kruegerus statuit inter optatiuum utriusque temporis: 'In rein und gemischt hypothetischen Sätzen (relativen und temporalen) haben der Konj. und Opt. des Aorists regelmäſsig die Bedeutung der Vergangenheit, die aber, insofern der Hauptsatz ein Zukünftiges bezeichnet, als erst bei dessen Verwirklichung eingetretene Vergangenheit vorgestellt wird, so daſs diese Modi auch dem lat. Fut. exacto entsprechen.'[1]) Tum uero inuersus temporum ordo postulatur Lys. X 10: '*ἀλλ' οὐδ' ἂν τῶν ἕνδεκα γενόμενος ἀποδέξαιο, εἴ τις ἀπάγοι τινὰ φάσκων θοἰμάτιον ἀποδεδύσθαι ἢ τὸν χιτωνίσκον ἐκδεδύσθαι* ...', quia actio in ius trahendi praecedat recipiendi actum oportet cf. periodum sequentem '*οὐδ' εἴ τις παῖδα ἐξαγαγὼν ληφθείη, οὐκ ἂν φάσκοις αὐτὸν ἀνδραποδιστὴν εἶναι* ...' Alibi, etiamsi utraque actio eiusdem temporis est, alterum tempus in altero membro sententiae collocatum cernitur: Lys. XII 83: '*πότερον εἰ αὐτοὺς ἀποκτείνοιτε*[2]) *καὶ τοὺς παῖδας αὐτῶν, ἱκανὴν ἂν τοῦ φόνου δίκην λάβοιμεν, ὧν οὗτοι πατέρας καὶ υἱεῖς καὶ ἀδελφοὺς ἀκρίτους ἀπέκτειναν;*' Tempore antecedit actio protasis, tamen optatiuo praesentis orator utitur XXXI 3: '*ὅμως εἴ τι ἐγὼ ἐλλείποιμι τῷ λόγῳ τῆς κατηγορίας, οὐκ ἂν δίκαιος εἴη οὗτος διὰ τοῦτο*

1) §. 53, 6, 5. 2) Gebauerus, Fuhrius Bekkerum, Fritzschium sequentes contra librorum auctoritatem optatiuum aoristi legi uolunt.

ὠφεληθῆναι', seruat autem regulam addens '*ἀλλὰ μᾶλλον, ὅ,τι* (= *εἴ τι*) *ἱκανῶς διδάξαιμι, ἐκ τούτων ἀποδοκιμασθῆναι* sc. *δίκαιος ἂν εἴη.*' Etiam Ant. VI 19 (u. p. 283) secundum Kruegerum aoristus locum habet, tamen optatiuum praesentis orator adhibuit. Cum ex his locis uim temporalem optatiuo aoristi perperam assignari perspicitur tum ex iis, ubi adiecta aduerbia impediunt, quominus modum illum ad praeteritum tempus referamus, uelut Lys. XIX 61: '*εἰ γὰρ μὴ ἦν τοιοῦτος, οὐκ ἂν ἐκ πολλῶν ὀλίγα κατέλιπεν, ἐπεὶ εἰ νῦν γε ἐξαπατηθείητε ὑπὸ τούτων καὶ δημεύσαιθ' ἡμῶν τὴν οὐσίαν, οὐδὲ δύο τάλαντα λάβοιτ' ἄν.*' cf. §. 38. And. II 22. Potius hic quoque aoristus a praesenti discedit non temporis diuersitate, sed actionis, quam in utroque tempore suam propriam uim habere supra uidimus. Atque actio uno temporis momento eueniens optatiuo aoristi significatur Lys. X 10: '*οὐδ' εἴ τις παῖδα ἐξαγαγὼν ληφθείη* ('falls ... ertappt, aufgegriffen würde'), *οὐκ ἂν φάσκοις αὐτὸν ἀνδραποδιστὴν εἶναι* ...' XXIV 9. — Maiore parte exemplorum aoristus effectum actionis indicat aut actionem tantum per se ipsam; hoc ibi fit, ubi actio ipsa minoris momenti est, uelut Lys. XXXI 28: '*οὐ γὰρ ἂν δήπου, εἰ μέν τις λίποι τὴν τάξιν μὴ αὐτῆς τῆς πόλεως ἐν κινδύνῳ οὔσης, ἀλλ' ἑτέρους εἰς τοῦτο καθιστάσης, ἐτέθη νόμος ὡς μεγάλα ἀδικοῦντος, εἰ δέ τις αὐτῆς τῆς πόλεως ἐν κινδύνῳ οὔσης λίποι τὴν πόλιν αὐτήν, οὐκ ἂν ἄρα ἐτέθη.*' Summa uis posita est non in actione ordinem deserendi, sed in tempore, quo illa accidit: aut ciuitate non ipsa in periculo uersante, sed alios in periculum adducente aut ipsa in periculo uersante; contra eiusdem orationis §o 3[1]) ubi actioni ipsi pondus inest, legitur optatiuus praesentis. Saepius is usurpatur de rebus per aliquod temporis spatium durantibus aut iteratis: Lys. I 1: (u. p. 282) 'si animo sitis erga alios eodem quo erga uosmet estis affecti' recte uertit Carolus Mueller. XIX 33. XXI 24. (XI) 10. Fr. 4. And. I 139: '*εἴπερ οὖν δεῖ τὰ τῶν θεῶν ὑπονοεῖν, πάνυ ἂν αὐτοὺς οἶμαι ἐγὼ ὀργίζεσθαι καὶ ἀγανακτεῖν, εἰ τοὺς ὑφ' ἑαυτῶν σῳζομένους ὑπ' ἀνθρώπων ἀπολλυμένους ὁρῷεν*' (wenn sie es mit ansehen müſsten ...' opt. aor. ualeret 'wenn sie gewahr würden ...'). I 109 cf. Ant. Fr. 57. — V 67. 91.

Restant uero etiam hic nonnulli loci, ubi quis frustra peruestigare studuerit, cur praesentis aut aoristi optatiuus adhibitus sit, uelut cur '*βουληθείητε*' And. II 22 et Lys. XXIV 25 '*βού-*

1) u. p. 283.

λοιτο' scriptum sit. Promiscue uterque optatiuus in usu uidetur fuisse in uerbis dicendi, similibus uelut *κελεύειν* (Ant. V 65), *κατηγορεῖν* (Lys. X 16).

Qui condicionem ita proponit, ut rem sumptam in sola ipsius mente positam esse exprimat, ab eo etiam conclusionem fieri non ultra fines cogitationis progredientem exspectari oportet: itaque protasin optatiuo formatam sequi debet optatiuus apodosis, qui apud tres oratores semper cum particula *ἂν* iunctus est indicante, rem conclusam etiam ex indefinita condicione aptam esse, atque ita iudicium loquentis modestius reddente.[1]) Sonus, ut ita dicam, uerborum firmior fiduciaeque plenior fit, si orator apodosin in indicatiuo collocans rem, quam colligit, ueram praedicat: And. I 109: 'ἃ νῦν αὐτῇ ὑπάρχει, εἰ ἐθέλοιμεν οἱ πολῖται σωφρονεῖν τε καὶ ὁμονοεῖν ἀλλήλοις.' Andocides fingens, ciuibus destinatum esse, sapienter agere et concordiam colere, utique rem publicam tantam tamque fortunatam quam antea euadere conficit. Ant. VI 1: 'εἰ ⟨δ'⟩ ἄρα τις καὶ ἀναγκάζοιτο κινδυνεύειν, τοῦτο γοῦν ὑπάρχειν sc. ἥδιστόν ἐστιν[2]), ... αὐτὸν ἑαυτῷ συνειδέναι μηδὲν ἐξημαρτηκότι, ἀλλ' sc. τοῦθ' ὑπάρχειν ἥδιστόν ἐστιν εἴ τις καὶ συμφορὰ γίγνοιτο, ἄνευ κακότητος καὶ αἰσχύνης γίγνεσθαι, καὶ τύχῃ μᾶλλον ἢ ἀδικίᾳ.' Apud eundem indicatiuus futuri exstat Γα 4: 'ἡμεῖς τε οἱ τιμωροὶ τῶν διεφθαρμένων, εἰ δι' ἄλλην τινὰ ἔχθραν τοὺς ἀναιτίους διώκοιμεν, τῷ μὲν ἀποθανόντι οὐ τιμωροῦντες δεινοὺς ἀλιτηρίους ἕξομεν τοὺς τῶν ἀποθανόντων προστροπαίους ...' Fr. 57. Firmitas concludendi non minuitur eo, quod apodosis interrogatio est: Lys. XXXIV 6: 'ἐγὼ δὲ τούτους εἰπεῖν ἀξιῶ, τί τῷ πλήθει περιγενήσεται, εἰ ποιήσαιμεν ἃ ἐκεῖνοι προστάττουσιν;'. — Permixtio huius schematis hypothetici cum sententia uero rerum statui repugnante statuenda est Lys. X 8: 'οὐ γὰρ δήπου, ὦ Θεόμνηστε, εἰ μέν τίς σ' εἴποι πατραλοίαν ἢ μητραλοίαν, ἠξίους ἂν αὐτὸν ὀφλεῖν σοι δίκην, εἰ δέ τις εἴποι ὡς τὴν τεκοῦσαν ἢ τὸν φύσαντα ἔτυπτες, ᾤου ἂν αὐτὸν ἀζήμιον δεῖν εἶναι ὡς οὐδὲν τῶν ἀποῤῥήτων εἰρηκότα.' X 9. XIX 38. XXXI 28. Particula ἂν omittitur (cf. p. 261) XVI 7: 'καίτοι πᾶσι ῥᾴδιον τοῦτο γνῶναι, ὅτι ἀναγκαῖον ἦν τοῖς φυλάρχοις, εἰ μὴ ἀποδείξειαν τοὺς ἔχοντας τὰς καταστά-

1) Ant. VI 19 ἂν facile ex membro antecedente suppletur (cf. Frohberger. Philol. XIX 609). I 10 insero cum Ignatio (l. c. p. 76) uerba ⟨ἡ βάσανος ἂν αὐτούς⟩. 2) Maetznerus supplet 'εὔξαιτο ἄν', cui obstat, quod uerbum εὔχεσθαι notione optandi praeditum cum infinitiuo iungi non solet.

σεις, αὐτοῖς ζημιοῦσθαι.' Exempla et Andocidea et Antiphontea desiderantur. — Quod Kuehnerus[1]) docet, indicatiuum temporum historicorum cum *ἂν* consociatum in hac classe enuntiatorum condicionalium adhiberi raro ad consecutionem irrealem, frequentissime ad actionem temporis praeteriti repetitam significandam, in Lysiam quidem id minime quadrat, apud quem indicatiuus imperfecti aut aoristi cum *ἂν* illo sensu 4 ×, hoc ne 1 × quidem occurrat. Andocides et Antiphon omnino se abstinent apodosibus ita formatis, item iis, quae indicatiuum praeteriti solum ac liberum habent, uelut Lys. XIII 78: *'ἐπειδὴ δὲ εἶδον αὐτὸν τάχιστα, συλλαβόντες ἄγουσιν ἄντικρυς ὡς ἀποκτενοῦντες, οὗπερ καὶ τοὺς ἄλλους ἀπέσφαττον, εἴ τινα λῃστὴν ἢ κακοῦργον συλλάβοιεν.'* Imperfectum de actione iterata usurpatum est: solebant trucidare Phylenses fures aut maleficos ibi, quo tunc Agoratum duxerunt; ex apodosi colligitur, etiam protasin saepius accidisse; neque tamen optatiuus suam potestatem amittit cf. id, quod Langius demonstrat: 'Der Opt. ist natürlich nicht an sich Ausdruck für die wiederholte Handlung, sondern er wird es scheinbar dadurch, dafs der Fall, den er setzt, wie die Sachlage und beziehungsweise die Form des Nachsatzes lehrt, häufig vorgekommen ist.'[2]) Imperfecto apodosis item subest notio iterationis Lys. Fr. 4: *'ἐπεὶ δὲ ἦν ἀνδρὸς ὡραία, ξυνεκοιμῶντο καὶ ταύτῃ, καὶ εἰ μὲν χρῷτο καὶ ἔχοι Ἀλκιβιάδης, Ἀξιόχου ἔφασκεν εἶναι θυγατέρα, εἰ δὲ Ἀξίοχος, Ἀλκιβιάδου.'* Vis durandi complectitur notionem repetitionis XII 44: *'οὗτοι δὲ φυλάρχους τε ἐπὶ τὰς φυλακὰς κατέστησαν, καὶ ὅ,τι δέοι χειροτονεῖσθαι καὶ οὕστινας χρείη ἄρχειν παρήγγελλον, καὶ εἴ τι ἄλλο πράττειν βούλοιντο, κύριοι ἦσαν.'* Huc referri non posse uidetur aoristus, quo actionem semel factam — excipio aoristum gnomicum — significari constet, uelut Lys. XXI 24: *'οὐδ' εἴ ποτε κινδυνεύσειν ἐν ταῖς ναυμαχίαις μέλλοιμι, οὐδεπώποτ' ἠλέησα οὐδ' ἐδάκρυσα οὐδ' ἐμνήσθην γυναικὸς οὐδὲ παίδων τῶν ἐμαυτοῦ ...'* Addita uero uoce *οὐδεπώποτε* is sensus accedit, saepius occasionem loquenti datam fuisse sui miserandi, plorandi, uxorem liberosque recordandi. Etiam huius modi exempla desunt apud Andocidem et Antiphontem praeter Fr. 57: *'τὰς δ' ἄλλας ἡμέρας, εἴ τις ἔλθοι βουλόμενος θεάσασθαι, οὐκ ἔστιν ὅστις ἐτυχε.'* Notio repetitionis efficitur uocibus *'τὰς δ' ἄλλας ἡμέρας'*.

Superest, ut concessiuorum enuntiatorum mentionem faciam,

1) gr. II p. 980. 2) l. c. p. 372 (66). Cf. Bäumlein. l. c. p. 284 sqq.

ex quibus unum in hac classe exstat: Lys. XXVII 8: 'ἡγοῦμαι δ', ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, οὐδ' εἰ μὴ προθέντες αὐτοῖς κρίσιν, ἢ ἀπολογουμένων μὴ ἐθελήσαντες ἀκοῦσαι, καταψηφισάμενοι τῶν ἐσχάτων τιμήσαιτε, οὐκ ἂν ἀκρίτους αὐτοὺς ἀπολωλέναι, ἀλλὰ τὴν προσήκουσαν δίκην δεδωκέναι.' Sententia protasis apodosi aduersa est, quia eos, qui in ius non deducti uel inauditi condemnati extremoque supplicio affecti sint, iniudicatos periisse existimes.

Ab omnibus prioribus locis eo, quod protasis non enuntiationem, sed unam uocem circumscribit, diuersus est Lys. III 7: 'καὶ τοσούτου ἐδέησεν αὐτῷ μεταμελῆσαι τῶν ὑβρισμένων, ὥστε ἐξευρὼν οὗ ἐδειπνοῦμεν ἀτοπώτατον πρᾶγμα καὶ ἀπιστότατον ἐποίησεν, εἰ μή τις εἰδείη τὴν τούτου μανίαν.' Sensui loci obstat, protasin ad aliud membrum apodosis referre quam uocem 'ἀπιστότατον' sc. πρᾶγμα; accuratius Lysias sic scripserit: 'καὶ ... ὥστε ... ἀτοπώτατον πρᾶγμα ἐποίησεν, ὃ πᾶς ἂν ἀπιστήσειεν ἀκούσας, εἰ μή τις εἰδείη τὴν τούτου μανίαν.'[1])

§. 14. εἰ cum optatiuo orationis obliquae iunctum.

Supersunt commemorandi haud pauci loci, ubi optatiuus in oratione obliqua usurpatus cernitur. Optatiuum pro ea, qua sit praeditus ui, ualde idoneum esse ad significandum, profectam esse rem sumptam ex alius mente, alio et praeterito quidem tempore — nam praeteritae actiones haud inepte putantur in sola cogitatione sitae — facile intellegitur.[2])

Atque tum occurrit optatiuus in oratione obliqua, si loquens, ut ita dicam, refert id, quod quis putauit, pollicitus est, minatus est, iurauit certa condicione euenturum esse. Lys. XII 14: 'ἡγεῖτο γὰρ ἅπαν ποιήσειν αὐτόν, εἴ τις ἀργύριον διδοίη.' Lysias ex mente Damnippi loquitur, quem hac fere sententia usum esse credi debet: 'ἅπαν ποιήσει αὐτός (Θέογνις), ἐάν τις ἀργύριον διδῷ.'

1) Cf. Blass. A. B. I² p. 412. 2) Inde non sequitur, necesse esse optatiuum poni in oratione obliqua; interdum orator mente relapsus in tempus praeteritum atque in eundem rerum statum, in quo alter uersabatur, modos orationis rectae seruat, uelut εἰ c. ind. praes. Ant. I 15: 'εἰ οὖν ἐθέλει πείθεσθαι, ἔφη ἱκανὴ εἶναι ἐκείνῃ τε τὸν Φιλόνεων φίλον ποιῆσαι καὶ αὐτῇ τὸν ἐμὸν πατέρα, εἶναι φάσκουσα αὐτῆς μὲν τοῦτο εὕρημα, ἐκείνης δὲ ὑπηρέτημα.' Codicum 'ἐθέλει' Maetznerus (ed. p. 137) defendit contra Aldinae 'ἐθέλοι' a Blassio in alteram editionem receptum, exemplis demonstrans, hoc genus loquendi ex obliquae et rectae orationis copulatione conflatum haud insolitum fuisse, uelut Ant. VI 23. — εἰ c. ind. fut. (Lys.) II 22. 45. XIV 25. ἐάν c. coni. Lys. XII 15. XIII 9. 42. 61. XXXII 6. And. I 41.

XIII 25. 53. XXVI 24. (II) 21. And. I 90: '*ὅπου τοίνυν αὐτοῖς τοῖς τριάκοντα ὤμνυτε μὴ μνησικακήσειν, τοῖς μεγίστων κακῶν αἰτίοις, εἰ διδοῖεν εὐθύνας, ἤ που σχολῇ τῶν γε ἄλλων πολιτῶν τινι ἠξιοῦτε μνησικακεῖν.*' Oratio recta quomodo sit constituenda, docemur formula ipsa iuris iurandi antecedente: '*καὶ οὐ μνησικακήσω τῶν πολιτῶν οὐδενὶ πλὴν τῶν τριάκοντα καὶ τῶν ἕνδεκα· οὐδὲ τούτων ὃς ἂν ἐθέλῃ εὐθύνας διδόναι τῆς ἀρχῆς ἧς ἦρξεν.*' I 15. (IV) 17. Ant. I 19: '*καὶ ἅμα οἰομένη (ἡ παλλακὴ τοῦ Φιλόνεω) δεξιὸν ποιεῖν πλέον δίδωσι τῷ Φιλόνεῳ, ὡς, εἰ δοίη πλέον, μᾶλλον φιλησομένη ὑπὸ τοῦ Φιλόνεω·*' Orator studio uariandi ductus '*ὡς φιλησομένη*' dicit, quod eundem sensum habet atque '*οἰομένη φιλήσεσθαι*'; pellex Philonei sic cogitauerit: '*ἐὰν δῶ πλέον, μᾶλλον φιλήσομαι.*' — Fieri etiam potest, ut loquens ad id recurrat, quod ipse cogitauit aut dixit: Lys. VII 34: '*μάρτυρας γὰρ ἔχων αὐτῷ προσῆλθον, λέγων ὅτι μοι πάντες εἰσὶν οἱ θεράποντες, οὓς ἐκεκτήμην ἐπειδὴ παρέλαβον τὸ χωρίον, καὶ ἕτοιμός εἰμι, εἴ τινα βούλοιτο, παραδοῦναι βασανίζειν, ἡγούμενος οὕτως ἂν τὸν ἔλεγχον ἰσχυρότερον γενέσθαι τῶν τούτου λόγων καὶ τῶν ἔργων τῶν ἐμῶν.*' Loquens haec fere uerba ad Nicomachum fecerit: '*... ἕτοιμός εἰμι, εἴ τινα βούλει, παραδοῦναι βασανίζειν ...*' XII 15. Mandatum adfert reus ab ipso antea datum Ant. VI 13: '*ἔτι δὲ τέταρτον Φίλιππον* sc. *κατέστησα, ᾧ προσετέτακτο ὠνεῖσθαι καὶ ἀναλίσκειν εἴ τι φράζοι ὁ διδάσκαλος ἢ ἄλλος τις τούτων, ὅπως* <*ὡς*> *ἄριστα χορηγοῖντο οἱ παῖδες καὶ μηδενὸς ἐνδεεῖς εἶεν διὰ τὴν ἐμὴν ἀσχολίαν.*' Verba ipsa loquentis fuerint: '*ὠνοῦ καὶ ἀνάλισκε, ἐάν τι φράζῃ.*' Infinitiuus apodosis adhuc semper uacabat uocula *ἄν*, quae addita est Lys. XIII 11: '*ἐκεῖνος μὲν οὖν ἐλθὼν εἰς Λακεδαίμονα ἔμεινεν ἐκεῖ πολὺν χρόνον ... νομίζων, εἰ διαθείη ὑμᾶς ὥσπερ διέθηκεν, ἀσμένως ὁποιαντινοῦν ἐθελῆσαι ἂν εἰρήνην ποιήσασθαι.*' Orationi rectae hanc formam attribuere: '*εἰ διαθείην ἐκείνους* sc. *εἰς ἀπορίαν*' — uerba '*ὥσπερ διέθηκεν*' orator per epexegesin adiecit — '*ἀσμένως ὁποιαντινοῦν ἐθελήσειαν ἂν εἰρήνην ποιήσασθαι*' commendatur particula *ἄν*, etsi certum diiudicari nequit, quia potentialis apodosis etiam protasibus aliarum classium hypotheticarum adiungitur, cuius rei oblitus esse uidetur Baeumleinius.[1]) — Saepius apodosin in optatiuo collocatam et a uerbis dicendi suspensam repperi: Lys. XIII 8. And. I 122. III 30. Ant. *Γβ* 4: '*προλεγόντων γὰρ αὐτῷ τῶν*

1) Cf. l. c. p. 264.

ἄλλων ἰατρῶν, εἰ ταύτην τὴν θεραπείαν θεραπεύσοιτο, ὅτι ἰάσιμος ὢν διαφθαρήσοιτο, δι' ὑμᾶς τοὺς συμβούλους διαφθαρεὶς ἐμοὶ ἀνόσιον ἔγκλημα προσέβαλεν.' De optatiuo futuri in oratione recta desiderato recte statuit Kuehnerus[1]): 'Wohl aber hat das griechische Futur einen historischen Konjunktiv, weil in abhängigen Sätzen sehr häufig das Bedürfnis eintritt, eine zukünftige Handlung in Beziehung auf die Vergangenheit, also nach einer historischen Zeitform, als eine vorgestellte zu bezeichnen. Dieser historische Konjunktiv des Futurs in abhängiger Rede entspricht also dem Indikative des Futurs in der direkten Rede.' Oratio recta haec est: '*εἰ ταύτην τὴν θεραπείαν θεραπεύσει, ἰάσιμος ὢν διαφθαρήσει.*' Infinitiuus futuri pro optatiuo apodosis exspectatur Lys. XIII 78: '*στρατηγῶν δὲ Ἄνυτος οὐκ ἔφη χρῆναι ποιεῖν αὐτοὺς ταῦτα, λέγων ὅτι οὐχ οὕτω διακέοιντο, ὥστε τιμωρεῖσθαί τινας τῶν ἐχθρῶν, ἀλλὰ νῦν μὲν δεῖν αὐτοὺς ἡσυχίαν ἔχειν, εἰ δέ ποτε οἴκαδε κατέλθοιεν, τότε καὶ τιμωρήσοιντο τοὺς ἀδικοῦντας.*' Neque uero singularis est eiusmodi optatiuus orationis obliquae cf. id, quod docet Kruegerus[2]): 'Nach einem obliquen Satze mit *ὅτι* oder *ὡς* und dem Optativ ... folgt, das oblique Verhältnis fortsetzend, der Optativ ... notwendig ohne *ὅτι* oder *ὡς*, am gewöhnlichsten durch *γάρ*, doch auch durch *δέ* ... und selbst ohne Partikel angefügt.'

Non raro fit, ut orator ostendat, quid quis molitus sit ad perficiendum aliquid a condicione aliqua aptum; res sumpta in optatiuo poni solet, uelut Lys. XXVIII 14: '*οἱ μὲν γὰρ ἐπὶ τοῦτ' ἐχειροτονήθησαν, ἵνα κακῶς, εἴ πῃ δύναιντο, ὑμᾶς ποιήσειαν.*' (XX) 13. Suum ipse consilium antea initum is, qui loquitur, aperit XVI 17: '*καὶ ταῦτ' ἐποίουν οὐχ ὡς οὐ δεινὸν ἡγούμενος εἶναι Λακεδαιμονίοις μάχεσθαι, ἀλλ' ἵνα, εἴ ποτε ἀδίκως εἰς κίνδυνον καθισταίμην, διὰ ταῦτα βελτίων ὑφ' ὑμῶν νομιζόμενος ἁπάντων τῶν δικαίων τυγχάνοιμι.*' (XX) 31. — Apud Andocidem 1 × (I 141) periodus condicionalis subiecta est enuntiato finali, apud Antiphontem nunquam; restitui autem potest eiusmodi periodus VI 12: '*ἐγὼ μὲν οὖν τούτοις προσεῖχον τὸν νοῦν, κατέστησα δὲ ἐπιμελεῖσθαι, εἴ τι δέοι τῷ χορῷ, Φανόστρατον ...*' sensu integro legi potest: '*ἐγὼ κατέστησα δέ, ὅπως ἐπιμελοῖτο, εἴ τι δέοι τῷ χορῷ, Φανόστρατον ...*'[3]) Optatiuus in tali quoque

1) gr. II p. 180. 2) l. c. §. 54, 6, 4. 3) Si consilium temporis praesentis aut futuri est, etiam condicio non cogitari tantum solet; potius se exspectare, rem sumptam simulque consilium captum ad

protasi occurrit, qualis exstat Ant. VI 51: '... *τίνας ὅρκους οὐκ ἂν τολμήσαιεν παραβαίνειν οὗτοι οἱ ἀνοσιώτατοι, οἵτινες καὶ ὑμᾶς εἰδότες εὐσεβεστάτους τῶν Ἑλλήνων δικαστὰς καὶ δικαιοτάτους καὶ ἐφ' ὑμᾶς ἥκουσιν ἐξαπατήσοντες εἰ δύναιντο, ὅρκους τοιούτους διομοσάμενοι.*' Ut VI 12 enuntiatio finalis formari licet: '*ἥκουσιν ἵνα ἐξαπατῶσι*' uel rectius '*ἐξαπατῷεν, εἰ δύναιντο...*' cf. Kuehnerum similem locum Xen. Cyr. 4, 2, 45 adferentem.[1])

A prioribus discernendi sunt complures loci, ubi '*εἰ* c. opt. von der Vergangenheit gebraucht zu sein scheint, indem es auf einen Hauptsatz im Indikative einer historischen Zeitform bezogen ist. Alsdann ist der Bedingungssatz (*εἰ* c. opt.) aus der Seele einer Person, als im Geist derselben gedacht ausgesprochen, so dafs *εἰ* c. opt. auf *ἐὰν* c. coni. der direkten Rede zurückgeführt werden kann.'[2]) (And.) IV 15: '*καὶ τὰ χρήματα τῷ δήμῳ ἔδωκεν, εἴ πως τελευτήσειεν ἄπαις, φοβούμενος μὴ διὰ τὴν οὐσίαν ἀπόλοιτο.*' Protasis profertur ex animo eius, qui bonorum suorum populum heredem fecit, Calliae; qui sic constituerit: '*τὰ χρήματα τῷ δήμῳ δίδωμι, ἐάν πως τελευτήσω ἄπαις.*' Apodosis participio coniuncto formatur (Lys.) VI 21: '*Ἀνδοκίδης ... ἔδησεν ἑαυτὸν τιμησάμενος δεσμοῦ, εἰ μὴ παραδοίη τὸν ἀκόλουθον*'

effectum uenturum esse, loquens exprimit: Ant. I 23: '*δεήσεται δ' ὑμῶν οὗτος μὲν ὑπὲρ μητρὸς τῆς αὑτοῦ ζώσης, τῆς ἐκεῖνον διαχρησαμένης ἀβούλως τε καὶ ἀθέως, ὅπως δίκην μὴ δῷ, ἂν ὑμᾶς πείθῃ, ὧν ἠδίκηκε*'

1) l. c. p. 898. 2) Kuehner. gr. II p. 981.

Con-

Apodosis.	Opt. (Inf.) Praes. c. *ἄν*.	Opt. (Inf.) Aor. c. *ἄν*.	Opt. (Inf.) Perf. c. *ἄν*.
εἰ cum Optatiuo Praesentis.	Lys. I 1. III 7 (?). X 16. XVIII 8 (2). XIX 33. XXI 22 (2). XXIV 8. XXVIII 3. XXIX 9 (2). 11. XXXI 3. Erot. 231 D (2). — (VIII) 4. — And. II 6. I 139. — Ant. I 10. V 67. 91. 92. VI 19. 30. V 65.	Lys. X 10. XII 83. XXIV 25. — (XI) 10. (II) 75.	—
εἰ cum Optatiuo Aoristi.	Lys. X 10. XXIV 8. 23 XXIX 11. XXXI 31. XXIV 9. — (VIII) 9. — Ant. *Δδ* 7.	Lys. III 48. XIX 61. XXIV 9. XIII 46. — (IX) 21. And. II 22. 19. (IV) 10. 38. Ant. V 65.	Lys. XXVII 8. 9.
εἰ cum Optatiuo Perfecti.	Lys. XXIV 28.	—	—

Andocides ita cogitauerit: '*ἐὰν μὴ παραδῶ τὸν ἀκόλουθον, ἀξιῶ δεθῆναι.*' (II) 39. Apodosis genetiuus absolutus est Lys. XXIII 11. (VI) 23; a uerbo sentiendi pendet apodosis Lys. XXIX 6, item locum secundariae sententiae tenet Ant. Fr. 15.

Restant nonnulla enuntiata concessiua:

I. per *εἰ καὶ* formata: (Lys.) XX 23: '*καὶ ἐξὸν αὐτῷ τὴν οὐσίαν ἀφανῆ καταστήσαντι μηδὲν ὑμᾶς ὠφελεῖν, εἵλετο μᾶλλον συνειδέναι ὑμᾶς, ἵν', εἰ καὶ βούλοιτο κακὸς εἶναι, μὴ ἐξείη αὐτῷ, ἀλλ' εἰσφέροι τε τὰς εἰσφορὰς καὶ λειτουργοίη.*' Structura uerborum is locus iis adiungendus est, quorum apodosis enuntiati finalis est, XVI 17 etc. (u. p. 289). Protasis ex mente alius pronuntiatur Ant. *Δα* 8: '*εἴ τε καὶ ἁλοίη, τιμωρησαμένῳ κάλλιον ἔδοξεν αὐτῷ ταῦτα πάσχειν ἢ ἀνάνδρως μηδὲν ἀντιδράσαντα ὑπὸ τῆς γραφῆς διαφθαρῆναι.*' Exspectamus reo minus gloriosum uisum esse, poenam subire, cum longe alia teneretur spe, id quod ex antecedentibus apparet: '*ἤλπιζέ τε τάδε μὲν δράσας καὶ λήσειν ἀποκτείνας αὐτὸν καὶ ἀποφεύξεσθαι τὴν γραφήν . . .*'

II. per *καὶ εἰ* formata: Lys. XIX 59: '*καὶ ταῦτ' ἐποίει ἡγούμενος εἶναι ἀνδρὸς ἀγαθοῦ ὠφελεῖν τοὺς φίλους, καὶ εἰ μηδεὶς μέλλοι εἴσεσθαι·*' Accedit is locus eis, ubi periodus hypothetica ad id, quod quis alio tempore putauit, referenda est. Videbatur autem loquentis patri uiri boni esse, opitulari amicis uel tum si nemo comperturus esset.

spectus.

Ind. Praes.	Ind. Fut.	Ind. Imp.	Ind. Imp. c. ἄν.	Ind. Aor.	Ind. Aor. c. ἄν.
And. I 109. Ant. VI 1 (2).	Ant. *Γα* 4. Fr. 57.	Lys. XII 44. Fr. 4 (2).	—	Lys. XXI 24.	—
—	Lys. XIX 62. XXIV 15. XXXIV 6. — (XI) 5. Fr. 55.	Lys. XIII 78.	Lys. X 8 (2). 9. XVI 7. XIX 38.	Ant. Fr. 57.	Lys. XXXI 28 (2).
—	—	—	—	—	—

Apodosis.	Praes.	Inf. Praes. c. ἄν.	Fut.
εἰ cum Optatiuo in oratione obliqua.	Lys. III 3. VII 34. XII 8. XIX 59. — (II) 14. And. I 20. Ant. VI 12. 13.	(Lys.) II 21.	Lys. XII 14. 15. XIII 25. 53. XXVI 24. — (II) 21. And. I 15. 90. — (IV) 17. Ant. I 19. VI 51.

De frequentia optatiui praesentis et aoristi in oratione recta adhibiti doceat haec tabula:

Protasis.	Opt. Praes.	Opt. Aor.	Opt. Perf.
Lys.	21 exempla.	23 exempla.	1 exemplum.
(Lys).	3 "	3 "	—
Fr.	2 "	1 exemplum.	—
And.	3 "	2 exempla.	—
(And.)	— "	2 "	—
Ant (I., V., VI.)	9 "	1 exemplum.	—
Tetr.	1 exemplum.	1 "	—
Fr.	1 "	1 "	—

Inde discimus, Lysiam saepius condicionem in aoristo collocasse, cum apud Andocidem, magis etiam apud Antiphontem optatiuus praesentis praeualeat; hoc uero cadit tantum in I., V., VI. orationes, a quibus tetralogiae paucitate huiusmodi enuntiatorum condicionalium et aequali usu utriusque optatiui diuersae sunt. — De uariis modis ac temporibus, quorum singulae apodoses sunt, dicendum est, apud Antiphontem et Andocidem plerumque potentialem occurrere in apodosi; apud Lysiam distinguendum est inter εἰ c. opt. praes., ubi concinnitas exceptis duobus tantum locis seruatur, et inter εἰ c. opt. aor., ubi 12× apodosis potentialis, 11× alius modi est. — Antiphon et Andocides consentiunt indicatiuo praesentis adhibito; Lysias solus indicatiuo temporis historici, siue liber siue cum ἄν copulatus est, utitur; Lysiae (Fr.) et Antiphontis (Tetr.) indicatiuus futuri proprius est.

	Prot. praec.	Prot. non praec.
Lys.	19 exempla.	26 exempla.
(Lys.)	2 "	4 "
Fr.	3 "	— "
And.	2 "	3 "
(And.)	2 "	— "
Ant. (I., V., VI.)	7 "	3 "
Tetr.	1 exemplum.	1 exemplum.
Fr.	2 exempla.	—

Imp.	Aor.	Inf. Aor. c. ἄν.	Perf.	Opt.
Lys. XXIII 11. Ant. Fr. 15.	Lys. XXIX 6. — (II) 39. (VI) 21. 23. And. I 115. — (IV) 15. Ant. Δα 8.	Lys. XIII 11.	And. I 20.	Lys. XIII 8. 78. XVI 17. XXV 13. XXVIII 14. — (XX) 13. 23. 31. And. I 122. 141. III 30. Ant. Γβ 4.

Ordo praepositiuus hic ab Antiphonte seruatur; cum apud Andocidem tum apud Lysiam ordo postpositiuus superior discedit.

Inter numerum exemplorum, quae optatiuum orationis rectae praebent, et eorum, ubi in oratione obliqua usurpatus cernitur, haec ualet ratio:

	Opt. or. rect.	Opt. or. obl.
Lys.	45 exempla.	17 exempla.
(Lys.)	6 „	9 „
Fr.	3 „	— „
And.	5 „	8 „
(And.)	2 „	2 „
Ant. (I., V., VI.)	10 „	4 „
Tetr.	2 „	2 „
Fr.	2 „	1 exemplum.

Apud Lysiam et Antiphontem (I., V., VI. or.) optatiuus multo rarius in oratione obliqua quam in recta exstat; tetralogiae, quae etiam hic numero exemplorum I., V., VI. orationibus inferiores sunt, eandem frequentiam locorum utriusque generis exhibent; orationes Andocidis et eae, quae sub nomine Lysiae feruntur, congruunt optatiuo or. obl. crebrius adhibito.

Protasis.	Opt. Praes.	Opt. Aor.	Opt. Perf.	Opt. Fut.
Lys.	10 exempla.	6 exempla.	1 exemplum.	—
(Lys.)	4 „	5 „	—	—
And.	3 „	5 „	—	—
(And.)	1 exemplum.	1 exemplum.	—	—
Ant. (I., V., VI.)	3 exempla.	1 „	—	—
Tetr.	— „	1 „	—	1 exemplum.
Fr.	— „	1 „	—	—

Comparantibus hanc tabulam cum ea, quae usum optatiui praes., aor., perf. in oratione recta ostendit, apparet, Lysiam illic optatiuo praesentis rarius, hic saepius quam aoristi optatiuo uti, Andocidem illic protasin rarius in optatiuo aoristi, hic frequentius quam in

praesentis optatiuo ponere; in hoc praeferendo Antiphon perseuerat. — Lysias hic quoque solus optatiuum perfecti adhibet; tetralogiae optatiuo futuri insignes sunt.

Inter uarias apodosis formas apud omnes tres oratores futurum et optatiuus, siue ut illud a uerbo dicendi etc. aptus siue in enuntiato finali occurrens, usitatissima sunt.

	Prot. praec.	Prot. non praec.
Lys.	8 exempla.	9 exempla.
(Lys.)	6 "	3 "
And.	6 "	2 "
(And.)	— "	2 "
Ant. (I., V., VI.,)	1 exemplum.	8 "
Tetr.	2 exempla.	— "

Lysias rursus protasin saepius postponit, cum in tribus ceteris classibus ordini praepositiuo maiorem potestatem concedat; Andocides hic reuertitur ad ordinem naturalem adhibendum, a quo discessit utens εἰ c. opt. orationis rectae. Apud Antiphontem discrimen faciendum est inter tetralogias et ceteras orationes: in illis absunt omnino exempla ordinis postpositiui, quorum numerus apud εἰ c. opt. or. rect. par erat numero locorum alterius ordinis; in I., V., VI. orationibus ordini praepositiuo item atque in enuntiatis uocula ἐὰν formatis locus inferior tribuitur.

Quaerenti quem locum classis enuntiatorum condicionalium εἰ c. opt. praebentium inter ceteras teneat multitudine exemplorum, respondeat haec tabula:

	I. classis.						II. classis.	III. classis.	IV. classis.
Protasis.	εἰ c. Ind. Praes.	εἰ c. Ind. Fut.	εἰ c. Ind. Perf.	εἰ c. Imp.	εἰ c. Aor.	Summa.	Irr. en. cond.	ἐὰν c. conj.	εἰ c. opt.
Lysias.	40 loci.	42 loci.	15 loci.	21 loci.	14 loci.	132 loci.	79 loci.	97 loci.	45 (62) loci.
(Lysias).	18 "	23 "	1 locus.	7 "	10 "	59 "	11 "	32 "	6 (15) "
Fragm.	— "	— "	— "	1 locus.	— "	1 locus.	3 "	5 "	3 (3) "
Andoc.	27 "	8 "	8 loci.	5 loci.	6 "	54 loci.	15 "	21 "	5 (13) "
(Andoc.)	7 "	1 locus.	— "	— "	2 "	10 "	4 "	3 "	2 (1) "
Ant. (I., V., VI.)	22 "	2 loci.	3 "	3 "	5 "	35 "	29 "	27 "	10 (14) "
" Tetr.	12 "	2 "	5 "	3 "	11 "	33 "	10 "	17 "	2 (4) "
" Fr.	— "	— "	— "	— "	— "	— "	— "	— "	2 (3) "

Lysias, Andocides, Antiphon consentiunt I. classe enuntiationum hypotheticarum saepissime, rarissime IV. adhibita: proxima sunt enuntiata per ἐὰν formata, sequuntur enuntiationes irreales apud

Lysiam, Andocidem, in tetralogiis; inuersa ratio in I., V., VI. orationibus Antiphontis animaduertitur.

Quae dixi, non quadrant in orationes Lysiae spurias neque in IV. Andocidis: nam ibi II., hic III. classis locum tenet infimum.

Si summam facimus uniuersae multitudinis enuntiatorum condicionalium,

apud Lysiam 370 exempla cadunt in 849 §§. uel
1 exemplum cadit in 2,2945 §§.,
apud Andocidem 103 exempla cadunt in 219 §§. uel
1 exemplum cadit in 2,1262 §§.,
apud Antiphontem 169 exempla cadunt in 295 §§. uel
1 exemplum cadit in 1,7455 §.

Unde intellegitur, Antiphontem multitudine locorum sequentibus oratoribus superiorem esse, inferiorem etiam Andocidi Lysiam.[1])

Caput V.

Supplementum.

§. 15. Protasis aut obiecti aut subiecti munere fungitur.

Respexi quidem, sed enumeraui tantum in ceteris, cum occasio accuratius tractandi adhuc defuerit idonea, ea enuntiata per *εἰ* formata, ubi is, qui loquitur, non sumit aliquid fieri et inde aliud euenire concludit, potius aut protasi praedicatur aliquid, quod ad apodosin non ut aduerbialis locutio pertinet, sed ut obiectum ad subiectum, aut protasis ipsa fungitur munere subiecti, cuius praedicatum apodosis est; *εἰ* eandem uim quam uocula *ὅτι* habet.

I. Primum afferam ea exempla, quorum protasis, si in hac locutione perseuerari licet, cum totam periodum ut unam sententiam primariam contemplamur, pro obiecto posita est, apodosis subiecti locum tenet.

1) Protasis temporis praesentis est: Lys. XXX 17: '*θαυμάζω δὲ εἰ μὴ ἐνθυμεῖται, ὅταν ἐμὲ φάσκῃ ἀσεβεῖν λέγοντα ὡς χρὴ θύειν τὰς θυσίας τὰς ἐκ τῶν κύρβεων καὶ τῶν στηλῶν κατὰ τὰς συγγραφάς, ὅτι καὶ τῆς πόλεως κατηγορεῖ· ταῦτα γὰρ ὑμεῖς ἐψηφίσασθε.*' Orator non fingit, Nicomachum non reputare, se huiusmodi opprobrio rem publicam quoque aggredi et inde efficit admirationem suam, sed dicere uult: 'miror eum non respicien-

1) Non praetermittam, orationem XI., quam epitomen antecedentis esse iam Scaliger censuit, ab omnibus ceteris Lysiae diuersam esse numero exemplorum, nempe 12 periodis hypotheticis in 12 tantum §§is.

tem...'; re autem uera id non reputare reum sententia accusatoris, colligere possumus ex uerbis, quibus quo nitatur probrum illud a reo factum adfert: 'ὅταν — συγγραφάς' et 'ταῦτα ... ἐψηφίσασθε.' Quae si ita sunt, cur orator non ita locutus est: 'θαυμάζω δὲ ὅτι οὐκ ἐνθυμεῖται etc.'? Particulam εἰ adhibens, quid ipse sentiat, incertum relinquit; non potest haec ratio dicendi non urbana uocari, qua utens orator loco Lysiaco de cogitationibus aduersarii certi quid affirmare desistit. XXVI 1. 3. (IX) 2. Fr. 53 1. (And.) IV 42.

2) Protasis temporis futuri est: Lys. XII 11. XIII 15. (VIII) 1: 'τοὺς μὲν γὰρ οὐδὲν οἶμαι τιμήσειν, εἰ τοῖς ἐπιτηδείοις ἀνεπιτήδειοι δόξουσιν εἶναι.'[1]) Orator persuasum habet, infestos demonstraturum se esse eos, quorum familiaritate se abdicare uult. (XX) 34.

3) Perfectum in protasi exstat: Lys. IV 19.

Protasis uoce εἰ c. ind. imperf. formatae exempla non repperi.

Aoristus bis legitur apud Andocidem. II 27: 'ὅπου γὰρ ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν τούτων αὐτοὶ εἰς ὑμᾶς αὐτοὺς ἐπείσθητε τὰ μέγιστα ἐξαμαρτεῖν, ὥστε ἀντὶ τῆς ἀρχῆς δουλείαν ἀλλάξασθαι, ἐκ δημοκρατίας δυναστείαν καταστήσαντες, τί ἂν τις ὑμῶν

1) Codicum scriptura 'οὐδὲν... τιμήσειν εἰ' num id, quod sensus postulat, nihili aestimare, significare posset, dubium uidebatur iam Reiskio emendanti 'προτιμήσειν,' quem secutus est Franckenus (l. c. p. 62) comparans Ar. Ran. 638. Plut. 883; addere poterat Ran. 655 et Ach. 27, qui locus Lysiaco similior est:

'εἰρήνη δ' ὅπως ἔσται προτιμῶσ' οὐδέν.'

(Dem.) VII 16: 'δαπάνας οὐ μικρὰς δαπανᾷ εἰς τοὺς κατὰ θάλατταν κινδύνους, ὧν οὐδὲν προτιμᾷ.' Scripturam Reiskii praefero Emperii: '... παρ' οὐδὲν οἶμαι τιμήσειν', quia 'παρ' οὐδὲν τιμᾶν' singulare est, coniecturis Scheibii: 'τοῖς μὲν γὰρ οὐδὲν οἶμαι μελήσειν', Westermanni 'τοῖς μὲν γὰρ οὐδὲν οἶμαι διοίσειν', quod pluribus locis mutare coacti sunt. Palatini lectionem 'ἀνεπιτηδείοις' Thalheimius (N. J. f. Ph. 1878, 549) seruat uertens: „denn den einen, meine ich, wird es gleichgültig sein, wenn ihre Feindschaft gegen Nichtbefreundete zu Tage tritt." Equidem uero dubito, an illa uox in eadem enuntiatione ualere possit et 'infestus' et 'non familiaritate coniunctus i. e. 'hic neutri parti favens', quoniam 'ἀνεπιτηδείοις' ad eos referendum est, de quibus dixit: 'ὧν ἐναντίον ἐπιθυμῶ μέμψασθαι τοῖς ἀδικοῦσιν ἐμέ.' Contra si legimus cum Tayloro 'ἐπιτηδείοις', sensus haud deterior euadit: 'si cum amicis' — generatim dictum pro 'mecum' — 'parum amice agere uidebuntur.' Oppositis autem inter se dicendi rationibus minime caret haec oratio, cf. paulo infra: 'τοὺς δοκοῦντας εἶναι φίλους ἀδικοῦντας εὑρίσκω', §. 7: 'οὔτε γὰρ ὑμᾶς σοφωτάτους ἑώρων ὄντας, ἐμαυτὸν δ' ἀμαθέστατον etc.'

θαυμάζοι καὶ εἰς ἐμὲ εἴ τι ἐπείσθητε ἐξαμαρτεῖν;' Agitur de re gesta, cf. §. 28: '*οὕτω καὶ ἐν ᾧ περὶ ἐμοῦ ἐπείσθητε γνῶναί τι ἀνεπιτήδειον.*' III 34.

Semel *ἐὰν* c. coni. repperi in huiusmodi protasi: Lys. XXII 15: '*ὅταν γὰρ μάλιστα σίτου τυγχάνητε δεόμενοι, ἀναρπάζουσιν οὗτοι καὶ οὐκ ἐθέλουσι πωλεῖν, ἵνα μὴ περὶ τῆς τιμῆς διαφερώμεθα, ἀλλ' ἀγαπῶμεν, ἂν ὁποσουτινοσοῦν πριάμενοι παρ' αὐτῶν ἀπέλθωμεν·*' *ἐὰν* pro *ὅτι* usurpat orator, ut declaret, exspectari euentum protasis, cui hic sensus inest: „wenn wir nur etwas Getreide vom Markte heimbringen, mag der Preis auch noch so hoch sein."

II. Protasis munere subiecti fungitur, apodosis praedicatiue posita est.

1) Protasis temporis praesentis est: Lysiae orationes exemplis carent; nam XXII 18: '*καίτοι πῶς ἂν οὐ θαυμαστὸν εἴη, εἰ περὶ τῶν αὐτῶν ἁμαρτημάτων δικάζοντες μᾶλλον ἐπιθυμεῖτε παρὰ τῶν ἀρνουμένων δίκην λαμβάνειν;*' huc non cadit, cuius protasi nulla affirmatio contineatur; immo uero orator fingens iudices magis cupere eos, qui infitientur, (quam confitentes) poena afficere, utrum id illi uelint necne, adhuc ignorat. And. II 1: '*... δεινότατον ἁπάντων χρημάτων ἡγοῦμαι, εἰ τῷ μὲν δοκεῖ ταῦτα τῷ δὲ μή, ἀλλὰ μὴ πᾶσιν ὁμοίως.*' Protasi inesse aliquid cum rebus ipsis consentiens efficitur ex praecedente periodo ueritati repugnante: '*εἰ μέν, ὦ ἄνδρες, ἐν ἑτέρῳ τῳ πράγματι οἱ παριόντες μὴ τὴν αὐτὴν γνώμην ἔχοντες πάντες ἐφαίνοντο, οὐδὲν ἂν θαυμαστὸν ἐνόμιζον·*'

2) Protasis temporis futuri est: Lys. III 37: '*ὥστε δεινὸν εἰ περὶ τούτων ἐγὼ δόξω προνοηθῆναι, περὶ ὧν οὗτοι τυγχάνουσιν οὕτω δεινὰ καὶ παράνομα πεποιηκότες.*' Ad protasin suppleri debet: '*ὡς κατηγορεῖ Σίμων*' (cf. §. 28); inest igitur protasi affirmatio et aduersarii quidem; futuro adhaeret notio uoluntatis: „in Folge dessen ist es empörend, wenn (dafs) ich in den Ruf kommen soll sc. nach dem Willen Simons, mit Vorbedacht gehandelt zu haben." XXI 24: '*... οὐδ' ἡγούμην δεινὸν εἶναι, εἰ τελευτήσας ὑπὲρ τῆς πατρίδος τὸν βίον ὀρφανοὺς καὶ πατρὸς ἀπεστερημένους αὐτοὺς καταλείψω, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον* sc. *ἡγούμην δεινὸν εἶναι, εἰ σωθεὶς αἰσχρῶς ὀνείδη καὶ ἐμαυτῷ καὶ ἐκείνοις περιάψω.*' In utraque protasi aliquid affirmari perspicuum fit, si ita legimus: '*οὐδ' ἡγούμην δεινὸν εἶναι, ὅτι, εἰ ἐτελεύτησα... τὸν βίον, ... καταλείψω, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον, ὅτι, εἰ ἐσώθην αἰσχρῶς, ὀνείδη... περιάψω.*' XXVI 9. XXXIV 11. (XV) 2. (XX) 10.

Protasis aoristi est (Lys.) VIII 8, quem locum corruptum cum Buermanno[1]) ita lego: '*καὶ ταῦτα δ' ὅτε πρὸς τούτους τελευταίους ἐλέγετε, οὐκ ᾤεσθε ἀπαγγελεῖν ἡμῖν κἀντεῦθεν σόφισμα καλὸν εἶναι, εἰ περιήλθετε πάντες ὑμῶν αὐτῶν κατηγοροῦντες ὅτι πονηροῖς ἑκόντες ὁμιλεῖτε.*' Sensu integro haec sententia legi potest: '*... οὐκ ᾤεσθε... κἀντεῦθεν σόφισμα καλὸν εἶναι τὸ περιελθεῖν...*'

In uniuersum de hoc genere enuntiatorum uoce *εἰ* formatorum dicendum existimo, urbanitatem elegantiamque loquendi, quam in eo consistere uidimus, quod actiones cum statu rerum congruentes ut incertae pronuntiabantur, nondum reperiri apud Antiphontem, apud Andocidem autem 3× occurrere; Lysias uero ascendit ad numerum 12 exemplorum; neque uero frequentia solum locorum, sed etiam eo Lysias posteriorem atque excultiorem oratorem se praestat, quod etiam *ἐὰν* pro uocula *ὅτι* substituit, id quod saepius fecerunt Isocrates, Demosthenes, Aeschines. — Quod *εἴπερ* nusquam in hac classe cernitur, facile cognoscitur e propria ui illius particulae, quae condicionalem notionem augeat; condicionalis uero notio hic recedit, cuius rei argumento ordo protasis et apodosis est: ordo praepositiuus, qui ut primarius et naturalis in enuntiatis uere condicionalibus fere semper praeualebat, hic nunquam seruatur[2]); apodosis praecedit protasin ut in sententiis per *ὅτι* formatis.

§. 16. De enuntiatis condicionalibus compositis.

De uariis generibus enuntiatorum condicionalium disputanti et quid proprii unum quodque haberet, peruestiganti non licebat rationem habere formationis periodorum hypotheticarum, de qua nonnulla adiungam: Longe maxima pars exemplorum ita est composita, ut loquens aliquid sumat indeque conclusionem faciat, ut uni protasi unam apodosin aut postponat aut praeponat. Interdum autem fit, ut periodus condicionalis ex duabus protasibus, una tantum apodosi constet, velut Lys. XXVI 7: '*εἰ δὲ ταῦτα πάνθ' οὗτος ὥστε γενέσθαι διαπέπρακται, τί προσδοκῆσαι δεῖ δοκιμασθέντα αὐτὸν ποιήσειν, εἰ τὴν ἐξιοῦσαν ἀρχὴν πέπεικεν αὐτοῦ ἕνεκα παρανομῆσαι;*' Inter utramque protasin, qua includitur apodosis, ea ratio intercedit, ut protasis prior per posteriorem explanetur; quod antea summatim indicauit orator, Euandrum haec omnia perfecisse, postea accuratius describit addens, illum

1) Herm. X p. 356. 2) Excipio (Lys.) IX 2 et XX 34, ubi ordo praepositiuus aequalitate atque perspicuitate sermonis postulatur.

antequam esset probatus, exeunti magistratui persuasisse, ut in suam gratiam leges uiolaret. Consentio cum Carolo Foertsch[1]) iudicante, duplicem protasin eam ob rem ab oratore pronuntiatam esse, ut auditores ad ea, quae ut condicio hic proferrentur, uel maxime animum attenderent. — Similis locus est And. I 11: *'Ἀλκιβιάδην δὲ τὸν στρατηγὸν ἀποδείξω ὑμῖν τὰ μυστήρια ποιοῦντα ἐν οἰκίᾳ μεθ' ἑτέρων, καὶ ἐὰν ψηφίσησθε ἄδειαν (ᾧ) ἐγὼ κελεύω, θεράπων ὑμῖν ἐνθάδε ἑνὸς τῶν ἀνδρῶν ἀμύητος ὢν ἐρεῖ τὰ μυστήρια· εἰ δὲ μή'* sc. *ἐρεῖ ὑμῖν ὁ θεράπων τὰ μυστήρια, καὶ οὕτως ἐγὼ φανοῦμαι εἰρηκὼς τὰ ψευδῆ* — recte ita supplet Reiskius — *'χρῆσθε ἐμοὶ ὅ,τι ἂν ὑμῖν δοκῇ, ἐὰν μὴ τἀληθῆ λέγω.'* Etiam hic, etsi prior protasis imperfecta est, tamen quia eius sententia facile mente suppletur, duplex protasis ualet ad infigendum magis audientium animis, quod condicionaliter proponitur.

Plura exempla reperiuntur, ubi protasis utraque non eadem auctoritate utitur, sed altera alteri subiecta est: (Lys.) XIV 11: *'θαυμάζω δέ, ... εἴ τις ἀξιοῖ, ἐὰν μέν τις προσιόντων τῶν πολεμίων τῆς πρώτης τάξεως τεταγμένος τῆς δευτέρας γένηται, τούτου μὲν δειλίαν καταψηφίζεσθαι, ἐὰν δέ τις ἐν τοῖς ὁπλίταις τεταγμένος ἐν τοῖς ἱππεῦσιν ἀναφανῇ, τούτῳ συγγνώμην ἔχειν.'* Fr. 11. Ant. V 48. VI 17 (2).

Diuersi sunt loci, in quibus non altera protasis altera circumscribitur, sed apodosis non solum ex primaria, ut ita dicam, sed etiam ex secundaria condicione pendet: Lys. XXXI 14: *'εἰ μέντοι τι μέρος περίεστι τῶν πολιτῶν ὅ,τι τῶν αὐτῶν μετέσχε τούτῳ πραγμάτων, μετ' ἐκείνων, ἐάν ποτε... λάβωσι τὴν πόλιν, βουλεύειν ἀξιούτω.'* Prior protasis locum principem tenet, cum partem ciuium easdem cum illo rationes secutam ea tantum condicione rem publicam occupare posse pateat, si omnino supersit. (IX) 12. (XX) 12. And. I 139. 149. Ant. V 27. *Αβ* 3.

Minime raro Antiphon duabus protasibus unam apodosin adiungit, nempe 5×, rarius Andocides, apud quem tria exempla occurrant, rarissime Lysias, cuius orationes genuinae 2× tantum periodum hypotheticam ita compositam praebeant.

Restat haud exiguus numerus locorum, ubi duo enuntiata uoce *εἰ* formata apta sunt ex elocutionibus huius generis: *δεινόν, αἰσχρόν, δεινὸν ἂν εἴη, δεινὸν δέ μοι δοκεῖ εἶναι* etc. Periodi ita con-

1) 'Commentatio critica de locis nonnullis Lysiae et Demosthenis' p. 22.

flatae imprimis in iis argumentandi formis locum habent, quae uocantur argumenta ex contrario; uim ac notionem contrarii Gebauerus[1]) sic explanat: 'Per contrarium duae sententiae hunc in modum inter se comparantur, ut aut absurdum aut turpe esse (fuisse) significetur in certa quadam rerum condicione uel facere aliquid non facereue uel dicere negareue uel opinari non opinariue.' 'Res, qua nititur argumentatio, alteri aut per hypotaxin subicitur aut per parataxin adicitur.' Hypotaxeos exemplum exstat Lys. XIX 33: '*πῶς ἂν οὖν εἶεν ἄνθρωποι ἀθλιώτεροι, ἢ εἰ τὰ σφέτερ' αὐτῶν ἀπολωλεκότες δοκοῖεν τἀκείνων ἔχειν;*'[2]) hypotaxis fit per participium *ἀπολωλεκότες*. — Loci ad nostram quaestionem spectantes in paratacticis e contrario argumentis habendi sunt, quorum specimen hoc adfert Gebauerus[3]): '*δεινὸν ἂν εἴη, εἰ τοῦτο μὲν ἐποίησας, ἐκείνου δὲ ἀμελήσεις.*' Quae formula nihil aliud significat nisi '*εἰ* (i. e. *ἐπεὶ*) *τοῦτο ἐποίησας, δεινὸν ἂν εἴη, εἰ ἐκείνου ἀμελήσεις.*' Unde perspicuum fit, cur huiusmodi locutiones cum iis tractem, quarum apodosis duas protases sequitur; nihilo minus tamen separaui haec exempla a locis protasis utriusque eadem auctoritate instructae, quibus adiungenda quis putauerit, quia hic altera protasis alteri par est, si rationem grammaticam, subiecta uero, si logicam perpendimus; protasis subiecta ob nullam aliam rem nisi augendae alterius protasis causa adfertur; eo autem, quod Graeci non ut nos enuntiatum minoris momenti alteri subiciunt, id assequuntur, ut recte docet Rehdantzius,[4]) „daſs einerseits der Ausdruck dem Affekt entsprechend nicht reflektiert scheint, andererseits der logische Kontrast durch die Gleichstellung der Form frappanter in die Augen fällt und so den Hörer reizt, selbstthätig dieses logische Verhältnis auszudenken, welches der verständig lehrhafte Deutsche bereits vorgedeutet hat." — Atque contrarii per *εἰ* illati Gebauerus[5]) statuit quattuor schemata:

1) '*εἰ* in priore membro munus particulae *ἐπεὶ* obtinet, in posteriore uere est condicionale.'

2) '*εἰ* in utraque parte suam propriam potestatem retinet.'

3) '*εἰ* in priore membro particulae *ἐπεί*, in posteriore uoculae *ὅτι* officio fungitur.'

4) '*εἰ* in utroque membro officio uoculae *ὅτι* fungitur.'

Ad quae schemata statuenda cum magni momenti sit, utrum

1) 'De hyp. et par. arg.' p. XXVI sq. 2) Cf. Geb. l. c. p. 48. 3) l. c. p. 154. 4) Ind. Dem. I p. 24. ed. IV. 5) l. c. p. 155 sq.

duo membra periodi in eodem tempore ac modo collocata sint necne, equidem hanc diuisionem facio:

I. Duae protases tempore ac modo inter se consentiunt:

1) 'εἰ in utraque parte uere condicionale est: Lys. XXX 16: 'ἔτι δὲ καὶ δεινόν, εἰ ὧν μὲν ἄκων ἔπαθε, χάριν αὐτῷ εἴσεσθε, ὧν δ' ἑκὼν ἐξήμαρτε, μηδεμίαν τιμωρίαν ποιήσεσθε.' Orator sumens utriusque protasis actionem ad effectum uenturam esse aliquid certum nondum scit. (XIV) 23. — Dubitari potest, num huc referendum sit (VI) 13: 'ἀλλὰ λέξει δεινὸν εἶναι, εἰ ὁ μὲν μηνυτὴς τὰ ἔσχατα πείσεται, οἱ δὲ μηνυθέντες τῶν αὐτῶν ὑμῖν ἐπίτιμοι ὄντες μεθέξουσι', cum membro posteriore factum quoddam contineatur cf. And. I 53. Exspectes 'μετέχουσιν' scriptum; indicatiuum futuri orator adhibuit per attractionem, quam imprimis pertinere censet Gebauerus[1]) ad studium Graecorum in antithesi alterius membri quam maxime cum altero aequandi; patet hac attractione etiam uim particulae εἰ mutari, ut ea non possit aliud in priore, aliud in posteriore membro significare; loco, quem commemoraui, εἰ posterioris partis item atque prioris partis condicionale est; membro priore enim orator non affirmare, sed sumere tantum potest. Prior, non posterior protasis per attractionem cum altera aequata est Lys. XVIII 15. — Futurum III.[2]) exstat in protasi posteriore Lys. XXXI 24. — Ubi protases per εἰ c. opt. formantur, semper attractio modorum statuenda est: Lys. XVIII 8: 'καίτοι τίνες ἂν ἡμῶν εἴησαν δυστυχέστεροι, εἰ ἐν μὲν τῇ ὀλιγαρχίᾳ ἀποθνήσκοιμεν εὖνοι ὄντες τῷ πλήθει, ἐν δὲ τῇ δημοκρατίᾳ ὡς κακόνοι ὄντες τῷ πλήθει ἀποστεροίμεθα τῶν ὄντων;' Pro 'ἀποθνήσκοιμεν' Hertleinius[3]) legi uoluit 'ἀπεθνήσκομεν' et edidit ita Cobetus. Recte defendit lectionem traditam Gebauerus[4]) ita uertens: „Welche Familie wäre unglücklicher als die unsrige, wenn die Glieder derselben unter der Oligarchie für ihre Anhänglichkeit an das Volk getötet und unter der Demokratie, als wären sie Feinde des Volkes, ihres Vermögens beraubt werden sollten?" = „Welche Familie wäre — unsrige, wenn die Glieder derselben, die doch unter der Oligarchie — getötet werden, unter der Demokratie — beraubt werden sollten?" In hac periodo εἰ prioris membri uices uoculae ἐπεὶ tenet, cum in posteriore εἰ uere hypotheticum sit; sustulit autem orator zeugma, per quod εἰ duplici munere fungitur, in priore membro non indicatiuum, sed item atque in

1) l. c. p. 201. 2) de cuius ui agit Krueger. §. 53, 9, 3. 3) 'Conjekturen zu griech. Prosaikern.' 2 p. 15 sp. 4) l. c. p. 204.

sequente optatiuum adhibens, quo fit, ut εἰ in utraque protasi propriam uim retineat, etsi in posteriore tantum sumitur res in animo loquentis posita. Auctoritas codicum seruanda mihi uidetur cum Gebauero etiam locis similibus XXI 22. XXIV 8. 23. XXIX 9. 11.

2) εἰ in utraque parte officio uoculae ὅτι fungitur: Lys. X 13: 'οὐκ οὖν δεινόν, εἰ ὅταν μὲν δέῃ σε κακῶς ἀκούσαντα τοὺς ἐχθροὺς τιμωρεῖσθαι, οὕτω τοὺς νόμους ὥσπερ ἐγὼ νῦν λαμβάνειν, ὅταν δ' ἕτερον παρὰ τοὺς νόμους εἴπῃς κακῶς, οὐκ ἀξιοῖς δοῦναι δίκην;' [1]) Gebauero eum locum in iis numeranti, ubi εἰ in priore membro idem quod ἐπεί, in posteriore idem quod ὅτι ualet, assentirer, si Lysias scripsisset: 'οὐκ οὖν δεινὸν εἰ ὅτε μὲν ἔδει... τιμωρεῖσθαι, οὕτω — ἔλαβες, ἐπειδὴ δὲ — εἶπας κακῶς, οὐκ ἀξιοῖς δοῦναι δίκην;' sed loquitur generaliter, quasi soleat Theomnestus facere, quod semel fecit; id profitetur ipse Gebauerus (l. c. p. 173). Pro indicatiuo praesentis alterius protasis modus potentialis occurrit Lys. VII 35: 'ἐμοὶ δὲ δοκεῖ δεινὸν εἶναι, εἰ περὶ αὐτῶν μὲν οἱ βασανιζόμενοι κατηγοροῦσιν, εὖ εἰδότες ὅτι ἀποθανοῦνται, περὶ δὲ τῶν δεσποτῶν, οἷς πεφύκασι κακονούστατοι, μᾶλλον ἂν ἕλοιντο ἀνέχεσθαι βασανιζόμενοι ἢ κατειπόντες ἀπηλλάχθαι τῶν παρόντων κακῶν.' Optatiuus cum ἂν iunctus non magis quam negatio οὐ in protasi (cf. exemplum antecedens) offendere potest considerantem, particulam εἰ hic propriam uim condicionalem amisisse.

II. Duae protases tempore ac modo inter se differunt.

1) εἰ in priore membro munus particulae ἐπεὶ obtinet, in posteriore suam propriam potestatem retinet:

Altera protasis in praeteriti, altera in futuri indicatiuo collocata esse solet: Lys. XXXI 29: 'τίς δ' οὐκ ἂν εἰκότως ἐπιτιμήσειεν ὑμῖν, εἰ τοὺς μετοίκους μέν, ὅτι οὐ κατὰ τὸ προσ-

1) Infinitiuo λαμβάνειν, quem secundum codices Turicenses, Scheibius, Westermannus legi uoluerunt, Gebauer. (l. c. p. 342) uehementer repugnare docet morem ab oratoribus obseruatum, ex quo Lysiae, si etiam λαμβάνειν a verbo ἀξιοῦν pendere uoluerit, hoc repetito scribendum fuisse 'λαμβάνειν ἀξιοῖς' — 'οὐκ ἀξιοῖς δοῦναι δίκην' cf. Frohberger. (ed. II p. 159). Duarum loci emendandi rationum probabiliorem existimo Taylori 'λαμβάνεις' mutantis quam Gebaueri εἰ delentis; nam εἰ, quamquam ante ὅταν librario cuidam graue uideri poterat, tamen in omnibus libris exstat; λαμβάνειν librarios moris illius inscios offendere non poterat. Accedit, quod Geb. nullum alium locum Lysiae adfert, ubi eodem modo per anacoluthiam ad enuntiatum primarium transitur.

ῆκον ἑαυτοῖς ἐβοήθησαν τῷ δήμῳ, ἐτιμήσατε ἀξίως τῆς πόλεως, τοῦτον δέ, ὅτι παρὰ τὸ προσῆκον ἑαυτῷ προὔδωκε τὴν πόλιν, μὴ κολάσετε...;' 'Iam quis uos non iure increpet, si, cum inquilinos, qui praeter debitum populo subuenerunt, honoraueritis ut rempublicam decebat, istum, quod praeter officium ciuitatem prodiderit, non mulctetis...?' Item priore membro continetur factum, in posteriore atque principali sumitur tantum res (XIV) 17. 31. (XX) 36. Eodem spectat (XX) 19: 'ἦ δεινά γ' ἂν πάθοιμεν..., εἰ τοὺς μὲν οὐχ οἵους τε ὄντας ἐξάρνους εἶναι μὴ οὐ χρήματα ἔχειν ὑμῶν, τούτους μὲν ἀφεῖτε ἀνδρὶ ἐξαιτουμένῳ, ἡμῖν δὲ αὐτοῖς τε προθύμοις γεγενημένοις περὶ τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον, καὶ τοῦ πατρὸς οὐδὲν ὑμᾶς ἠδικηκότος, οὐ χαριεῖσθε.' Posterioris membri actio utrum euentura sit necne, orator adhuc nescit[1]), id quod docet nexus sententiarum; tum uero μὴ exspectatur (cf. XXXI 29). Difficultatem remoueri putaueris, si protasin posteriorem per se stare et interrogatiue pronuntiandam esse statueris; equidem dubito, num duo membra uoculis μὲν et δὲ inter se respondentia discindere nobis liceat; melius Akenus[2]) οὐ interpretatur ostendens, θαυμάζω εἰ οὐκ αἰσθάνεται breuius dictum esse pro θαυμάζω εἰ [μὴ αἰσθάνεται, ὅτι] οὐκ αἰσθάνεται; ui non diuersas esse inter se formulas dicendi θ. εἰ μὴ α. et θ. εἰ οὐκ α., cum neutra per se quidquam affirmet; ut redeam ad locum Pseudolysiacum, 'ἦ δεινά γ' ἂν πάθοιμεν, ... εἰ... οὐ χαριεῖσθε' idem est atque '...εἰ... [μὴ χαριεῖσθε, ὅτι] οὐ χαριεῖσθε.'

Indicatiuo praeteriti alterius protasis ἂν additum est And. I 102: 'οὐκ οὖν δεινόν, εἰ ὑπὸ μὲν τούτων διὰ τοῦτ' ἂν ἀπωλόμην[3]), ὅτι εἰς τὴν πόλιν οὐδὲν ἥμαρτον, ὥσπερ καὶ ἑτέρους ἀπέκτειναν, ἐν ὑμῖν δὲ κρινόμενος, οὓς οὐδὲν κακὸν πεποίηκα, οὐ σωθήσομαι;' De negatione οὐ cf. id, quod de (Lys.) XX 19 dixi.

Altera protasis indicatiuum praesentis, aoristi altera exhibet (And.) IV 32: 'αἴσχιστον δὲ φανήσεσθε ποιοῦντες, εἰ τοῦτον μὲν ἀγαπᾶτε τὸν ἀπὸ τῶν ὑμετέρων χρημάτων ταῦτα κατεργασάμενον, Καλλίαν δὲ τὸν Διδυμίου, τῷ σώματι νικήσαντα πάντας (τοὺς) ἀγῶνας τοὺς στεφανηφόρους, ἐξωστρακίσατε, πρὸς τοῦτο οὐδὲν ἀποβλέψαντες, ὃς ἀπὸ τῶν ἑαυτοῦ πόνων ἐτίμησε τὴν πόλιν.' A prioribus locus is eo se distin-

1) Quare dissentio a Gebauero posteriori parti uim condicionalem adimente (l. c. p. 168). 2) l. c. p. 87. 3) sc. εἰ ἐλήφθην.

guit, quod sententia secundaria alterique subiecta ordinem posteriorem tenet. Item res se habet Ant. I 12.

In altera protasi indicatiuus temporis historici, in altera optatiuus occurrit Lys. XXVIII 3: 'καὶ γὰρ δὴ δεινὸν ἂν εἴη, εἰ νῦν μὲν οὕτως αὐτοὶ πιεζόμενοι ταῖς εἰσφοραῖς συγγνώμην τοῖς κλέπτουσι καὶ τοῖς δωροδοκοῦσιν ἔχοιτε, ἐν δὲ τῷ τέως χρόνῳ ... θανάτῳ ἐκολάζετε τοὺς τῶν ὑμετέρων ἐπιθυμοῦντας.' Antecedente membro principali hoc exemplum accedit ad (And.) IV 32 et Ant. I 12. Posterius membrum principatum tenet Lys. XXXI 31: 'σχέτλιον δ' ἂν εἴη, εἰ οὗτος μὲν ἅπαντας τοὺς πολίτας περὶ οὐδενὸς ἡγήσατο, ὑμεῖς δὲ τοῦτον ἕνα ὄντα μὴ ἀποδοκιμάσαιτε.'

2) εἰ in priore membro particulae ἐπεί, in posteriore uoculae ὅτι officio fungitur:

Ant. V 16: 'καίτοι πῶς ἂν εἴη τούτων δεινότερα μηχανήματα, εἰ ὑμῖν μὲν ἅπαξ τουτουσὶ πείσασι κατείργασται ἃ βούλεσθε, ἐμοὶ δ' ἅπαξ ἀποφυγόντι ὁ αὐτὸς κίνδυνος ὑπολείπεται;' Utraque protasi continetur res, quam a ueritate non abhorrere orator persuasum habet cf. uerba antecedentia. — Ordo membrorum inuersus est eo, quod prius in futuro, posterius in aoristo collocatum est[1]), Lys. XXIX 4: 'καίτοι δεινὸν εἰ οἱ μὲν τὰς οὐσίας ἔχοντες ὀλοφυροῦνται τριηραρχοῦντες, οὗτος δὲ οὐδὲν πρότερον κεκτημένος ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ ἐθελοντὴς ὑπέστη ταύτην τὴν λειτουργίαν.' 'Attamen horribile dictu est, si, cum possidentes quidem (eas) opes, (quas habere debet, qui sumptibus τριηραρχίας subsistere uult), aegre munus trierarchi suscipere soleant[2]), iste, antea pauperrimus, illo tempore libens hoc officium subiit.' Hic pars prior minoris momenti est[3]); idem statuendum est XXX 32: 'δεινὸν δέ μοι δοκεῖ εἶναι, ... εἰ τούτου μὲν ἑνὸς ὄντος καὶ οὐδὲν ὑπὸ τῆς πόλεως ἠδικημένου οὐκ ἐπεχείρησαν δεῖσθαι ὡς χρὴ παύσασθαι εἰς ὑμᾶς ἐξαμαρτάνοντα, ὑμᾶς δὲ τοσούτους ὄντας καὶ ἠδικημένους ὑπὸ τούτου ζητήσουσιν [πείθειν] ὡς οὐ χρὴ δίκην παρ' αὐτοῦ λαμβάνειν.' Respicientem uerba §i 31: 'περὶ δὲ τῶν ἐξαιτησομένων βραχέα πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν βούλομαι. παρεσκευασμένοι τινές εἰσι καὶ τῶν φίλων καὶ τῶν τὰ τῆς πόλεως πραττόντων δεῖσθαι ὑπὲρ αὐτοῦ·' fugere non potest, εἰ posteriorem protasin regenti non uim condicionalem adhaerere, id quod arbitratur Gebauerus[4]).

1) Contrarium fiebat Lys. XXXI 29 etc. (u. p. 302 sq.). 2) De hac futuri notione cf. Kuehner. gr. II p. 146. 3) Quare differt hoc exemplum ab (And.) IV 32 etc. (u. supra). 4) l. c. p. 157.

— And. I 102 (u. p. 303) similis est Ant. VI 29: 'καίτοι δεινὸν εἰ οἱ αὐτοὶ μάρτυρες τούτοις μὲν ἂν μαρτυροῦντες (= εἰ ἐμαρτύρουν) πιστοὶ ἦσαν, ἐμοὶ δὲ μαρτυροῦντες ἄπιστοι ἔσονται.' εἰ idem atque ὅτι in posteriore parte ualere apparet ex antecedentibus; futurum uertendum est: 'wenn ... sein sollen (nach dem Willen der Gegner)' cf. Lys. III 37 (u. p. 297).

Separatim tractabo duos locos Lysiacos, in quibus anacoluthia animaduertitur: XII 36: 'οὐκ οὖν δεινὸν εἰ τοὺς μὲν στρατηγοὺς ... θανάτῳ ἐζημιώσατε, ... τούτους δέ ... οὐκ ἄρα χρὴ αὐτοὺς καὶ τοὺς παῖδας ὑφ' ὑμῶν ταῖς ἐσχάταις ζημίαις κολάζεσθαι;' exspectatur periodus ita formata: 'οὐκ οὖν δεινὸν εἰ ... ἐζημιώσατε, ... τούτους δὲ αὐτοὺς καὶ τοὺς παῖδας μὴ ταῖς ἐσχάταις ζημίαις κολάσετε;' XII 88: 'οὐκ οὖν δεινὸν εἰ τῶν μὲν ἀδίκως τεθνεώτων οἱ φίλοι συναπώλλυντο, αὐτοῖς δὲ τοῖς τὴν πόλιν ἀπολέσασιν ἐπ' ἐκφορὰν πολλοὶ ἥξουσιν, ὁπότε βοηθεῖν τοσοῦτοι παρασκευάζονται;' ex datiuis 'αὐτοῖς δὲ τοῖς τὴν πόλιν ἀπολέσασιν' intellegi licet, oratorem primo uoluisse priori membro opponere hoc: 'α. δὲ τ. τ. π. ἀ. βοηθεῖν τοσοῦτοι παρασκευάζονται; loquenti autem noua sententia occurrit, quam inter eam, quam prolaturus erat, intercalauit.

Frequentissime hac, de qua egi, ratione argumentandi utitur Lysias, nempe 18 ×; in orationibus spuriis sex exempla exstant; longe recedit Antiphon, qui 3 ×, longius Andocides, qui 1 × hoc modo argumentetur. Neque uero solum ob id Lysias excultiorem atque exercitatiorem oratorem se praestat, quia multo saepius quam superiores oratores hoc enthymemate omnium ualentissimo atque efficacissimo usus est, sed etiam in ipso adhibendo illos superat: haud paruo enim numero locorum uidimus Lysiam studere alteri parti enthymematis per modorum aut temporum attractionem cum altera parte aequandae atque ita concinnitati et unitati inter sententias contrarias restituendae; talem uero dicendi elegantiam iam adfuisse Andocidi et Antiphonti confirmatur nullo exemplo orationum, quae quidem utriusque oratoris ad nos uenerint.

§. 17. De enuntiatis condicionalibus imperfectis.

1) Apodosis omissa est:

Ant. VI 23: '... καὶ ἰέναι ἐκέλευον λαβόντα μάρτυρας ὁπόσους βούλοιτο ἐπὶ τοὺς παραγενομένους, ... τούτους ἐρωτᾶν καὶ ἐλέγχειν, τοὺς μὲν ἐλευθέρους ὡς χρὴ τοὺς ἐλευθέρους ..., τοὺς δὲ δούλους, εἰ μὲν αὐτῷ ἐρωτῶντι τἀληθῆ δοκοῖεν λέγειν,

εἰ δὲ μή, ἕτοιμος ἢ ἐκδιδόναι βασανίζειν τούς τε ἐμαυτοῦ πάντας ...' De apodosi omissa audiamus Kuehnerum sic docentem[1]): 'dann wird, besonders oft bei den Attikern, wenn 2 Bedingungssätze durch *εἰ* (*ἐάν*) *μέν* ... *εἰ* (*ἐάν*) *δὲ μή* entgegengesetzt werden, bei dem ersteren die Apodosis weggelassen, indem dieselbe einen leicht zu ergänzenden Gedanken enthält, und die Rede zum folgenden wichtigeren Gedanken eilt.' Deficientem apodosin cum Reiskio sic constituo: '*τότε αὐτοὺς ἐᾶν, καὶ μὴ βασανίζειν* sc. *ἐκέλευον.*' Apodosis non desideratur in huiusmodi locis, uelut Lys. XIX 10: '*μὴ οὖν προκαταγινώσκετε ἀδικίαν τοῦ εἰς αὐτὸν μὲν μικρὰ δαπανῶντος, ὑμῖν δὲ πολλὰ καθ' ἕκαστον τὸν ἐνιαυτόν, ἀλλ' ὅσοι καὶ τὰ πατρῷα καὶ ἄν τί ποθεν* (pro *ὅ,τι ἄν ποθεν*) *λάβωσιν, εἰς τὰς αἰσχίστας ἡδονὰς εἰθισμένοι εἰσὶν ἀναλίσκειν.*' (XX) 5. And. I 76: '*ταῦτ' οὖν ἐψηφίσασθε ἐξαλεῖψαι πάντα τὰ ψηφίσματα, καὶ αὐτὰ καὶ εἴ πού τι* (= *ὅ,τι που*) *ἀντίγραφον ἦν, καὶ πίστιν ἀλλήλοις περὶ ὁμονοίας δοῦναι ἐν ἀκροπόλει.*' II 1.

2) Saepius protasis non integra est:

Initium capiam ab exemplis uocum *εἰ μὴ* post negatiuam apodosin sine uerbo finito positarum.[2]) Assentior Langio docenti[3]), ellipsin uerbi statui non opus esse; *μὴ* non negare tantum, sed defendere, ne qua persona uel res alii subiciatur; condicionali particula praeposita significari, antecedere exclusionem apodosis actionem; in apodosi apud Lysiam et Andocidem semper additur uox *ἄλλος*, qua adiuncta sententia apodosis restringitur in eo ipso, quod protasis indicat; est illa uox 'gewissermafsen der dem durch *εἰ μὴ* bezeichneten antecessiven Ausschlusse korrelate Begriff, der Begriff, in dem der Ausschlufs selbst im Hauptsatze reflektiert wird'.[4]) Lys. XXI 7: '*καίτοι ὑμᾶς οἶμαι εἰδέναι ὅτι στρατηγὸς ὤν, ᾧ ἐξῆν ποιεῖν ὅ,τι ἐβούλετο, οὐκ ἄν ποτε ἀνέβη ἐπ' ἄλλην ναῦν εἰ μὴ τὴν ἄριστα πλέουσαν, μέλλων αὐτὸς κινδυνεύσειν.*' Sine protasi orator ita locutus esset: '... *οὐκ ἄν ποτε ἀνέβη ἐπὶ ναῦν* (*τινα*).' Accedunt

1) l. c. p. 986. 2) locus huius generis incolumis exstat Lys. XIII 75: '*οὐδέποτε γὰρ πείσεις οὐδένα ἀνθρώπων ὡς Φρύνιχον ἀποκτείνας ἀφείλθης ἂν ὑπὸ τῶν τριάκοντα, εἰ μὴ μεγάλα τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων καὶ ἀνήκεστα κακὰ εἰργάσω.*' Apodosis ('*ἀφείλθης ἂν ὑπὸ τῶν τριάκοντα*) stare non potest, nisi excipias id, quod protasi adiuncta continetur; ('es sei denn, du hättest ... grofses und unerträgliches Unrecht zugefügt') cf. Ant. V 27. Lys. Erot. 233 C (*ἐὰν μή*). Semper *εἰ* (*ἐὰν*) *μὴ* eodem sensu praeditum est atque *πλὴν εἰ*, quod legimus Lys. XII 64. 3) l. c. p. 467 (161) sqq. et p. 555 (249) sqq. 4) Langius l. c. p. 557 (251).

Lys. III 33. And. I 126. — Semel reperitur *ἐὰν μὴ* sine uerbo finito: And. I 89: '*ὁπότ' οὖν ἔδοξεν ὑμῖν ... μηδ' ἐπ' ἀνδρὶ νόμον (ἐξεῖναι) τιθέναι ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν Ἀθηναίοις ...*' —

Non integra est protasis hypothetica etiam in talibus dicendi formulis, quales occurrunt Lys. XXX 18: '*... ἄξιον ἡμῖν τὰς αὐτὰς ἐκείνοις θυσίας ποιεῖσθαι καὶ εἰ μηδὲν δι' ἄλλο, τῆς τύχης ἕνεκα τῆς ἐξ ἐκείνων τῶν ἱερῶν γεγενημένης.*' XXXI 29: '*τίς δ' οὐκ ἂν εἰκότως ἐπιτιμήσειεν ὑμῖν, εἰ ... τοῦτον δὲ ... μὴ κολάσετε, εἰ μή γε ἄλλῳ τινὶ μείζονι, τῇ γε παρούσῃ ἀτιμίᾳ;*' Hac breuitate dicendi carent et Andocides et Antiphon, item ea, quae uidetur Lys. XII 60: '*... οὐ διαλλάξαι ἀλλ' ἀπολέσαι παρεσκευάζοντο τὴν πόλιν, εἰ μὴ δι' ἄνδρας ἀγαθούς, οἷς ὑμεῖς δηλώσατε ... ὅτι καὶ ἐκείνοις χάριν ἀποδώσετε.*' Accuratius oratori sic erat dicendum: '*... ἀπολέσαι παρεσκευάζοντο τὴν πόλιν καὶ ἀπώλεσαν ἂν αὐτήν, εἰ μὴ δι' ἄνδρας ἀγαθοὺς ἦν ...*' ('wenn es nicht an wackern Männern gelegen hätte').[1])

Saepe fit, ut alicui sententiae adnectatur contraria per *εἰ δὲ μή*, uerbo finito non repetito. Propter suam ipsius naturam *εἰ δὲ μὴ* sequi debet positiuam enuntiationem, uelut Lys. I 36: '*οἷς ὑμᾶς ἀξιῶ τὴν αὐτὴν γνώμην ἔχειν· εἰ δὲ μή, τοιαύτην ἄδειαν τοῖς μοιχοῖς ποιήσετε, ὥς καὶ τοὺς κλέπτας ἐπαρεῖτε φάσκειν μοιχοὺς εἶναι ...*' X 21. XIII 30. XXII 21. XXVI 12. XXXIV 6. And. I 11. 63. 73. 120. 136. Ant. V 68. VI 23. Interdum *εἰ δὲ μὴ* opponitur sententiae per *ἐὰν* formatae, ubi *ἐὰν δὲ μὴ* positum esse exspectes; causam aperit Schanzius[2]): 'Beim vollständigen satz denkt man an die realisierung der handlung; hier, wo das verbum fehlt, denkt man blofs an den gegensatz ohne andere nebenbeziehungen; *εἰ δὲ μὴ* ist zur formel geworden, den gegensatz zu bezeichnen, mag das erste glied gestaltet sein wie es will.' Lys. XXII 22: '*ἂν οὖν τούτων καταψηφίσησθε, ... ἀξιώτερον τὸν σῖτον ὠνήσεσθε· εἰ δὲ μή, τιμιώτερον.*' XXII 6. XXVIII 16. XXXII 2. — Voculae *δὲ* non respondet antecedens *μὲν* Lys. I 47: '*... ἧττον εἰς τοὺς ἄλλους ἐξαμαρτήσονται, ἐὰν καὶ ὑμᾶς ὁρῶσι τὴν αὐτὴν γνώμην ἔχοντας. εἰ δὲ μή, πολὺ κάλλιον τοὺς μὲν κειμένους νόμους ἐξαλεῖψαι, ἑτέρους δὲ θεῖναι ...*' Quin etiam post sententiam negatiuam compluribus locis usurpatur *εἰ δὲ μὴ* loco *εἰ δέ*: Lys. XII 50: '*ὅπως τοίνυν μὴ φανήσεται ἐν τῷ*

1) Cf. Frohberger. ed. I p. 65. 2) 'Bifurkation der hypothetischen Periode nach Platon.' J. f. kl. Ph. 1870 p. 233.

λόγῳ τοῖς τριάκοντα ἐναντιούμενος· εἰ δὲ μή, ἐνταυθοῖ δῆλος ἔσται ὅτι ἐκεῖνά τε αὐτῷ ἤρεσκε, καὶ τοσοῦτον ἐδύνατο ὥστε ἐναντιούμενος μηδὲν κακὸν παθεῖν ὑπ' αὐτῶν.'[1]) I 21. (VI) 18, loci eo quoque similes, quod uetatur aliquid in enuntiato contrario. —

De usu rationis dicendi *εἰ δὲ μή* differentia inter tres oratores statuenda est: Antiphon utitur illa 2 × tantum, Andocides iam 4 ×, Lysias uero 13 ×; et non modo frequentia exemplorum, sed etiam ratione ipsa huius usus Lysias longius procedit quam Andocides et Antiphon; hi quidem *εἰ δὲ μή* semper positiuae sententiae adiungunt, siue ea est periodus hypothetica siue enuntiatum primarium; *εἰ δὲ μή* semper protasis imperfecta cogitari potest; formula uero *εἰ δὲ μή* demum apud Lysiam occurrit, cuius orationes 5 × *εἰ δὲ μή* loco *ἐὰν δὲ μή*, 2 × post negatiuam sententiam adhibitum praebeant; 6 × *εἰ δὲ μή* item atque apud superiores oratores usurpatum cernitur.

Superest unum exemplum enuntiati comparatiui, Ant. V 13: '*λέγεις δὲ ὡς οὐκ ἂν παρέμεινα εἰ ἐλελύμην, ἀλλ' ᾠχόμην ἂν ἀπιών, ὡσπερεὶ ἄκοντά με ἀναγκάσας εἰσελθεῖν εἰς τὴν γῆν ταύτην.*' Vim uoci *ὡσπερεὶ* insitam uernacule ita reddere possumus: '(du behauptest aber, ich würde, der Fesseln ledig, nicht geblieben sein, sondern mich auf und davon gemacht haben), dem gesetzten Falle vergleichbar, du hättest mich wider meinen Willen dieses Land zu betreten genötigt.'[2]) — Formula usitatiore *ὥσπερ ἂν εἰ* nullus oratorum, quos tracto, utitur.

1) Frohbergerus (ed I p. 58) post *εἰ δὲ μή* supplendum censet uerbum enuntiati antecedentis una cum negatione, unde *εἰ δὲ* efficiatur; Schanzius (l. c. p. 234) hanc interpretationem nimis artificiosam esse ducit; potius *εἰ δὲ μή* quasi obtorpuisse et ad uim aduerbii aduersatiui nostro 'andernfalls, widrigenfalls, sonst' simillimi transisse; probatur mihi hoc ideo, quod etiam in *εἰ δὲ μή* pro *ἐὰν δὲ μή* adhibito sententiam praegredientem non respici uidimus. 2) Accuratius de *ὡς, ὥσπερ εἰ* (*ὡσπερεὶ*) cum participio agit Langius l. c. p. 546 (240) sqq.

Argumentum.

Index locorum tractatorum.

DE

PRISCORUM SCRIPTORUM LOCIS

A SERVIO ALLATIS

SCRIPSIT

GUSTAVUS LAEMMERHIRT

Rectissime huius aetatis uiri docti ad ueterum libros emendandos non solum codicibus manu scriptis uti solent, sed etiam diligentissime quaerere quomodo singuli loci ab aliis scriptoribus excitentur uel commemorentur. Qua in re inprimis grammaticos adhibuerunt, quippe qui ingentem locorum copiam congestam exhibeant, eoque intentius his fontibus operam dederunt, quod hoc ipso tempore emendatiores editiones ad usum sunt paratae quam prioribus saeculis. Sic igitur Leidolphus (de Festi et Pauli locis Plautinis comm. Ien. vol II p. 197—252) Festo Pauli quaenam recensio ad manum fuisset Plautina optime nuper quaesiuit, Nonio dein quaenam Plautina enuclearunt Hennig (de Nonii Marcelli locis Plautinis Regim. 1884), H. Caesar (de Plauti memoria apud Nonium seruata Argent. 1886), C. Reblin (de Nonii Marcelli locis Plautinis part. I Gryphisw. 1886), eidem denique quaenam Terentiana E. Bartels (de Terentii memoria apud Nonium seruata Argent. 1884). Similem de Seruio genuino[1]) quaestionem instituere ipse mihi proposueram; exponere enim in animo erat quasnam potissimum ueterum scriptorum recensiones secutus esset in adnotandis exemplis. Sed quo magis in locis excutiendis et digerendis progressus sum, eo magis perspexi rationem non eandem hic ualere atque illic. Ita paulatim eo deductus sum, ut non tam quaererem quid ex Seruio peti posset ad illos locos emendandos, quam unde priorum scriptorum quos multos exhibet locos hausisset commentator et qua fide transcripsisset. Nam sic demum eius lectiones quamnam afferant utilitatem ad ueterum crisin recte iudicari poterit. — Atque proficiscendum uidebatur ab enumerandis tractandisque quam breuissime iis locis ubi Seruius ipse fontes suos nominatim aduocat: sic enim uia munitior sine dubio nobis patebit, qua progressi perueniamus ad finem etsi non certum, at tamen proba-

1) 'Seruii grammatici qui feruntur in Vergilii carmina commentarii' rec. Thilo et Hagen Lipsiae uol. I 1881, uol. II 1884, uol. III fasc. I 1887.

bilem. Tantis enim tales quaestiones impeditae esse solent difficultatibus, ut saepissime nisi coniectura omnino nihil relictum sit, cui nos duci credamus: quo cum incommodo mihi quoque saepe conflictandum fuit. Hoc tamen semel monuisse sufficiet, ne semper idem atque idem monere cogar. Saepius tamen factum est, ut omnes uiae eodem ducerent et coniecturae maior auctoritas adderetur.

Viri docti qui in Seruium dedita opera inquisiuerunt sunt hi: E. Teuber, de Mauri Seruii Honorati grammatici uita et commentariis part I Vratisl. 1843. — G. Thilo, quaestiones Seruianae Halis Sax. 1867. — J. Kirchner, de Seruii auctoribus grammaticis quos ipse laudauit ann. phil. suppl. VIII p. 467. — E. Thomas, Essai sur Seruius Paris. 1880. — G. Thilo, praefatio ed. Seru. (uol. I p. III). — Nettleship, Thilos Seruius, Journ. of. Phil. X = Lectures and essays Oxford 1885, p. 322. — R. Halfpap nom. Klotz quaestiones Seruianae Gryphisw. 1882. — J. Kirchner, Seruius und Priscian Brieg 1883. — P. Rosenstock, de Donato Terentii et Seruio Vergilii explicatore syntaxeos latinae interpretibus. Margrabouae 1886. — Quid uirorum illorum scriptis debeam, suis locis accurate adnotabitur.

§. 1. Locorum a Seruio de ueterum scriptis exhibitorum index hic est:

A. Loci Plautini (42). 1) Aen. X 424 = Amphitruo I 1, 138 = W.[1]) fr. LXV p. 77. — 2) Aen. VIII 564 = Amph. I 1, 305. — 3) Aen. IV 229 = Amph. II 2, 86. — 4) Georg. II 288 = Amph. fr. VI p. 116 Goetz. — 5) Aen. IX 645 = Asinaria I 1, 73. — 6) Buc. III 16 = Aulularia II 4, 46. — 7) Georg. I 344 = Aulul. II 6, 5. — 8) Aen. III 484 = Aulul. III 5, 34. — 9[a]) Aen. VI 90 (cf. Lucilianum C 71) et 9[b]) Aen. X 198 = Aulul. III 6, 19. — 10) Aen. VI 383 = Bacchides I 9, p. 5. — 11) Aen. VI 62 = Bacch. IV 6, 22. — 12) Aen. II 13 = Bacch. IV 9, 29. — 13) Aen. VII 88 = Curculio II 2, 16.[2]) — 14) Aen. III 686 = Menaechmi I 2, 1. — 15) Aen. XII 7 = Miles I 1, 75. — 16) Georg. II 115 = Mil. II 5, 2. — 17) Georg. IV 296 = Miles II 6, 24. — 18) Aen. VI 222, XI 64 = Mil. III 1, 34. — 19) Aen. XII 87 = Miles III 1, 69. — 20) Aen. IV 149 = Mil. IV 3, 13. — 21) Buc. I 58 = Mostel-

1) W. = Winter, Plauti fabularum deperditarum fragmenta, Bonnae, 1885. 2) Plauti nomen, a Seruio omissum, Itali — Thilonis D — addiderunt.

laria I 1, 45. — 22) Georg. III 497 = Most. I 3, 61 = W. fr. IV p. 63. — 23) Aen. IX 263, V 112 = Most. III 1, 114. — 24) Aen. V 19 = Most. III 2, 80. — 25) Aen. IX 4 = Most. V 1, 54. — 26) Aen. XI 65 = Persa II 5, 4.[1]) — 27) Aen. VII 715 = Poenulus II 1, 32 = W. fr. LXIII p. 77. — 28) Aen. VIII 724 = Poen. V 2, 15. — 29) Aen. I 478 = Pseudolus I 2, 31. — 30) Aen. I 703 (cf. Lucilianum C 72) = Pseud. I 2, 45. — 31) Aen. II 51 = Pseud. III 2, 34. — 32) Aen. I 140 = Pseud. IV 7, 76. — 33) Aen. I 724 = Fragmenta ap. Winterum l. l. XXXIX p. 71. — 34) Aen. I 478 = W. fr. LVII p. 75. — 35) Aen. I 480 = W. fr. LVIII p. 76. — 36) Aen. III 539, XII 519 = W. fr. LIX p. 76. — 37) Aen. VI 205 = W. fr. LX p. 76. — 38) Aen. VI 775 = W. fr. LXI p. 76. — 39) Aen. VI 229 = W. fr. LXII p. 77. — 40) Aen. VIII 310 = W. fr. LXIV p. 77. — 41) Aen. III 42 = W. fr. LXVI p. 77. — 42) Aen. IV 82.

B. Loci Terentiani (113). 1) Aen. II 357 = Andria prol. 27. — 2) Aen. I 181 (cf. Lucilianum C 79) = Andr. I 1, 28. — 3) Aen. X 861 = Andr. I 1 34. — 4) Aen. VIII 412 = Andr. I 1, 47. — 5) Aen. XII 296 = Andr. I 1, 55. — 6) Aen. II 1 = Andr. I 1, 58. — 7) Aen. VII 268 = Andr. I 1, 72. — 8) Aen. IV 335 (cf. Terentianum B 108) = Andr. I 1, 112. — 9) Aen. I 135 = Andr. I 1, 137. — 10) Georg. IV 212 = Andr. I 1, 142. — 11) Aen. XI 704 = Andr. I 2, 12. — 12) Aen. I 140 = Andr. I 2, 28. — 13) Aen. VIII 84 = Andr. I 5, 47. — 14) Aen. IV 318 = Andr. I 5, 59. — 15) Aen. VI 664 = Andr. II 1, 30. — 16) Aen. I 720 = Andr. II 2, 2. — 17) Georg. I 96 = Andr. II 3, 29. — 18) Aen. V 613, XI 545 (cf. Terentianum B 85) = Andr. II 4, 3. — 19) Aen. II 12; Georg. IV 127 = Andr. II 5, 18. — 20) Aen. XI 361 = Andr. II 6, 27. — 21[a]) Aen. I 8; Buc. IV 10 et 21[b]) Aen. I 601, XI 532 = Andr. III 1, 15. — 22) Aen. II 3, XII 584 = Andr. III 3, 1. — 23) Aen. XI 537 = Andr. III 3, 6. — 24) Buc. II 14 = Andr. III 3, 23. — 25) Aen. II 60 = Andr. III 3, 44. — 26) Aen. IX 230, XII 352 = Andr. III 5, 4. — 27) Aen. I 519 = Andr. III 5, 15. — 28) Aen. III 493, V 80, XI 97 = Andr. IV 2, 13. — 29) Aen. IX 693 = Andr. IV 2, 25. — 30) Aen. XII 120 = Andr. IV 3, 11. — 31) Aen. X 612; Georg. III 37 = Andr. V 2, 16. —

1) Plauti nomen item ab Italis additum: neque enim dubium est, quin Seruius hoc loco Plautum respexerit, cf. Charisium Gr. lat. I 72, 2 K.

32) Aen. VI 544 = Andr. V 2, 27. — 33) Aen. XII 618 = Andr. V 4, 30. — 34) Aen. VI 890 = Andr. V 6, 17. — 35) Aen. V 122 = Eunuchus prol. 32. — 36) Aen. IV 534, IX 778 = Eun. I 1, 1. — 37) Aen. II 155, X 848; Buc. III 106 = Eun. I 1, 3. — 38) Aen. II 196 = Eun. I 1, 22. — 39) Aen. I 460 = Eun. I 2, 25. — 40) Aen. I 567, IV 96, VII 427, 629; Georg. I 287 = Eun. I 2, 124. — 41) Aen. III 594 = Eun. II 2, 5. — 42) Aen. VIII 307 = Eun. II 2, 5. — 43) Aen. I 436 = Eun. II 2, 37. — 44) Aen. I 669 = Eun. II 2, 57. — 45) Buc. III 1 = Eun. II 3, 30. — 46) Aen. VI 218 = Eun. II 3, 57. — 47) Aen. VI 497 = Eun. II 3, 65. — 48) Aen. I 35 = Eun. III 1, 10. — 49) Georg. I 57 = Eun. III 1, 23. — 50) Aen. I 261 = Eun. III 1, 55. — 51) Aen. IV 1 = Eun. III 1, 58. — 52) Aen. I 647 = Eun. III 2, 18. — 53) Aen. X 133 = Eun. III 2, 21. — 54) Aen. XII 120 = Eun. III 5, 53. — 55) Aen. IV 166 = Eun. III 5, 56. — 56) Aen. VII 30 = Eun. IV 2, 1. — 57) Aen. IX 377 = Eun. IV 2, 7. — 58) Georg. II 94 = Eun. IV 5, 3. — 59) Aen. I 686 = Eun. IV 5, 6. — 60) Buc. VIII 43 = Eun. V 8, 23. — 61) Aen. III 353 = Eun. V 8, 52. — 62) Buc. III 53 = Heautontimorumenos I 1, 4. — 63) Aen. II 247 = Heaut. I 1, 11. — 64) Aen. I 548; Buc. II 34 = Heaut. I 1, 20. — 65) Georg. I 94 = Heaut. I 1, 36. — 66) Aen. V 655 = Heaut. I 2, 16. — 67) Aen. II 715 = Heaut. II 1, 16. — 68) Aen. IV 133 = Heaut. II 2, 11. — 69) Aen. III 670 = Heaut. II 3, 60. — 70) Aen. III 595 = Heaut. IV 1, 12. — 71) Buc. X 19 = Heaut. IV 5, 28. — 72) Aen. I 106 = Heaut. IV 6, 21. — 73) Georg. I 187 = Heaut. IV 6, 24. — 74) Aen. I 410 (cf. Terentianum B 90) = Heaut. V 2, 7. — 75) Georg. I 302 = Phormio I 1, 10. — 76) Aen. V 669 = Phorm. I 2, 21. — 77) Aen. VIII 127 (cf. Terentianum B 105) = Phorm. I 2, 90. — 78) Aen. XI 699 = Phorm. I 3, 23. — 79) Aen. VIII 653 = Phorm. II 1, 39. — 80) Aen. XII 257. = Phorm. II 1, 81. — 81) Aen. IX 482 = Phorm. III 3, 16. — 82) Aen. VIII 577 = Phorm. IV 1, 9. — 83) Aen. IV 295 = Phorm. IV 3, 30. — 84) Georg. IV 444 = Phorm. V 1, 5. — 85) Aen. XI 545 (cf. Terentianum B 18) = Phorm. V 8, 85. — 86) Aen. I 267 = Hecyra prol. I 1. — 87) Aen. X 106 = Hec. prol. II 12. — 88) Aen. I 644 = Hec. I 1, 1. — 89) Aen. I 502 = Hec. I 2, 32. — 90) Aen. I 410 (cf. Terentianum B 74) = Hec. II 1, 8. — 91) Aen. X 532 = Hec. II 1, 15. — 92) Aen. XII 816 = Hec. II 2, 26. — 93) Aen. I 92 = Hec. III 1, 40.

— 94) Aen. XI 687 = Hec. III 3, 23. — 95) Aen. I 377 = Hec. IV 3, 4. — 96) Aen. XI 801 = Adelphi I 2, 46. — 97) Aen. IV 381 = Adelph. I 2, 54. — 98[a]) Aen. II 463, VII 49, Georg. IV 319, 459 et 98[b]) Aen. IV 590 = Adelph. II 1, 42. — 99) Aen. II 375 = Adelph. II 2, 23. — 100) Aen. I 208 = Adelph. III 2, 31. — 101) Aen. IV 373 = Adelph. III 2, 32. — 102) Aen. VIII 632; Georg. I 369 = Adelph. III 3, 23. — 103) Aen. II 87 = Adelph. III 3, 31. — 104) Aen. V 343 = Adelph. III 3, 55. — 105) Aen. VIII 127 (cf. Terentianum B 77) = Adelph. III 4, 45. — 106) Aen. XI 152 = Adelph. IV 2, 21. — 107) Aen. IV 83 = Adelph. IV 5, 34. — 108) Aen. IV 335 (cf. Terentianum B 8) = Adelph. IV 5, 47. — 109) Aen. VII 556 = Adelph. IV 5, 64. — 110) Aen. XI 788 = Adelph. V 3, 63. — 111) Aen. III 278 = Adelph. V 4, 17. — 112) Aen. I 399 = Adelph. V 9, 9. — 113) Aen. III 639.

C. Loci poetarum scriptorumque, quorum frustula modo supersunt (93).[1]) a) Poetae. I. carmen quoddam uirginum Vestalium. 1) Aen. X 228. — II. Liuius Andronicus. 2) Aen. X 636. — III. Enni annales.[2]) 3) Aen. XI 660 = lib. I fr. II p. 3 M. — 4) Aen. VII 804 = fr. VII p. 4 M. — 5) Aen. XII 605 = fr. VIII p. 4 M. — 6) Aen. VIII 631 = fr. XLI p. 10 M. — 7) Aen. X 5 = fr. LIII p. 11 M. — 8) Aen. IV 576 = fr. LVIII p. 12 M. — 9) Aen. VI 763 = fr. LXXVIII p. 15 M. — 10) Aen. X 6 = lib. II fr. XI [sumptum ex Seru. Dan. ad l. l.] p. 18 M. — 11) Aen. VI 595 = fr. XX p. 19 M. — 12) Aen. II 313, 486 = fr. XXI p. 19 M. — 13) Aen. VI 219 = lib. III fr. IV p. 21 M. — 14) Aen. XII 552 = lib. IV fr. II p. 22 M. — 15) Aen. IV 404 = lib. VI fr. X p. 26 M. — 16) Aen. X 532 (cf. Lucilianum C 75) = fr. XIV v. 201 [sumptus ex Cic. de off. I 12, 38] et XV p. 26sqq. M. — 17) Georg. II 424 = fr. XXVI p. 28 M. — 18) Aen. VII 622 = lib. VII fr. XXI p. 32 M. — 19) Aen. VI 845 = lib. VIII fr. VIII p. 36 M. — 20) Aen. I 281 = fr. XXVII p. 39 M. — 21) Aen. IX 163 = lib. XVI, fr. XXIV p. 54 M. — 22) Aen. VI 685 = fr. XXVIII p. 54 M. — 23) Aen. VII 568 = lib. XVII fr. VIII p. 56 M. — 24) Aen. XII 709 = Inc. libr. rel. fr. II p. 57 M. — 25) Aen. XI 236 = fr. III p. 57 M. — 26) Aen.

1) Sciendum me nil tractaturum nisi eos locos, ubi ad uerbum fragmenta adferuntur aut eos, qui quadrant in uerba fragmentorum ab aliis nobis seruata. 2) L. Muelleri adhibui editionem.

XI 608 = fr. XII p. 58 M. — 27) Aen. X 396 = fr. XV p. 59 M. — 28) Aen. VI 686 = fr. XXIV p. 60 M.[1]) — 29) Aen. IX 675 = fr. XXVI p. 62 M. — 30) Aen. IX 501 = fr. XXXVIII p. 62 M. — 31) Aen. IX 37 = fr. XLVII p. 63 M. — 32) Aen. I 412 = fr. XLIX p. 63 M.[2]) — 33) Buc. X 10 = fr. LVI p. 64 M. — 34) Aen. VI 545 = fr. LVIII p. 64 M. — 35) Aen. VI 705 = fr. LXVI p. 65 M. — 36) Aen. VI 748 = fr. LXIX p. 65 M. [sumptum ex Isid. Orig. XVIII 36]. — 37) Aen. XII 499 = fr. LXXVII p. 66 M. — 38) Aen. XI 27 = fr. LXXXV p. 67 M. — 39) Aen. II 274 = fr. LXXXIX p. 68 M. — 40) Aen. VII 683 = fr. XCIV p. 68 M. — 41) Aen. XII 115 = fr. XCVI p. 69 M. — 42) Georg. III 76 = fr. XCVIII p. 69 M. — 43) Aen. I 51 = fr. CI p. 70 M. — IV. Ennii saturae. 44) Aen. XI 601 (cf. Lucilianum C 68) = lib. III fr. V p. 74 M. — V. Ennii fabulae. 45) Aen. VII 320 (cf. Pacuuianum C 58) = Alexandri fr. I v. 1 [sumptus ex Cic. de diuin. I 21, 42] p. 91 M. cf. et Hecubae fr. II p. 108 M. — 46) Aen. II 241 = Andr. aechm. fr. VIII v. 169 [sumptus ex Cic. Tusc. disp. III 19, 44 cf. et de or. III 26, 101 al.] p. 107 M. — 47) Aen. I 224 = fr. XIII p. 108 M. — 48) Aen. I 4 = Inc. fab. rel. fr. XX p. 131 M. — 49) Aen. IV 9 (cf. Pacuuianum C 56) = Inc. sed. rel. fr. IX p. 136 M. — 50) Aen. XII 298 (cf. Pacuuianum C 59) = fr. XIV p. 137 M. — 51) Aen. I 26 = fr. XV p. 137 M. — 52) Aen. VI 779 = fr. XVIII p. 137 M. — 53) Aen. II 651 (cf. Pacuuianum C 60) = fr. XIX p. 137 M. — 54) Aen. I 741 = fr. XXVI p. 138 M. — 55) Aen. IX 253 = fr. XXVIII p. 138 M. — VI. Pacuuii fragmenta.[3]) 56) Aen. IV 9 (cf. Ennianum C 49) = Antiopae fr. V [sumptum ex Charis. 101, 21 K.] p. 77 Ribb. — 57) Aen. XI 259 = ex inc. fabb. fr. XXVIII p. 129 Ribb. — 58) Aen. VII 320 (cf. Ennianum C 45) = fr. XXXIV p. 130 Ribb. — 59) Aen. XII 298 (cf. Ennianum C 50) = fr. LVI p. 135 Ribb. — 60) Aen. II 651 (cf. Ennianum C 53) = fr. LIX p. 135 Ribb. — VII. Caecilii (?) Statii fragmentum.[4]) 61) Aen. II 777 = ex inc. fabb. fr. XVII p. 77 Ribb. — VIII. Comi-

1) Hunc locum cum Ribbeckio (scen. Rom. poes. rell. I p. 73 fr. LII cf. eod. uol p. XXXVII) et Vahleno (Enn. poes. rell. p. 148 fr. XVIII) tragoediis ascribere malim. 2) Vix dubitandum cum Aemilio Thomas, Essai sur Seruius p. 31 (cf. Mueller ed. Enn. p. 204) uersum hic aduocatum Ennii esse, cf. enim [Serg.] expl. in Don. IV 565 K: Ennius et saxo — brum. 3) Ab hoc loco usus sum Ribbeckii 'Scaenicae Rom. poes. frgm.'' 4) Cf. Ribbeck p. 77 adn.

corum fragmenta. 62) Aen. IX 107 = ex inc. fabb. fr. LX p. 124 Ribb. — 63) Buc. IX 6 = e. g. Ter. Phorm. III 3, 19, Hec. I 2, 121. — 64) Buc. IX 54 = e. g. Ter. Adelph. IV 1, 21. — IX. Fabulae togatae fragmentum. 65) Aen. X 564 = Afranii Proditi fr. I p. 199 Ribb. cf. adn. et Lucilianum C 80. — X. Lucilii saturae.[1]) 66) Aen. X 104 = lib. I fr. IV p. 1 M. — 67) Aen. IX 225 = fr. VI p. 2 M. — 68) Aen. XI 601 (cf. Ennianum C 44) = lib. III fr. XLVII p. 18 M. — 69) Aen. VIII 83 = libr. IX fr. XXXII p. 51 M. — 70) Aen. IX 570 = fr. XXXIV p. 51 M. — 71) Aen. VI 90 (cf. Plautinum A 9ᵃ) = lib. XIV fr. XVII p. 64 M. — 72) Aen. I 703 cf. Plautinum A 30 = lib. XVI fr. VI p. 70 M. — 73) Aen. I 726 = ex libr. inc. fr. XV p. 136 M. — 74) Georg. II 98 = fr. XVII p. 137 M. — 75) Aen. X 532 (cf. Ennianum C 16) = fr. CXVIII p. 153 M. — 76) Aen. X 623 = fr. CXIX p. 153 M. — 77) Aen. VI 625; Georg. II 42 = Dubia fr. VII p. 159 M. — 78) Aen. XII 419 = fr. VIII p. 159 M. — 79) Aen. I 181 (cf. Terentianum B 2) = Falso adscripta fr. XXIV p. 167 M. — 80) Aen. X 564 (cf. Afranianum C 65) = fr. XXVI p. 168 M.

b) Scriptores. I. Leges XII tabularum.[2]) 81) Aen. VIII 642 = tab. V 10, adn. p. 133 Sch. — 82) Buc. VIII 99 = tab. VIII 7 (8) p. 143 Sch. — 83) Aen. VI 609 = tab. VIII 21 p. 149 Sch. — 84) Aen. XII 606 = tab. X 4 adn. p. 154 Sch. II Cato.[3]) — 85) Aen. I 95 = Originum lib. I fr. 1 [sumptum ex Pompei comment. V 208, 28 K. cf. et [Serg.] expl. in Don. IV 502, 17 K. Jordan in Jahnii ann. 1859 p. 425 et Peter hist. rom. rell. uol. I p. 51 adn. 1] p. 3 Jord. — 86) Aen. XI 700 = lib. II fr. 1 [falso ut equidem cum Petero hist. Rom. rell. uol. I p. 60 adn. censeo coniunctum cum Seru. Dan. ad Aen. XI 715] p. 9 Jord. — 87) Aen. X 184 = fr. 20 p. 12 Jord. — 88) Aen. V 564 = fr. 26 p. 13 Jord. — 89) Aen. I 726 = libr. VII fr. 13 p. 29 Jord. — 90) Georg. II 95 = ad Marcum filium libr. fr 8 p. 79 Jord. — 91) Georg. II 412 = fr. 9 p. 79 Jord. — 92) Aen. I 151 = fr. 14 p. 80 Jord. — III. Sisenna historicus.[4]) 93) Aen. I 108 = libr. I fr. 4 p. 277 Pet.

1) Secundum L. Muellerum. 2) Secundum Schoellii editionem. 3) Secundum Jordanum. 4) Secundum Peteri 'hist. rom. rell.' uol. I.

§. 2. Ordiamur a commentatorum Vergilianorum nominibus quae apud Seruium exstant apponendis: qua in re inprimis pendeo a Suringario (hist. crit. schol. lat. uol. II p. 1—271) et Ribbeckio (prol. in Verg. p. 114—200). — Aduocat Seruius primum:

Pollionem. Aen. II 7 (Asinii Pollionis sententia oppugnata). — VI 554 (Pollio). — XI 183 (As. Poll. sent. probata). — Asinius Pollio, Vergilii familiaris, utrum horum interpretamentorum auctor sit an alius, de hac re dudum dissentitur inter homines doctos: primus, quod sciam, hanc rem attigit Thorbecke (Commentatio de C. Asinii Pollionis uita et studiis doctrinae Lugd. Bat. 1820), cuius tamen quae fuerit sententia recta uia enucleare non potui, quoniam commentatio illa mihi non fuit ad manum. Verum ex Suringarii (l. l. II p. 246) et aliorum commemorationibus conclusi, ex Thorbeckii opinione Seruianum Pollionem non eundem fuisse ac nobilem illum oratorem. Quam Thorbeckii sententiam Bergkius postea (Ztschr. f. Alterthwss. 1845 p. 119 adn. 2) ita quasi firmare studuit, ut Pollionem quendam M. Antonini imperatoris praeceptorem (cuius nomen e. g. Iulius Capitolinus in uita Antonini cap. 2 profert) eundem esse coniecerit cum eo quem Seruius aduocat, cum ne per se quidem ueri sit simile, Vergilii aequalem eumque doctissimum talibus in nugis, quales habeat Seruius, proferendis operam suam consumpsisse. At huiusmodi ratiocinationes non tales sunt, quibus nos possimus induci, ut Seruianum Pollionem ab Asinio discernamus. Praeterea quod idem u. d. dicit loco Aen. II 7 'Asinius' nomen esse interpolatum neque extare in codice Cassellano (Thilonis C), hoc non ita esse testatur Thilo, ut inde Bergkii sententiae adiumentum accrescat nullum. Improbamus igitur hanc coniecturam: idem sentiunt Kirchner l. l. p. 502, Neumann (de Plinii dubii sermonis libris Charisii et Prisciani fontt. diss. Kiliae 1881) p. 39 adn. 1, Schlitte (de Plinii Secundi studiis grammaticis progr. Nordhus. 1883) p. 9, Rosenstock l. l. p. 67. Contra cum Bergkio faciunt Graefenhan (hist. phil. ant. IV 259 — aliter IV 277), Ribbeck prol. p. 116, Steup (de Probis grammaticis, diss. Ienae 1871) p. 71. — De Asinio Pollione Catulli commentatore dissensio est inter Hauptium (opp. II p. 67—70) et Bergkium (Philol. uol. XXIX 1870) p. 329, sed de hac re hic nil aliud dicam quam Bergkio me esse addictum.

Hygini dein commentarium certe aduocatum habemus ad Aen. XII 120 ('Caper et Hyginus'), reliqui loci titulo libri omisso memorati scilicet Aen. I 277, I 530, II 15, VII 47, mea quidem ex sententia potius ad ea quae 'de urbibus Italicis' conscripsit Augusti

libertus (cf. ad Aen. VII 678 alias), quam ad commentarium Vergilianum sunt referenda, ideo hic omittenda. — Ceterum C. Iulium Hyginum commentarium scripsisse in Vergilium testimonio Gellii (Noct. Att. I 21, 2) firmatur, hoc modo dubium est, utrum continuis adnotationibus uersus poetae explicauerit an per libros scholia sua digesserit (cf. Gell. XVI 6, 14, Bunte, de Hygini uita et scriptis, diss. Marb. 1846 p. 30, Ribbeck prol. p. 117).

De Iulii (uel Aufidii cf. Philarg. ad Georg. II 497) Modesti, Hygini liberti (Suet. gramm. 20) commentario Vergiliano res admodum est lubrica et incerta, ut lectorem ad Ribbeckium p. 121 relegare liceat, praesertim cum uno illo loco Seruiano (ad Georg. I 378), quem uiri docti collatis scholiis Bernensibus[1]) et Probi qui dicitur commentario[2]) ad eundem locum recte ex Modesti copiis esse deriuatum contendunt, Modesti nomen ne existat quidem in Thilonis quantum uideo codd. (solus Lionis[3]) G nomen exhibet), ita ut non possimus pro certo affirmare Seruium cum haec scriberet Modestina se scribere sibi conscium fuisse.

Sequitur nunc Cornutus, Persii praeceptor, aduocatus his locis: Aen. I 488 (aut ... aut ... ut Sallustius ... Cornutus tamen dicit e. q. s.), IX 672 (... male intellexit Donatus ... Cornutus ... uere sensit). — Cornutum commentarios composuisse Vergilianos testatur Gellius II 6, 1, Charis. 125, 16; 127, 20 K: cf. et Macrob. Sat. IV 19, 2. Fit uerisimile ex Charisii testimoniis commentarium illum non fuisse perpetuum quem uocamus, immo singulis de quaestionibus agentem philosophum doctissimum suam doctrinam aperuisse, id quod Jahnius in prolegg. ad Persium p. XV recte uidit, quem sequitur Ribbeck prol. p. 125 (de iis qui ante Jahnium de Annaeo Cornuto eiusque quaestionibus Vergilianis obseruauerunt uide quae Osannus adnotauit ad Villoisoni prolegg. in Cornuti 'de natura deorum' librum conscripta, Gottingae 1844 p. XXIII sqq.).

Accedamus iam ad M. Valerium Probum Berytium atque conferamus locos Seruianos hos: a) ex editione Vergiliana, quam Probus confecit, sumptos Aen. I 441 (Probus ... sicut Sallustius), VI 1 (Probus et alii), 177 (Probus ... et Donatus), 473 (Probus et

1) Scholia Bernensia ad Vergilii Bucolica atque Georgica ed. Hermannus Hagen, ann. phil. suppl. IV (1861—67) p. 673—1014. 2) M. Valerii Probi in Vergilii Bucolica et Georgica commentarius accedunt scholiorum Veronensium et Aspri quaestionum Vergilianarum fragmenta ed. Henricus Keil, Halis 1848. 3) Commentarii in Vergilium Seruiani ... ed. H. A. Lion, accedunt Vergilii interpretes a Maio primum editi, Philargyrius et Probus. uol. I, II, Gottingae 1826.

alii), 782 (Trogus et Probus), VII 543 (Probus, Asper, Donatus), 773 (alii... ut Probus), VIII 406 (Probus... et Carminius), X 18 (Probus), 539 (Asper... utitur Sallustii exemplo... Probus uero...), 444 (Probus), Buc. VI 76 (Probus). b) ex eiusdem 'obseruationum silua', quam appellat Suet. de gramm. 24 haustos Aen. I 194 (Probus), III 3 (quod ait Probus... non procedit), VII 421 (Probus de temporum conexione), X 33 (secundum Probum). c) omnino non ad Probum Berytium pertinentes, sed ad Sacerdotem h. e. Probum sine dubio respicientes Aen. II 15 = VI 865 (cf. Prob. cath. IV 17, 1 K, contra Charis. 35, 27. Beck, De M. Valerio Probo Berytio Groningae 1886 p. 27). Hanc dispositionem non a me excogitatam esse confiteor, immo secutus sum inprimis Kirchnerum (l. l. p. 500) et Kueblerum (de M. Val. Prob. Ber. commentariis Vergilianis diss. Berolini 1881 p. 13—24), qui ipsi pendent a Ribbeckio et a Steupii de Probis commentatione. Consentiunt Kirchnerus et Kueblerus de locis Aen. I 194, III 3, VI 1, 177, VII 421, 773, VIII 406, X 33, 539, de quibus ergo quaestio esse uix potest, dissentiunt uero de his: Aen. I 441, II 15, VI 473, 782, 865, VII 543, X 18, 444, Buc. VI 76, quo factum est ut ego quoque dubitarem de his locis, quaestionesque ipse instituerem, de quibus nunc paucis referre mihi liceat: Aen. I 441 malui cum Kueblero editioni addere, nam 'umbrae' est lectio antiqua a Probo defensa: cf. Ribb. prol. p. 140, ideoque Probum hic nota critica quae dicitur διπλῆ περιεστιγμένη usum esse Ribbeckius p. 151 coniecit, sequitur Ribb. Steup p. 94. — II 15 = VI 865 Beck l. l. Sacerdoti adscripsit, quem hac quidem in re sequor, quamuis quod ad reliqua attinet mihi nimis audacter atque licenter in Berytium eiusque sententias ab antiquis prolatas consuluisse uideatur. Hic tamen probari possunt quae dicit, Kueblerus uero et ipse, qui quidem hos locos inter Berytianos omnino non referat, post alios[1]) idem uidetur sensisse. — VI 473. Hic Kueblerus quamquam obseruationem grammaticam inesse mihi probauit, tamen ueri est similius Probum in editione Vergiliana talia quaesiuisse. Etsi Steupio (p. 91 adn.) — quem locum Kueblerus fortasse in animo

1) Cf. Steup p. 184, Keil Gr. lat. IV p. XIX. — Keilii uol. VI p. 422 adnotatio, qua Kirchner Probi esse hanc doctrinam ut demonstret utitur, huc non pertinet; nam etsi recte dicit Keilius famam Probi causam fuisse, cur Sacerdotis libris Probi nomen praepositum sit, tamen eo non demonstratur uere Probiana in illis libris inesse: quamquam insunt quaedam quae congessit Keil (symb. phil. Bonn. p. 97).

habuit — concedamus Ribbeckium p. 156 male fecisse cum coniceret 'phrontidem' quam dicimus huc appositam esse a Probo — nam reuera hoc loco non de lectionis aliqua obscuritate emendanda sermo est — tamen, ut iam dixi, haec adnotatio mihi tam arte cum lemmate Vergiliano coniuncta esse uidetur, ut nusquam alibi eam prolatam credam, nisi in editione ipsa. — VI 782: de hoc loco, utrum cum Ribbeckio, Steupio, Kirchnero inter editionis reliquias sit recipiendus an inter obseruationum, ipse dubitat Kueblerus solaque Trogi commemoratione, quam ab ipso Probo esse factam recte sine dubio coniecit, eo adducitur, ut disputationibus potius Probi haec inserat. Quid uero causae sit, cur hoc faciamus quaero. An ex Seruii loco ullo modo concludi potest Probum oppugnasse Trogum longiore disputatione? Nonne facillime potuit fieri, ut Probus in margine editionis suae ad Verg. uerba 'animos aequabit Olympo' adnotaret iam Trogum, Vergili aequalem quaesiuisse[1]) utrum hic mons an caelum significaretur uerbo 'Olympus'? (cf. Ribb. p. 145). — Locum VII 543 cur non editioni Vergilianae adscripserit Kueblerus, omnino non intellego; item melius fecisset, si locum X 18, quamquam foedissime corruptum et mutilatum interpolatumque adeo, ut quid Probus ipse uoluerit uix intellegas, cum Ribbeckio et Steupio ad commentationes retulisset, quam in sententiam ipse p. 20 adn. 2 inclinare uidetur. — X 444. Kueblero hic assentiendum contra Kirchnerum: Probum enim in editione notas adhibuisse criticas multo uerisimilius est, ne dicam unice certum, quam in obseruationibus grammaticis. — Buc. VI 76: Hic cum defendatur disertis uerbis Vergilianus uerbi 'uexasse' usus (cf. etiam Macrob. Sat. VI 7, 4sq., Isid. Orig. X 280) contra Cornutum nonnullosque aetatis superioris commentatores (ut docet Gellius II 6, 1), uix mihi persuadebit Kueblerus alibi id factum esse, quam ubi et Probus ipse de Vergilio agebat quasi ex officio, id est in adnotationibus editioni additis. — Apparet locos supra sub b) et c) prolatos nobis tum demum respiciendos esse, cum de artium scriptoribus a nostro aduocatis erit sermo: nam quamquam 'artem' proprie uocatam Berytius non scripsit, tamen quin eius 'obseruationum silua' grammaticis inprimis referta fuerit placitis nemo dubitat, neque Sacerdotem (sub c) commentarium scripsisse notum. — Ceterum quoniam singulas nunc absolui res, liceat pauca adiciam de tota quaestione Probiana, quae adhuc summo in discrimine est, ut

1) In historiarum libro XLIII ut post Bielowskium (ed. frgm. Trogi p. 83) Gutschmidius (ann. phil. suppl. II p. 192) probauit uiris doctis.

modo lectores intellegant quid equidem sentiam, quamuis paucis rem totam explanare uerbis nec possim nec uelim omnino. Inprimis me quoque quae Steupius de tribus illis Probis, Berytio, Gelliano, artium scriptore excogitauit (l. l. p. 60—79) improbare uix est quod moneam: a permultis enim uiris doctis, quos hic enumerare supersedeo, Steupius iam est refutatus, neque plures Probi quam duo, id est antiquus ille Berytius primi saeculi (de quo Suet. de gramm. 24 disputat) et Probus qui artem Vaticanam siue instituta artium (cf. Keilii Gramm. lat. IV 45—192) scripsit uidentur fuisse. Excerpta de nomine et liber 'de ultimis syllabis' compositus Probi nomen ferunt iniuria (cf. Steup pp. 142, 138, 175). Probus Berytius, si Suetonio fidem habes, 'multa exemplaria contracta (sc. scriptorum) emendare ac distinguere et adnotare curauit'. Hoc Kueblerus[1]) recte ita explicat (p. 2—5), ut Probum 'scriptorum non solum emendationi, uerum etiam lectioni, enarrationi, iudicio, id est omnino scriptorum tractationi operam tribuisse' nos doceat, cetera munera ac studia grammatici neglexisse. Atque ita Berytii curis praeter Vergilii Horatii quoque et Lucretii scripta esse edita anecdoti Parisini Suetonius (p. 138 Reiffersch.) testis est notisque criticis instructa, quas idem Suet. nobis seruauit. Nec satis, praeterea enim Berytius cum sectatoribus nonnullis inter longos sermones de sermone antiquo obseruauit 'obseruationumque de hac re non mediocrem siluam reliquit' (Suet.). Atque haec partim uerbis (e. g. Gell. IX 9, 12) partim per litteras (Gell. IV 7, 1 sqq., epistula ad Marcellum; VI 9, 11) sectatoribus mandata postea ab eis in librorum formam redacta esse bene coniecit Kueblerus p. 5. Nec dubium quin inde grammaticae Probi doctrinae notitia ad posteros peruenerit. — Sed haec hactenus: omnia diligentissime collecta, disposita, tractata inuenies apud Steupium, alios. Ad eundem redeas quaeso, intellegere si uis quaenam Probi commemorationes sint spuriae, quae uere Probianae: hoc tantum adiciamus commentarium Vergilianum sub Probi nomine seruatum certo spurium esse, qua de re cf. Riesium (de comm. Verg. qui Valeri Probi esse dicitur diss. Bonnae 1862) et Kueblerum, quibus assentimur.

Nunc ad Asprum accedamus. Aemili Aspri nomen apud Seruium aduocatur his locis a) ex commentario sumptis: Aen. VI 788 (sic Asper — omittunt uero nomen codd. Thilonis R H L, unde Thilo ab ipso Seruio Asprum hoc loco commemoratum esse

1) Contra Steupium, qui nimis artis finibus Berytii studia circumscribendo coactus erat, ut alterum Probum Gellii aetate floruisse statueret.

negat), VII 169 (secundum alios... secundum Asprum), 337 (ita ... Asper), 543 (Probus, Asper, Donatus), IX 4 (ut Asper dicit... secundum Plautum — A 25 — ... secundum augures), 30 (Asper), 416 (... Asper tamen dicit), 675 (aut... aut ut Asper dicit... ut Ennium sit secutus. — C 29 —), X 189 (si turpiter [sc. Phaëtontem amatum a Cycno accipiamus] talis est sensus... si pie amauit secundum Asprum e. q. s.), 539 (Asper... utitur Sallustii exemplo... Probus uero...), 565 (Asper dicit... alii uolunt...), 737 (Asper), XI 358 (Asper), Georg. II 324 (Asper... Donatus uero... sed melius Asprum sequimur), b) ex 'quaestionibus Vergilianis' sumptis: Aen. VIII 383 (sic Asper cum exemplo Sallustiano), XI 801 (ita et Asper intellegit, Sallustio aduocato, ... licet alii ... uelint, Terentii exemplum — B 96 —, multi tamen uolunt). — Scripsit Asper, siue primo ut uulgo putant siue initio tertii saeculi erit tribuendus[1]), praeter commentum Vergilianum, Sallustianum (Hieron. adu. Ruf. I 16, Charis. 216, 28 K), Terentianum (Rufin. VI p. 551, 1 K. Don. ad Ter. Phorm. I 2, 24, Adelph. III 2, 25, IV 2, 20) fortasse etiam 'quaestiones Vergilianas' grammaticas — certe enim loci Seruiani supra a nobis sub b) prolati grammaticam speciem prae se ferunt cf. Kirchner l. l. p. 511 — quamquam 'quaestiones Vergilianae' a Keilio (uid. supr. p. 321 adn. 2) et a Chatelain u. d. (revue de philologie 1886 p. 83) sub Aspri nomine editae uestigia quidem Aspri praebent (cf. Keil. l. l. p. XVII et alios), totae tamen genuinae esse uix possunt. (F. Boelte 'quaestiones de artium scriptoribus latinis' diss. Bonnae 1886 thes. VI.) — De Aspro iuniore (uel Aspris iunioribus) non quaerimus.

Urbanum nominat Seruius ad Aen. IV 384 (alii dicunt... alii... melius tamen est ut secundum Urbanum accipiamus), 469 (... aut ... aut secundum Urbanum), 548 (Urbanus... licet alii), 624 (Urbanus), V 493 (... Urbanus uero dicit...), 517 (... quamquam Urbanus dicat), VI 609 (... Urbano tamen hoc displicet et dicit...), VII 556 (Urbanus tamen... sicut illud Terentii — B 109 —), IX 389 (Urbanus... alii), X 661 (sic melius quam sicut nonnulli uolunt — Urbanus namque sic legit — ...), Georg. II 424 (... Urbanus tamen sic accipit). — Antiquitus de Urbano plane nil constat, nemo tamen adhuc, quod sciam, dubitauit eum inter Vergili interpretes referre. Ribbeckius prol. p. 167, Urbanum Cornuto iuniorem Longum aetate antecessisse coniecit collatis locis Seru.

1) De hac re infra in epimetro agetur cum ipsius diputationis fines excedat.

ad Aen. V 517 et schol. Veron. ad Aen. V 488. Quam uero ratiocinationem nuper Thilo (praef. ed. Seru. p. XVI adn. 2) infirmam esse demonstrauit satisque habuit quarto saeculo illum adscripsisse.

Terentium dein Scaurum 'Hadriani temporibus grammaticum uel nobilissimum' (Gell. XI 15, 3) semel tantummodo inuenimus nominatum ad Aen. III 484 (... Scaurus uero... legit...). Scaurus (uide de eo inprimis Kummrow: Symbola critica ad grammaticos latinos diss. Gryphiswaldiae 1880 p. 1—8, Ribbeck p. 171) praeter commentarios in Plautum et in Horatium[1]) librumque de Caesellii erroribus et grammaticos libros (editos a Keilio VII p. 11—35) 'artem'que quae diserte uocatur[2]) commentarium quoque in Vergilium quin composuerit dubium non est (cf. schol. Veron. ad Aen. IV 146 et V 95).

Nec silentio possumus praeterire Aelium Donatum, aduocatum his locis: Aen. II 557 (quod Donatus dicit... ratione caret), 798 (Donatus contra metrum sensit), III 242 (quod Don. dicit... non probatur), 535 (... secundum Don.... non stat uersus), 636 (male sensit Don.), VI 177 (Probus... et Don.), 230 (sane dicit Don.), 339 (... quamquam Don. uelit), 535 (Don. tamen dicit), 623 (quod Don. dicit nefas est credi — Don. male ait...), VII 1 (non, ut Don. ait...), 543 (Probus, Asper, Don.), 563 (... unde Don. dicit), VIII 333 (aut... aut ut dicit Don.), 373 (... quod dicit Don.... non procedit), 642 (Donatus... contra metrum sentit dicens... ut est in iure — C 81 —), IX 30 (Don.), 361 (Don. dicit... quod non procedit), 544 (secundum Don.... sed melius... intellegimus), 672 (male intellegit Don.... Cornutus uere... sensit), 760 (quod dicit Don.... non procedit), X 331 (male ait Don.), 463 (Don. dicit... sed melius est), 497 (Don.), XI 31 (Don.), 124 (frustra ait Don.), 316 (Don. errauit... unde sequenda est... Liuii, Sisennae et Catonis auctoritas), 318 (superfluum est quod ait Don...), 762 (Don.), XII 365 (... sciendum... errasse Don....), 366 (male ait Don.), 507 (Don.), 514 (Donatus dicit... sed hoc non procedit), 529 (superfluum est quod ait Don....), 585 (Don.), Buc. II 17 (bene dicit Don.), III 38 (Don.), Georg. I 120 (Don.), 198 (... uerius est... sic enim Don. sensit), 425 (Don. dicit... sed male), II 4 (quod Don. dicit... non procedit), 324 (Asper... Don. uero... sed

1) Cf. Zangemeister Mus. Rhen. XXXIX (1884) p. 634.

2) Fragmenta Kummrowius postquam collegit egerunt de hac arte Meyer: quaestiones grammaticae ad Scauri artem restituendam spectantes diss. Ienae 1885. Boelte l. l.

melius Asprum sequimur), 412 (hoc Cato ait — C 91 — quod ideo dictum est uel quia... uel... quod ut dicit Don.[1]), 514 (Don.), IV 150 (Don.), 345 (Don.). Praeterea in praefatione Bucolicorum, quam tamen non curamus, cum ab ipsius commentarii rationibus plane sit aliena, Don. citatur bis (p. 2, 8 et 3, 28 Th.). — Mirabitur quispiam quod omnes Donati nominis apud nostrum commemorationes in unum eundemque Aelium contulimus: exstant enim duo eiusdem nominis Vergilii commentatores Aelius et Tiberius Claudius Don. Tiberium uero Claudium cum Seruio omnino non esse coniunctum post alios[2]) nuper Burckas 'de Tib. Claudi Donati in Aeneida commentario' (diss. Ienae 1888) demonstrauit. — Aelium Donatum quarto saeculo commentarios in Vergilium et Terentium nec minus artes duas scripsisse (Keil IV 353—402) res est notissima. Atque, id quod iam per se perlustrantibus locorum supra congestorum ingentem numerum uerisimile fiet, Seruianarum adnotationum permagnam partem inde recta uia esse deriuatam multis infra Seruii Donatique locis inter se collatis elucebit (cf. et Thilo praef. ed Seru. LXXV sqq.).

Carminius nominatur ad Aen. VI 861, qui quidem locus certe e commentario sumptus est, reliqui (Aen. VI 638 — Varro et Carminius —, VIII 406 — Probus... et Carminius) num ad commentarium sint referendi, an ad librum quem de elocutionibus scripsit (cf. ad Aen. V 233) incertum. Composuit praeterea libros 'de Italia' minimum II (Macrob. Sat. V 19, 13); (cf. Ribbeck p. 186). De aetate eius nil potest statui. — Agmen claudunt (omittimus hic 'Hebrum' uel Hebrium ad Aen. VII 6 adscriptum qui quis sit plane ignoratur — cf. Ribb. p. 174 sqq. Hagen schol. Bern. p. 731 sqq. — nec minus 'Auienum qui iambis scripsit Vergilii fabulas' Aen. X 272, 388, Georg. I 488 et eum, 'qui in Vergilium scripsit declamationes' Aen. X 532 — cf. Ribb. p. 186, 188) nonnullae 'commentariorum' commemorationes nomine non adscripto prolatae ad Aen. VI 859, VII 543, IX 742, Buc. VI 11, Georg. I 147.

Atque haec de commentatoribus ipsis. Iam liceat fusius exponere, quae sint illae res quas Seruius tractans commentatores nominatim citet. Sic enim uia munita facilius eo me peruenturum esse spero, ut quosnam locorum supra p. 314—19 congestorum ex numero Seruius commentariis debuerit possim explorare. Per se

1) Thomas l. l. p. 174 Don. commemorationem posteriorum additamentum esse suspicatur. 2) Cf. inprimis: van der Hoeven: De Donati commentario in Vergilii Aeneidem epistula ad Suringarium, Leouardiae 1846.

enim patet talibus in rebus nil omnino profici posse, nisi similia similibus congregando comparandoque. Atque ut ordiamur a munere commentatoris critico: I. textus recensionem Seruius semel commemorat Aen. VI in. (a Probo factam). — II. textum uidemus emendatum ab Hygino, Probo, Aspro, Urbano, Scauro, Donato, 'commentatore' quodam[1]), emendationes commemoratas ad Aen. I 441, II 798, III 484, VII 543, 773, VIII 406, X 539, 661, 737, XII 120, 365, Buc. III 38. — III. Secuntur quae interpretis magis quam critici sunt, quaestiones in uniuersum de sermone Vergiliano institutae. Laudantur de his Asinius Pollio, Probus, Asper, Urbanus, Donatus his locis: Aen. IV 624, VI 473, VII 543, IX 30, 416, 675, X 444, XI 124, 183, XII 507, Buc. VI 76. — IV. Nunc commemoro singularum uocum etymologias auctoribus prolatas Aspro et Donato ad Aen. II 557, VII 169, XI 31, Georg. II 4. — V. Singularum dein uocum explicationes partim glossarum in modum institutae, ita ut alterum ponatur uocabulum pro altero minus usitato, partim paucis uerbis instructae sunt hae: Aen. III 535 = 636, IV 384, V 493, VI 782 (cf. Ribb. prol. p. 145), VIII 642, IX 4, X 189, 463, 497, 565, XII 514, Georg. I 120, 198, 425, II 514 (auctores sunt Probus, Asper, Urbanus, Donatus.) — VI. Distinctiones atque ordinationes enuntiatorum inuenimus apud Asprum, Urbanum, Donatum ad Aen. IV 548, VI 339, VII 556, VIII 333, IX 30, 389, XI 358, Georg. II 324, 424, IV 150, 345. — VII. Explicationes dein ipsae breuiores uersuum, quibus sententiarum sensus uel ipsis Vergilii uerbis aperitur, uel pauca, quae tamen reconditioris doctrinae speciem non praebent, adduntur, hae sunt (ex auctoritate Pollionis, Cornuti, Aspri, Donati, incerti nominis commentatoris allatae): ad Aen. I 488, II 7, VI 554, 623 (secundum), 788, IX 361, 544, 672, 742, 760, XI 762, XII 529, 585, Buc. II 17, Georg. II 412. — VIII. Fusiores Vergilianorum uersuum explicationes, prolatae ab Aspro, Urbano, Donato, Carminio, 'commentatoribus' quibusdam hae sunt: Aen. III 242, IV 469, VI 230, 535, 609, 623 (primum), 861, VII 1 (cf. Strabo V p. 233 — I p. 320 Meineke — Ribb. prol. p. 182), 337, 563, XI 316, XII 366 (cf. Strabo I p. 62 sqq. — I p. 81 Mein. — Ribb. p. 182), Buc. VI 11. — IX. Urbani denique, Donati, 'aliorum' ratiocinationes quae sine dubio cum aduersariorum in Vergilium maledictis quodammodo cohaerent habes ad Aen. V 517,

1) Firmiano si fides additamentis Danielis.

VIII 373 (cf. Macrob. Sat. I 24, 7), X 331, XI 318, Georg. I 147. — Restant denique tres loci quibus quid agatur incertum: Aen. VI 177, 859, X 18 (cf. Kuebler. l. l. p. 20 adn. 2).

Non est cur negemus, cum omnia quae modo protuli, tum similia quae sunt, ex commentario — uel commentariis, de hac re agetur paragrapho 15 — recta uia fluxisse ad Seruium, ut tamen erret, si quis primarium quoque fontem semper commentarium putauerit. Hoc nempe non ita fuisse et per se patet, si modo conferas locos praecipue sub VIII collectos, et insequentibus quaestionibus luce fiet clarius. — Nunc uero ad propositum accedentes tractemus antiquorum scriptorum locos dispositos secundum ordinem quem elicuimus.

§ 3. Textus recensionem (cf. § 2, I) cum habeamus in locis qui nobis sunt perlustrandi nullam, statim transeamus ad textus emendati exemplum hoc[1]): B 17, Georg. I 96 'neque nequiquam: id est non sine causa: nam semper duae negatiuae unam confirmatiuam faciunt: unde male quidam locum illum legunt in Terentio pater adest, caue ne te tristem sentiat — ...ita legendum est caue te tristem esse sentiat'. e. q. s., cf. Non.[2]) p. 409, 18 M.: '... Terentius in Andria: caue ne te tristem sentiat'. Bartels (De Terentii memoria apud Nonium seruata diss. Argent. 1884) p. 25 Seruii et Nonii locos communi fonti uult adscribere, ea de causa, quod quamuis lemmata sint diuersa, tamen eadem uersus Terentiani corruptela inueniatur apud utrumque. Nec habeo cur dissentiam. Ceterum in codd. Terentianis, quos quidem contulit Umpfenbach nil nisi umbra extat corrupti uersus, in lectione nempe cod. D qui habet: 'ne sentiat Γ. faciam' reliqui omnes exhibent: 'caue te esse tristem sentiat'. — Quaestiones nunc respicientes de sermone Vergiliano institutas[3]) proficiscamur liceat ab eorum locorum fontibus, quantum quidem possumus, indagandis qui sine dubio primum hic ordinem tenere debent, nempe ab eis, quibus poetam ex antiquiorum scriptorum sermonis horreis aliquid in suam ipsius recepisse dicendi consuetudinem testatur apertis Seruius

1) Praeter Hyginum, Probum, Asprum, Urbanum, Scaurum, Donatum quos supra uidimus hic Serui auctores esse, Carminii quoque, liber 'de elocutionibus' compositus huc erit referendus, cf. ad Aen. VIII 406.
2) Nonii usus sum Luciani Muelleri editione, Lipsiae 1888 in lucem prolata.
3) Auctores sunt Pollio, Probus, Asper, Urbanus, Donatus, ut uidimus, praeterea Carminius qui de elocutionibus scripsit: cf. ad Aen. V 233 (et XI 76?).

uerbis. Ordo est hic: C 48, C 51, C 43, A 41, A 14, C 49, 56, A 42, C 8, A 9ª = C 71, A 39, B 32, C 35, C 36, C 52, C 18, C 4, B 77, 105, C 31, C 29, C 7, C 10, C 16, 75, C 76, C 25, B 20, B 94, C 5, C 24, B 45, C 33, B 84. — Quaenam res tractentur locis illis quaerentibus mea quidem sententia tria adnotationum genera erunt distinguenda: primum est earum, quibus poetam singulis uocibus esse usum demonstratur, quae omnino non occurrunt, nisi apud Plautum, Ennium, Pacuuium eorumque aequales; secundum est earum, quibus Vergilium uocabula usurpasse docemur, quae per se quidem semper in usu fuerunt, significatione uero translata quam dicimus nec propria apud Aeneidos scriptorem obuiam sunt, qualem excogitarunt antiquiores; tertium dein de rhetoricis figuris atque orationis in uniuersum proprietatibus agendum, qualia Verg. debet priorum saeculorum scriptoribus.

Primo generi equidem uelim adscribere hanc locorum seriem: A 41. Aen. III 42: 'scelerare: polluere, et est sermo Plautinus, quo hodie non utimur'. — C 49, 56. Aen. IV 9: 'insomnia terrent: ... et 'terret' et 'terrent' legitur, sed si 'terret' legerimus, 'insomnia' erit uigilia ... antiqua elocutio; 'insomnia' enim, licet et Pacuuius et Ennius frequenter dixerit, Plinius tamen exclusit et de usu remouit'. cf. Charis. 101, 17sqq. K: 'Insomnia plurali numero significare uolunt grammatici somnia ... singulari uero numero uigiliam, ut Pacuuius in Antiopa dixit perdita inluuie atque insomnia'. e. q. s. Non. 209, 13 M. Donat.[1]) ad Ter. Eun. II 1, 13: 'insomnia: ... Legitur et 'adiget' ut sit insomnia numeri singularis.' — A 9ª = C 71. Aen. VI 90: 'addita Iuno: inimica. est autem uerbum Lucilii et antiquorum, ut Plautus additus Ioni Argus.' cf. Macrob. Sat. VI 4, 2. — C 31. Aen. IX 37: 'Hostis adest: '... heia'... est Ennianum, qui ait heia machaeras.' cf. [Serg.] expl. in Don. IV 559, 4 K. — C 7. Aen. X 5: 'Bipatentibus: ... est sermo Ennianus'... — C 10. Aen. X 6: 'Quianam: cur: Ennianus sermo est.' Cf. Seru. ad Aen. V 13, [Serg.] expl. in Don. IV 559, 5 K, schol. Veron. ad Aen. X 6: 'Asp.[2]) ἀρχαισμός' ... Quint. inst. or. VIII 3, 25sq.: '(uerbis) propriis dignitatem dat antiquitas ... eoque ornamento ... Vergilius est usus, 'olli' enim et 'quianam' ... aspergunt ... uetustatis ... auctoritatem.' Charis. 192, 3, Prisc. III 138, 7 H. — B 94. Aen. XI 687: 'muliebribus armis: usus obtinuit, ut

1) Westerhouii editione usus sum, Hagae Comitum a. 1726 in lucem prolata. 2) i. e. Asper.

innuptas 'uirgines', nuptas 'mulieres' uocemus: nam apud maiores indiscrete uirgo dicebatur et mulier ... ut ecce hoc loco dicit 'armis muliebribus' cum Camillam innuptam fuisse manifestum sit ... Terentius etiam mulierem post partum uirginem uocat'. Cf. Seru. ad Buc. VI 47, Don. ad Ter. Adelph. IV 5, 16; 7, 13. — C 5. Aen. XII 605: 'Flauos crines: antiqua lectio 'floros' habuit, id est florulentos, pulchros: et est sermo Ennianus'. — Lectio 'floros' Probi est (cf. Seru. Dan. a. l. l.), ipsum quoque Probum uerbi 'floros' usum retulisse ad Ennium inde uerisimile fit, quod idem teste Seruio Danielis Accii Pacuuiique adnotauit uersus ad eandem uocem spectantes. — C 24. Aen. XII 709: '... et cernere ferro: uera et antiqua haec est lectio: nam Ennium secutus est qui ait olli cernebant magnis de rebus agentes.' Cf. Seneca ep. VI 6, 3: '... quaedam simplicia in usu erant sicut 'cernere ferro inter se' dicebant. Idem Vergilius hoc probabit tibi [Aen. XII 708 sq.] '... cernere ferro' quod nunc 'decernere' dicimus, simplicis illius uerbi usus amissus est.' — 'Decernere' legunt Seru. ad Aen. II 508, Georg. II 256, Prisc. I 32, 5 K qui synalipham statuere uult sicut noster l. l. Abbo Floriac. ap. Maium class. auct. V 337. — B 45. Buc. III 1: 'cuium pecus: '... cuium' antique ait uitans homoeoteleuton, ne diceret 'cuius pecus', quod modo trium est generum. antiqui dicebant sicut 'meus mea meum' sic 'cuius cuia cuium': Terentius: quid? uirgo cuia est? cf. Don. ad Andr. V 4, 29: 'cuiam igitur: uetuste cuiam quod omnibus generibus et casibus seruit.'[1])

Hos omnes locos inter se esse simillimos nemo non concedet, atque ut intellegas, qui fortasse fuerit primarius illorum fons animum quaeso aduertas in locum A 9ª = C 71 qui sine dubio ex eodem fonte manauit, cui Macrobius (Sat. VI 4, 2) eandem doctrinam debet (cf. Linke, de Macrobii saturnaliorum fontibus diss. Vratisl. 1880 p. 13), quamuis ille forma paulo uberiore usus eam instructam plenis locis Vergiliano et Luciliano, sed omisso Plautino proferat. In indagando hoc fonte Linke l. l. p. 44 sq., secutus Ribbeckium (prol. Verg. p. 99 et 112) et Thilonem (quaestt. Seru. p. 49, cf. praef. ed. Seru. p. XXIV) recte innititur Donati uita Vergiliana

1) Seruit Terentio modo Andr. IV 4, 24: cuium puerum, Eun. II 3, 29: cuia uirgo, Heaut. prol. 8: cuia Graeca, Andr. V 4, 29: cuiam filiam, nominatiuo igitur sing. gen. fem. accusatiuo sing. gen. masc. et fem. solis, id quod Donatus fortasse in animo habuit dicens in arte IV 380, 30 sqq.: 'sunt pronomina quae non per omnes casus declinantur, ut ... cuius cuia cuium'.

p. 65sq., Reiff., ubi testatur Herennium quendam uitia Vergilii, Perellium Faustum furta contraxisse, item Q. Octauium Auitum homoeon elenchon — siue ὁμοιοτήτων quod uoluit Hagenus Fleck. ann. phil. suppl. IV p. 688 — octo uoluminibus complexum esse, quos uersus et unde transtulerit Vergilius, atque suspicatus est talia ex Auiti copiis in Macrobiana influxisse, scilicet per fontem qui Macrobio communis erat cum Seruio (cf. p. 13). Atque mea quidem sententia incaute nos agere uerendum non est, si adscribemus eidem fonti primario — de quo cf. quae infra §. 14 paulo fusiora proferam — locos praeterea A 41, C 31, C 7, C 10, C 5, C 24, praesertim cum et Kirchnerus l. l. p. 480 idem sentire uideatur de locis A 41, A 9ª = C 71, C 31, C 7, C 5.[1]) — Quod attinet ad eos grammaticos uel commentatores qui per saeculorum spatia obtrectatorum doctrinam transtulerunt ad Seruium, de his non ad omnes locos certa proferre possumus; uelim modo memoria teneas iam Quintilianum de uerbis 'olli' et 'quianam' antiquitus usurpatis eadem docere ac Seruium C 10 et C 25 (de C 25 cf. infra p. 345), tunc ex Quintiliani sine dubio fonte (Remmio Palaemone? cf. infra p. 348) de uerbo 'quianam' quae obseruata erant ad Asprum transisse nec minus ad Charisium (per Iulium Romanum Schottm. p. 15 Marschall p. 70) et ad Priscianum. Tum si concedes locum C 5 Probi esse, quod ut iam diximus ueri est simile, fortasse L. Muellerum secutus (uita Enni p. 276) contendes, Probum ipsum non ad obtrectatores Vergilianos redisse, uerum Enni exemplar cum ad manus habuerit haec de suo adnotasse. Verum hoc licet in ambiguo relinquamus. — Loci dein C 49, 56 primarius fons nominatur, nempe Plinius. Pliniana uero per Flauium Caprum solebant fluere ad Seruium (de hac re infra §. 16 agemus). Hic tamen locus mihi respicienti ea quae Don. ad Ter. Eun. II 1, 13 adnotauit et ipse e Donato uenisse uidetur, qui fortasse e Capro hausit: hoc concedo. Charisii locus cum Seruiano non coniunctus est nisi per Plini fontis communionem. — De primario locorum B 94, B 45 fonte nil me indagare potuisse confiteor. Id tamen uidetur constare hic quoque Donatum Seruio recta uia tribuisse quae dicit.

Sequitur secundum locorum genus cui adscribendos cen-

1) Quod locum C 10 u. d. non adnotauit consulto factum esse suspicor: nam ipse dicit pauca modo exempli gratia se ponere uelle, minorisque momenti ille locus est, quoniam uersum ipsum schol. Danielinus addidit. Quod uero loci C 24 obseruationem silentio premit miror, nam Senecae loco supra adscripto docemur obseruationem hanc ualde esse antiquam.

seo: C 48. Aen. I 4: 'saeuae: ... saeuam dicebant ueteres magnam, sic Ennius induta fuit saeua stola, item Vergilius [Aen. XII 107] ... ait: ... saeuus ... Aeneas id est magnus.' Cf. schol. Bern. ad Georg. I 279. — A 42. Aen. IV 82: 'sola: sine eo quem amabat, nam regina sola esse non poterat. est autem Plauti, qui inducit inter multos amatorem positum, dicentem quod solus sit.' Cf. Seru. et Seru. Dan. ad Buc. X 48 Seru. Dan. a. l. l. — A 39. Aen. VI 229: 'circumtulit: purgauit. antiquum uerbum est. Plautus pro laruato te circumferam, id est purgabo' e. q. s. cf. Non. 261, 29 M. schol. Iuuenal. II 157. — C 35. Aen. VI 705: 'Praenatat: praeterfluit. et contrarie dictum est, nam non natant aquae sed nos in ipsis natamus. Ennium igitur secutus est qui ait fluctusque natantes.' — C 36. Aen. VI 748: 'rotam uoluere per annos: exegerunt statutum tempus per annorum uolubilitatem. est autem sermo Ennii.' Cf. Isid. Orig. XVIII 36, 3[1]): 'Ideo rotis quadrigas currere dicunt... propter solem, quia uolubili ambitu rotat, sicut ait Ennius: inde patefecit radiis rota candida caelum.' — C 4. Aen. VII 804: 'Florentes aere cateruas Ennius et Lucretius florere dicunt omne quod nitidum est: hoc est secutus Vergilius.' — C 29. Aen. IX 675: 'armati ferro: ... ut Asper dicit ferrea corda habentes, id est dura et cruenta cogitantes: ut Ennium sit secutus qui ait succincti corda machaeris.' — C 16, 75. Aen. X 532: 'gnatis parce tuis: ... 'parce' est secundum antiquos 'serua' ut apud Lucilium et Ennium inuenitur.' Cf. Seru. ad Buc. III 94. — C 76. Aen. X 623: 'Ponere: facere, sic Lucilius, Homerum secutus, qui ait ἄλγε' ἔθηκε id est fecit.' — B 20. Aen. XI 361. 'Caput: principium et est antiquum: Terentius: nam si hic mali est quicquam, illic huic rei est caput.' Cf. Seru. ad Aen. XII 572. Don. ad Ter. Andr. II 6, 27. — C 33. Buc. X 10: 'indigno: ... magno: nam et Ennius ait indignas turres id est magnas.'

Hi loci quoniam priorum sunt simillimi atque quasi affines, qui cum Kirchnero illorum maximam partem obtrectatoribus tribuit non est cur cum eodem u. d. A 42, C 36, C 29, C 16, 75, locos eisdem non attribuat. Immo praeterea ad eosdem reuoco A 39, Plautinum quidem uersum si respicis, quem ex fonte quam antiquissimo haustum esse inde possit elici, quod fabulae non Varronianae fragmentum uidetur esse[2]), quae sine dubio perierunt non ita multo

1) Secundum Areualum. 2) Pro certo hoc affirmare non possumus (cf. Winter fab. Plaut. p. 14) — possunt etiam in Varronianarum partibus nunc detruncatis exstitisse incertae sedis fragmenta.

postquam innotuerunt[1]) C 35, C 4, C 76. — B 20 ex Donato certe fluxisse uidetur.

§ 4. Transeamus inde ad tertium genus. Per se patet nil certi posse colligi de fontibus Seruii rhetoricis ex iis solis adnotationibus, quibus antiquorum scriptorum uerba simul exhibet noster. Qua de re haud alienum ab opere meo esse duxi omnes componere locos, quibus Seruium similitudine quadam coniunctum esse uidemus cum grammaticis illis qui in tractandis metaplasmis, schematibus, uitiis orationis, barbarismo, soloecismo, tropis operam consumpserunt, dico Diomedem (Gr. lat. I 440, 27—464, 24), Cominianum (I 265, 1—22, 266, 15—267, 22, 270, 23—287, 16[2]), Donatum (IV 392, 5—402, 34), Sacerdotem (VI 448, 1—470, 22), Anonymum Charisii — cf. Schottm. p. 14, Meyer p. 64 — (I 265, 23—266, 14, 267, 23—270, 21), Anonymum de ult. syll. (IV 262, 18—264, 17), Consentium (V 387, 29—390, 20), Audacem (VII 361, 14—362, 13). Commentatores contra in Donatum, in hoc Kummrowii[3]) et Meyeri secutus uestigia, non respexi, quia nil afferunt noui.

Iam igitur ineamus disquisitionem, quamuis in huiusce modi quaestionibus soluendis exempla sola minus grauiora esse Meyer (p. 20) fortasse recte censuerit et inde infirmitatis notam quandam ratiocinationibus nostris quasi innasci uix est quod negemus, quam tamen uitare non possumus. — Agitur de 110 locis in uniuersum, quorum 54 Seruiani Donatianis respondent, 56 non respondent. Atque quoniam, ut supra nonnullis iam uidimus locis Donatus

1) Contra inde quod Iuuenalianum una cum Plautino dicto exhibet Seruius Kiesslingium apud Halfpap (Quaestt. Seru. p. 1 sq.) secuti concludemus quarto demum saeculo hanc, quam nunc legimus, adnotationis formam esse ortam: obseruauit enim ille u. d. ab eo demum saeculo et Iuuenalem et Lucanum haberi a grammaticis dignos, quorum adnotent placita. 2) Cf. Schottmueller p. 14. Cominianus hic sine dubio, in eis quidem quae cum Diomede communia habet, ad Scaurum redit, unde Diomedem quae habet in parte de latinitate conscripta (I 439, 15 —471, 29) plerumque sumpsisse Ericus Meyer (quaestt. gramm. ad Scauri artem rest. spectantes diss. Ienae 1885) euicit. Hoc maximam ueritatis speciem prae se fert; idem enim Meyerus (p. 39) in barbarismo quoque tractando Cominianum Scauriana referre mihi persuasit. 3) Kummrowius quae enucleasse sibi uisus est (in 'symbolis criticis' diss. Gryphisw. 1880) de Diomedis fontibus falsa esse neminem fugiet, qui Meyeri dissertationem perscrutatus intelleget quam multas easque maximi momenti res ille nec respexerit nec uiderit omnino, neminem igitur mihi crimini daturum esse spero, quod Meyerum solum ducem sequi in animo est.

cum Seruio uinculo omnium artissimo sit conexus, inde ex Donatianis proficisci lubet, qui sunt:

De barbarismo.

(Communis Donati et Cominiani fons, ex Scauriano Diomedis auctore deriuatus. Meyer. p. 39.) 1) Aen. I 30, Don. IV 392, 11 barb. p. adi. litterae; 396, 4 Metaplasmus epenthesis[1]), ad Ter. Phorm. prol. 22 = Seru. a. l. l. cf. Diom. (Scaur.) I 452, 7 Comin. I 265, 13, Sac. VI 452, 2, Consent. V 388, 2. — 2) Aen. II 25, Don. (non Scaur. Meyer. p. 39) 392, 12 barb. p. adi. syllabae; ad Ter. Ad. I 1, 2, Metapl. epenth. = Seru. a. l. l. cf. Com. I 265, 13, Consent. V 388, 5, An. de ult. syll. IV 242, 5. — 3) Aen. I 41, Don. 392, 15 barb. per. detr. temporis = Seru. a. l. l. cf. ad Aen. I 251, V 261, Consent. V 389, 10 Metapl. systole Quint. I 5, 18 etc. — 4) Olli pro illi Don. 392, 16, barb. per immutationem literae; 397, 1 metapl. antithesis = Seru. ad Aen. XI 236 ('secundum Ennium' — C 25 —) cf. Diom. (Scaur.) I 442, 30 metapl. antith. Com. I 265, 18, Barb. imm. litt. Sac. VI 452, 11, metapl. antith. Consentius V 390, 8 item; Aud. VII 362, 6, Barb. imm. litt. Isid. Orig. I 35, 6. Quint. etc.

De soloecismo.

(IV 393, 6—394, 3 fons Cominiani auctor (M. p. 65) 394, 4—22 magnam partem interpolata (M. p. 67). 5) Aen. VII 399. Don. 393, 20 sol. p. part. or. cum al. pr. al. pon. = Seru. a. l. l. cf. ad Aen. I 251, III 68, V 19 — A 24 — pleniss. Georg. III 28. — 6) Aen. VI 501. Don. 393, 22 sol. in eadem p. or. cum ipsa non in loco suo ponitur = Seru. a. l. l. cf. Diom. (non Scaur. M. p. 8) I 443, 3 Metapl. prothes. parallage Sac. VI 453 10 item. — 7) Buc. VI 63. Don. 393, 31 sol. per genera = Seru. a. l. l. (plenior) cf. Diom. (Scaur.) I 453, 35, Quint. I 5, 35, cf. uero et Prisc. II 141, 17 H, 164, 24 al. de dub. nom. V 576, 7 (Capri Keil. ibid. p. 570) Non. p. 199, 31. — 8) Aen. IV 576. Don. 394, 1 (cum Enni uersu) sol. per comparationem = Seru. a. l. l. — C 8 — cf. Com. I 267, 16 (cum Keilii adn.) sol. per comp. Anon. Charis. I 268, 19 sol cum abs. pro sup. ponitur.[2]) 9) Aen.

1) Cf. Consent. V 391, 29: '... plerumque alii atque alii, interdum iidem ipsi et metaplasmum et barbarismum dicentes eiusdem lectionis utuntur exemplis, eoque cuncta confundunt.' 2) Hic locus utrum ex Scauro ad Donatum-Seruium fluxerit an ex alio fonte incertum: loci

I 573. Don. 394, 3 sol. per casus; ad Ter. Eun. IV 3 11 'antiptosis' = Seru. a. l. l. 'antiptosis' cf. I 120, X 361 et Diom. (Scaur.) I 454, 11 sol. per imm. cas. Prisc. III 187, 17. — 10) Aen. III 3. Don. 394, 10 sol. per tempora = Seru. a. l. l. cf. Aen. II 12 pleniss. — B 19 — Com I 267, 12, Sac. VI 450, 4. Cynth. Cenet. (ap. Maium class. auct. VII), p. 338 Caper. — 11) et 12) Aen. XI 686. Don. 394, 19 sol. per praep. cum necess. subtrahitur = Seru. a. l. l. cf. ad I 2 ('ars exigit') II 620. Diom. (non Scaur. M. p. 28) uit. or. eclipsis. — 13) Aen. II 37. Don. 394, 20 sol. per coniunct. = Seru. a. l. l (plenior). — 14) Ter. Ad. III 4, 45. Don. a. l. l. cf. ad Ad. V 8, 5, ad Phorm. I 2, 90 = Seru. ad Aen. VIII 127 (plenior) — B 77, 105 — cf. Sac. VI 450, 1, sol. per casus Non. 499, 5, Arus. Mess. VII 465, 1. — 15) Aen. IX 523. Don. ad Ter. Hec. IV 4, 42 = Seru. a. l. l. 'syllepsis p. numeros', cf. ad Aen. X 189, Sac. VI 450, 2, sol. per numeros. — 16) Aen. IX 479. Don. Ad Ter. ad. III 2, 14 = Seru. a. l. l. cf. ad Aen. I 253, II 554, VIII 427, X 670, XI 16, An. Char. I 268, 24, Sol. cum finitiua pronn. pro qual. sign. ponuntur. — 17) Aen. IV 401. Don. ad Ter. Andr. I 1, 39, III 1, 2, Eun. II 3, 83 = Seru. a. l. l. cf. Aen. IV 491. An. Char. I 270, 1, Sol. personae immut. uerbis. Macr. Sat. V 14, 10.

De ceteris uitiis.

(Scauri uestigia non extant. Meyer p. 28.) 18) Aen. IV 419. Don. 394, 30 uitium acyrologia = Seru. a. l. l. cf. ad Aen. I 543, XI 275, Diom.[1]) I 449, 16, Sac. VI 453, 14, Charis. (Com.) I 270, 24, Quint. VIII 2, 4, Isid. diff. uerb. 513. — 19) Aen. I 193. Don. 395, 1 uit. cacemphaton = Seru. a. l. l. Diom. I 465, 33 cacenphaton ('aeschrologiam' hoc uitium Scaurus appellabat cf. Diom. I 450, 37, Meyer p. 27). — 20) Aen. I 614. Don. 395, 4 uit. pleonasmus = Seru. ad. l. l. cf. ad Aen. IV 359, Diom. (nec Scaur. nec. Don. fons. Meyer p. 27) I 449, 20 uit. pl. Sac. (Don. fons) VI 454, 2 uit. pl. Charis. (Com. Diomed. fons) I 271, 2 uit. pl. Prisc. III 109, 25; cf. praeterea, quod attinet ad Aen. IV 359, Quint. VIII 3, 54, Don. ad Ter. Hec. III 3, 3 Seru. ad Aen. I 208 — B 100. — 21) Aen. I 37, Don. 395, 12 uit. eclipsis. = Seru. a. l. l. cf. Prisc. III 110, 23. — 22) Aen. II 19, Don.

enim simillimi Cominiani et anonymi Charisiani ex diuersis pendent fontt., ex Scauro alter, alter ex nescio quo (cf. Meyer p. 64). 1) Cf. Meyer p. 29: posterior tantum definitio, quae alibi non redit, Scauri est

395, 14 uit. tapinosis = Seru. a. l. l. cf. ad Aen. I 118 (definitio eadem quae est ap. Diom. I 450, 27 et Charis. (Com.) I 271, 18). — 23) Buc. VI 76, Don. 395, 16 uit. tapinosis = Seru. a. h. l. cf. Gell. II 6 (Cornutus, defendit poetam Probus), Macr. Sat. VI 7, 4sq., Isid. Or. X 280. — 24) Aen. IX 606sqq., Don. 395, 18 uit. cacosyntheton = Seru. a. l. l. cf. Diom. (nec Scaur. nec Don. fons. Meyer p. 28) I 451, 19 uit. cac. Sac. VI 454, 18 (Diom. fons) uit. cac. Charis. (Comin. Diom. fons) I 271, 24 uit. cac. Isid. Or. I 34, 12.

De metaplasmo.

25) Aen. I 30[1]), Don. (Scaur., definitio enim Scauriana est cf. Diom. I 441, 31) 396, 12 Metapl. apocope = Seru. a. l. l. (plenior) cf. Aen. I 220, VIII 383, 'sic Asper', Consent. V 388, 21 met. apocope. — 26) Aen. IV 52, Don. 396, 16 metapl. systole = Seru. a. l. l. cf. ad Aen. I 535 ('ut in artibus lectum est') Diom. (Scaur. cf. Meyer p. 12, 38) I 442, 10 met. syst. Anon. de ult. syll. IV 263, 19 (259, 15), Consent. V 389, 8, Mar. Vict. VI 29, 6, 220, 22. — 27) Aen. VI 802, Don. 396, 21 met. episynaliphe = Seru. a. l. l. cf. Diom. (Scaur.) I 442, 22 met. epis. Sac. VI 449, 5, 453, 2 met. epis. uel synaeresis. Charis. (Com.) I 279, 7 met. epis. An. de ult. syll. VI 263, 26 met. epis. Prisc. III 113, 3. — 28) Aen. I 3, Don. 396, 29 met. ecthlipsis. = Seru. a. l. l. cf. Diom. (Scaur.) I 442, 27 met. ecthl. Charis. (Comin.) I 279, 14. Anon. de ult. syll. VI 264, 12. Consent. V 390, 9, Isid. Or. I 35, 6, Quint. XI 3, 34. — 29) Aen. X 394, Don. 397, 3 met. metathesis = Seru. a. l. l. cf. Diom. (Scaur.) I 442, 33, Charis. (Com.) I 279, 20, An. de ult. syll. VI 264, 16, Consent. V 390, 20, Isid. Or. I 35, 6. — 30) Aen. X 481, Don. ad Ter. Ad. II 3, 11 met. apocope = Seru. a. l. l. (am-

1) Kirchnerus 'Seru. u. Prisc.' p. 32 male meo quidem iudicio confundit metaplasmos antiptosin, apocopen, synaeresin, nam Seruium cum dicentem inueniamus (ad Aen. I 30): 'detrahitur autem (sc. 's' littera) tertiae declinationis genetiuo', luculentissime inde apparet commentatorem dicere non uoluisse hic datiuum pro genetiuo positum esse a poeta (id est 'antiptosin' factam), sed genetiuum mansisse deleta per apocopen finali littera. Item Aen. I 220 'acris Oronti' apocopen esse, non antiptosin ostendit adiectiui nominis forma. Contra, quos una cum his adfert locos ad Aen. I 120 et Prisc. II 246, 16 — potuit adicere III 187, 12 sqq. — luce clarius est esse de antiptosi, item locos Aen. X 262 (cf. no. 110), Buc. VI 78, Georg. IV 544, Prisc. II 39, 13, 276, 1 de synaeresi.

plior) cf. Diom. (Scaur.) I 441, 33, Charis. (Com.) I 278, 23, An. de ult. syll. IV 263, 15, Consent. V 388, 22.

De schematibus.

31) Aen. III 359, Don. 397, 16 schema zeugma = Seru. a. l. l. cf. ad Aen. I 120, III 260. Diom. (Scaur.) I 444, 11, Sac. VI 456, 23 sch. hypozeuxis (cf. Keilii adn.) Charis. (Com.) I 280, 11. — 32) Aen. III 183, Don. ad. Ter. Eun. IV 7, 10 = Seru. a. l. l. cf. Aen. II 199. Sac. VI 459, 1 schema parhomoeon, Mart. Cap. 169, 27 Eyss., Isid. Or. I 36, 4.

De tropis.[1])

33) Aen. V 8, Don. 399, 22 Trop. metaphora = Seru. a. l. l. cf. Diom. I 457, 21, Charis. (Com.) I 272, 21. — 34) Aen. IV 246, Don. (Diom. fons) 399, 24 Trop. metaphora = Seru. a. l. l. — 35) Buc. I 70, Don. 400, 6 Trop. metalepsis = Seru. a. l. l. (cf. inp. adn. Thilonis crit.). — 36) Aen. VII 133, Don. 400, 9 Trop. metonymia = Seru. a. l. l. (definitio). — 37) Aen. VII 147, Don. (Diom. fons) 400, 9 Trop. metonym. = Seru. a. l. l. cf. Diom. I 458, 16, Sac. VI 467, 9. — 38) Plauti inc. fab. fr. XXXIX v. 267, p. 71 W., Don. 400, 13 Trop. meton. = Seru. ad Aen. I 724 — A 33 — plenior cf. Diom. I 458, 25 Isid. Or. I 37, 9, Quint. VIII 6, 24. — 39) Aen. I 399, Don. 400, 26, Trop. synecdoche = Seru. a. l. l. — B 112 — (plenior) cf. Diom. I 459, 30 Trop. synecd. Charis. (Com.) I 274, 22. — 40) Aen. I 114, Don. 400, 27 Trop. synecd. = Seru. a. l. l. cf. Diom. I 459, 25, Sac. VI 468, 4, Charis. (Com.) I 274, 18. — 41) Aen. XII 119, Don. 400, 28 Trop. synecd. = Seru. a. h. l. cf. Aen. XII 417, Diom. I 459, 28. — 42) Aen. IV 584, Don. 401, 1 Trop. periphrasis = Seru. a. l. l. cf. Aen. XII 76, Diom. I 460, 13, Charis. (Com.) I 274, 30, Isid. Or. I 37, 15. — 43) Georg. III 135, Don. 401, 2 Trop. periphrasis = Seru. a. l. l. (plenior) cf. Diom. I 460, 20, Quint. VIII 6, 8. — 44) Aen. I 179, Don. 401, 8 Trop. hyperbat. hysterol. Don. ad Ter. Ad. V 3, 60 = Seru. a. l. l. (plenior) cf. Diom. I 461, 20. — 45) Aen. I 643, Don. 401, 12 Trop. hyperb. parenthesis. = Seru. a. h. l. cf. Aen. I 65, Diom. I 461, 5 Trop. hyperb. dialysis siue p. Isid. Or. I 37, 18. — 46) et 47) Georg. III 381,

1) Inde, quoniam Meyer de Diomedis parte quae est de tropis agere supersedit, quae sint Scauriana, quae non, definire non possumus.

Don. 401, 15 Trop. hyperb. tmesis. = Seru. a. l. l. cf. Diom. I 460, 32 Trop. hyperb. diacope s. tmesis, Sac. VI 466, 26, Charis. (Com.) I 275, 11, Quint. VIII 6, 66, Prisc. III 113, 9. — Enni fr. XLIX v. 552 p. 63 M., Don. 401, 16 Trop. hyperb. tmesis = Seru. ad Aen. I 412 — C 32 — plenior, cf. [Serg.] expl. in Don. IV 565 K. Isid. Or. I 36, 19. — 48) Aen. I 108, Don. 401, 20, Trop. hyperb. synchysis. = Seru. a. l. l. cf. Diom. I 461, 12, Sac. VI 466, 21, Charis. (Com.) I 275, 18, Quint. VIII 2, 14. — 49) Georg. II 541, Don. 401, 27 Trop. allegoria = Seru. a. l. l. cf. Diom. I 462, 1, Sac. VI 461, 9, Charis. (Com.) I 476, 5. — 50) Aen. IV 93, Don. 401, 31 Trop. alleg. ironia. Don. ad Ter. Eun. I 2, 9, V 2, 55, 69 = Seru. a. l. l. cf. ad Aen. VII 556, Diom. I 462, 9, Sac. VI 461, 15. — 51) Aen. XII 359, Don. 402, 14 Trop. alleg. sarcasmos = Seru. a. l. l. cf. ad Aen. II 547, Diom. I 462, 13, Sac. VI 462, 5. — 52) Buc. III 91, Don. 402, 19, Trop. alleg. astismos = Seru. ad Aen. II 547 cf. Diom. I 463, 4, Isid. Or. I 37. 30. — 53) Aen. I 135, Don. ad Ter. Andr. I 1, 137, ad Eun. I 1, 20, V 9, 20 = Seru. a. h. l. — B 9 — plenior, Sac. VI, 468, 14 Trop. aposiopesis Quint. IX 2, 54, Macr. Sat. IV 6, 20, Isid. Or. II 31, 36. — 54) Ter. Adelph. II 1, 42, Don. ad Ter. Ad. II 1, 42 = Seru. ad Aen. II 463, VII 49, Georg. IV 319, 459 — B 98[a]—, cf. Sac. VI 462, 17, Tropus allegoria cacophemia (dysph.) Non. 417, 25, 388, 8 etc.

Quid comparatis Donatianis his locis cum Seruianis concludere possumus? Locis 1, 2, 6, 19, 21, 24, 27, 28, 29, 33, 34, 35, 36, 37, 40, 48, 49, 53 Seruium, hic illic diuersis a Donato uerbis usum, tamen noui nihil ad ea quae Don. protulerat afferre uidemus. Locis dein 3, 4, 7, 8, 9, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 20, 22, 23, 25, 30, 31, 32, 38, 39, 41, 42, 43, 44, 45, 46, 47, 50, 51, 52, 54 Seruio pleniorem fontem ad manus fuisse quam ea sunt, quae ad hoc tempus sub Donati nomine feruntur inde elici potest, quod ille uel ad unum, uel ad plures uersus Verg. paulo plenius, quamuis de isdem rebus, quae et apud Donatum sunt, agit quam hic. Concedentibus igitur in uniuersum, Donatianum fontem his omnibus locis Seruium respexisse — nec habemus cur id negemus — nil aliud relinquitur quam conicere fontem illum fuisse omnium qui adhuc Donatiani supersunt librorum ampliorem, id quod iam per se mirum non est: nam Terenti commentarium olim ampliorem fuisse, nec ad nos peruenisse nisi miserrime dilaceratum, coartatum, interpolatum omnes scimus. Contra artem

Donati unquam fuisse copiosiorem uix dixeris: in ea enim grammaticum consulto quam breuissime omnia tractasse legis 393, 26, 397, 7, 400, 14 al.; praeterea extat testimonium quo discimus non modo non in angustum coactum esse illum librum per temporum spatia, uerum etiam auctum multifariam interpolatumque, (cf. Gr. lat. V 325, 1sqq.).[1]) Si quis ex me quaerat: quid tu? quonam ex fonte tu Seruium Donatiana hausisse credis, quatenus spectant ad rhetoricam artem? Respondeam: ex commentario Donati Vergiliano. Quae sententia quamuis nullo modo firmari ita possit atque stabiliri, ut de ea dubitet nemo — commentarius enim ille seruatus non est — tamen haud ita improbabilem esse concedes. Ex arte non hausit, hoc constat: nam 31 locis copiosius disputat quam artis scriptor. Potuit haurire ex Terentiano commentario. At uere credes Vergilii commentatorem Terentii potius quam Vergilii commentarium adhibuisse? Igitur adhibuit Donati in Aeneida commentarium certe his quidem quos modo spectauimus locis.[2]) Difficilius quaerentibus de locis 5, 10, 11, 12, 26 res cedet. Quas adnotationes si commentarii fines excedere quis uelit, refellere eum nequeam, praesertim cum Seru. ipse locis 11 et 26 uerbis 'ars exigit' et 'ut in artibus lectum est' significare uideatur, se talia ex arte quadam, non ex commentario hausisse. Aliter hoc explicare mihi non possum quam sic: haec copiosissima Seru. ex isdem fontibus hausit ac Don., non recta uia ex Don. Restat ut adnotemus, siquidem Meyero fidem uis habere, locos 1, 3, 4, 7 (?), 8 (?), 9, 25, 26, 27, 28, 29, 30, 31 inde e Scauri — Palaemonis (M. p. 29) copiis fluxisse et 14, 25 — propter Sallustiana — fortasse ex Aspro.

Loci 56, quibus Seruiana scholia non respondent Donatianis unde fluxerint difficillimum esse demonstratu elucet. Tamen maximam partem eos aliunde non irrepsisse si suspicamur, non modo probabilitate innitimur, sed etiam ea re, quod Diomedes (Scaurus), Cominianus (Charis.), Sacerdos, Anon. Charisii, An. de ult. syll., Consentius pergunt similia proferentes Seruianis. Quod statim

1) Rosenstockius tamen l. l. p. 55sqq. uerisimile certe fecit quibusdam locis, cum Pompeius, Seruius, [Sergius] commentatores Don. hic illic de re grammatica apud Don. tractata consentiant, qualis apud eum non inueniatur, Don. artem decurtatam esse a posterioribus: sed minoris momenti sunt quae affert. 2) Quod attinet ad l. 7 quin Donatus Capri quoque usus sit libris minime dubitamus: cf. Pomp. comm. V 243, 21: 'solus Donatus audet hoc dicere, sumpsit consilium a Capro' Prisc. II 260, 18: 'teste Donato et Capro'.

uidebis. Nam cum Diomede consentit Seruius (cf. supra 1, 4, 6, 7, 9, 12, 18, 19, 20, 24, 26, 27, 28, 29, 30, 31, 33, 37, 38, 39, 40, 41, 42, 43, 44, 45, 46, 48, 49, 50, 51, 52) his locis:

55) Aen. VIII 630, Diom. (Scaur.) 441, 9 metapl. epenthesis 452, 9 barbarism. adi. syllabae = Seru. ad Georg. I 137, cf. Sac. VI 452, 2 metapl. epenth. Charis. (Com.) I 278, 11, An. de ult. syll. IV 263, 3, Cons. V 388, 4 (cf. no. 106.) — 56) Aen. IV 493, Diom. (Scaur.) 441, 15 met. prosparalepsis = Seru. a. l. l. (plenior), cf. Anon. de ult. syll. IV 237, 1, 263, 6. — 57) Aen. XII 454, Diom. (Scaur.) 441, 24 metapl. aphaeres. = Seru. a. l. l. — 58) Aen. III 354, Diom. (Scaur.) 442, 14 metapl. diaeresis = Seru. a. l. l. (plenior), cf. Sac. VI 449, 2, Anon. de ult. syll. IV 263, 23, Prisc. II 37, 17, 284, 22, III 112, 20, Vel. Long. VII 57, 25, Scaur. VII 16, 19 etc. — 59) Aen. I 2, Diom. (non Scaur. Meyer. p. 18) 443, 31 schema prolepsis = Seru. a. l. l. cf. Hyginum ap. Gell. X 16, 6. — 60) Aen. VIII 27, Diom. (Scaur. cf. Meyer. p. 37sq.) 452, 12 barb. adi. syllabae = Seru. a. l. l. cf. Aen. VI 653, Acr. in Hor. carm. I 1, 33, Prisc. II 355, 25. — 61) Aen. XI 112, Diom. (Scaur.) 454, 21 soloecismus per temporum imm. = Seru. a. l. l. (Diomed. def.), cf. Com. I 267, 9 sol. per modos. — 62) Georg. II 425, Diom. (Scaur.) 454, 27 sol. per qualitates uerbb. = Seru. a. l. l. cf. ad Aen. XI 660, Prisc. II 390, 26 (teste Capro cf. no. 104) 393, 18, 432, 8, III 364, 11. — 63) Aen. I 176, Diom. (Scaur.) 455, 3 sol. per praepositiones = Seru. a. l. l. cf. ad Aen. II 401, I 295, VI 203. — 64) Aen. VIII 64, Diom. 458, 19 trop. metonymia = Seru. a. l. l. cf. Aen. XI 125, Sac. VI 467, 10. — 65) Aen. I 202, Diom. 458, 29 trop. meton. = Seru. a. l. l. (plenior). — 66) Aen. I 1, Diom. 459, 6 trop. antonomasia = Seru. a. l. l. — 67) Aen. I 663, Diom. 459, 17 trop. ant. species epitheton = Seru. a. l. l. (plenior). — 68) Aen. VIII 406, Diom. 460, 17 trop. periphrasis. = Seru. a. l. l. cf. Gell. IX 10 (Cornutus cf. Ribb. prol. p. 125sqq.), Sac. VI 467, 25 Charis. (Com.) I 275, 3, Isid. Or. I 37, 15. — 69) Aen. V 663, Diom. 460, 29 trop. hyperb. anastrophe = Seru. ad Aen. II 162 (hysterologia), Buc. VI 19, Charis. (Com.) I 275, 9 anastr. (cf. no. 84.) — 70) Aen. I 195, Diom. 461, 9 trop. hyperbaton synchysis = Seru. a. l. l. — 71) Georg. II 41, Diom. 462, 3 trop. allegoria = Seru. a. l. l. cf. Georg. IV 117. — Porro cum Cominiano coincidit Seruius locis (1, 2, 4, 8, 10; 61) et 72) Aen. XII 216, Comin. (Scaur.) 266, 27 soloecismus per

qualitates uerborum) = Seru. a. l. l. cf. Sac. VI 450, 14. — 73) Aen. I 64, Com. (Scaur.) 266, 32 sol. per qual. praepositionum) = Seru. a. l. l. cf. ad Aen. I 24, Cled. V 25, 12. — 74) Aen. II 554, Com. (Scaur.) 266, 34 sol. per genera nom. = Seru. a. l. l. (plenissimus), Gell. XIII 21, 12 (Probus), Probi inst. art. IV 124, 16, de nom. exc. 209, 31, [Serg.] expl. in Don. 538, 34, Prisc. II 141, 17 (Capri cf. ad no. 7). — Sacerdotis[1]) dein doctrinam redolet Seruius locis (1, 4, 6, 8, 10, 14, 15, 18, 20, 24, 27, 31, 32, 37, 40, 46, 48, 49, 50, 51, 53, 54; 55, 58, 64, 68, 72) et: 75) Aen. VI 529, Sac. 449, 5, 453, 3 met. episynaliphe uel synaeresis = Seru. a. l. l. (non comperit.). — 76) Aen. XI 660, Sac. 450, 10 sol. per genera uerbb. = Seru. a. l. l. (plenior), cf. ad Aen. I 4 (pleniss.), 104 (pleniss.), Non. 472, 9 M., Prisc. II 390, 23 (teste Capro), 393, 20, III 364, 14. — 77) Aen. XI 118, Sac. 452, 8 met. syncope = Seru. a. l. l. cf. An. de ult. syll. IV 263, 10. — 78) Georg. II 192, Sac. (Don. et Diom. def.) 454, 9 uit. tautologia = Seru. a. l. l. cf. ad Aen. I 61. — 79) Buc. II 73, Sac. 457, 20 schema tertia synlempsis = Seru. a. l. l. — 80) Aen. VI 12, Sac. 461, 1 trop. antonomasia = Seru. a. l. l. — 81) Aen. XI 483, Sac. 461, 3 trop. antonomasia (cf. Keili adn.) = Seru. a. l. l. (potest et conferri Diom. [Scaur.] I 446, 29 schema schesis onomaton). — 82) Ter. Heaut. II 1, 16, Sac. 461, 21 trop. alleg. astismos (charientismos) = Seru.[2]) ad Aen. II 715 — B 67 — plenior cf. ad Aen. VII 60, VIII 349, Gell. IV 9, 11, Non. 379, 1 (Hertz, Jhrbb. 1862 p. 788sqq.), 349, 17. — 83) Buc. III 105, Sac. 462, 24 trop. alleg. aenigma = Seru. a. l. l. (amplior). — 84) Buc. VI 19, Sac. 463, 1 trop. anastrophe = Seru. a. l. l. (cf. no. 69). — 85) Aen. VI 724, Sac. 463, 4 trop. catachresis =

1) Incautius quam uerius Kummrowius l. l. p. 20 et 39 affirmasse mihi uisus est, Donatum ne eodem quidem fonte atque Sacerdotem, nedum huius ipsius arte grammatica usum esse. Fontem enim communem subesse locis 10, 14, 15, 18, 20, 32, 53, 54 inprimis respectis negari non potest; artem ipsam Don. non adhibuit, hoc concedo. Sin uero quis dicat Seruium fortasse Sac. artem ipsam adhibuisse, hoc de rhetoricis quidem infitias eo: plerumque enim Seru. pleniora exhibet quam Sacerdos. Adhibuit igitur per ambages. 2) Seruium cohaerere cum Sacerdote non statim intellegitur, at conferenti Seru. Aen. VII 60 'metu: relligione quae nascitur per timorem' dubium non erit quin hic quoque ex Serui sententia urbanitate quadam et per euphemiam, i. e. astismo ut Sac. uult, relligio sit posita pro eo, per quod nascitur: timore, quamuis expressis uerbis non dicat.

Seru. a. l. l. — 86) Aen. III 641, Sac. 463, 11 trop. epitheton = Seru. a. l. l. (plenior). — 87) Aen. I 148, Sac. 464, 2 trop. homoeosis parabola = Seru. a. l. l. (plenior) cf. Vict. ad Cic. p. 97 Orell., Isid. Or. I 37, 35. — 88) Aen. III 238, Sac. 466, 11 trop. hysterologia = Seru. a. l. l. — 89) Aen. I 342, Sac. 466, 31 trop. metaphora = Seru. a. l. l. (plenior). — 90) Georg. I 277, Sac. 467, 16 (coni. ed Vind. cf. Keilii adn.) trop. metonymia = Seru. a. l. l. cf. ad Georg. I 331. — 91) Aen. IV 6, Sac. 467, 22 trop. periphrasis = Seru. a. l. l. — 92) Buc. I 83, Sac. 468, 9 trop. synecdoche = Seru. a. l. l. — 93) Aen. II 100, Sac. 468, 16 trop. aposiopesis = Seru. a. l. l. Macr. Sat. IV 6, 22. — Veniendum nunc ad Anonymum Charisii, qui Seruiana in mentem nobis reuocat locis (8, 16, 17, et): 94) Aen. II 1, An. Char. 266, 8 barb. immutatione = Seru. a. l. l. cf. Charis. 175, 13 (Velius Longus) cf. Ribb. prol. p. 169, Quint. I 5, 43. — 95) Aen. V 251, An. Char. 268, 21 solocc. cum absol. pro deriuatiuo nomine ponitur = Seru. a. l. l. — 96) Buc. VIII 28, An. Char. 269, 2 sol. per genera nominibus = Seru. a. l. l. (plenior) cf. Aen. VIII 641 ('ars'), Georg. I 183 (plenior), III 539 (plenior), Prisc. II 141, 18 (Caper cf. ad 7 et 97), 144, 16, Acron ad Hor. carm. I 2, 9, Quint. IX 3, 6. — 97) Georg. I 183, An. Char. 269, 6 sol. per genera participiis = Seru. a. l. l. cf. Buc. VIII 28, de dub. nom. V 592, 1 (Caper), Prisc. II 144, 12, Quint. IX 3, 6. — 98) Aen. II 89, An. Char. 269, 10 sol. per numeros pron. = Seru. a. l. l. — 99) Aen. VI 896, An. Char. 269, 18 sol. per figuras nominibus = Seru. a. l. l. cf. ad IV 9 (plenior) 'sed si terret legerimus — manes' V 840 (plenior), Charis 107, 17: 'insomnia — manes'.[1]) — 100) Georg. III 311, An. Char. 269, 20 sol. per figuras nominibus = Seru. a. l. l. — 101) Aen. II 595, An. Char. 269, 30 soloecismo personae immut. pronominibus = Seru. a. l. l. (plenior) cf. Gell. XX 6 (Sulpicius Apollinaris). — 102) Aen. I 19, An. Charis. 270, 8 sol. ordo immutatur temporibus uerbb. aut participiorum = Seru. a. l. l. — 103) Aen. II 114, An. Char. 270, 11 sol. ordo immut. temporibus uerbb. aut participiorum = Seru. a. l. l.[2]) — 104)

1) Hic solum de soloecismo nobis sermo est, per quem 'insomnium' uox pluraliter pro eo quod uidemus in somnis usurpatur, de 'insomnia' uocabulo generis feminini numero sing. more antiquorum posito pro 'uigilia' uid. supra p. 330. 2) Legit Don. ad Eun. III 5, 10 'scitatum' ut an. Char. et 'alii' apud Seruium. Ceterum quis non uidit Seruii 'inquisitum' sensu idem esse atque Charisii 'sciscitatum'?

Aen. II 9, An. Char. 270, 14 sol. ordo imm. significationibus uerborum participiorumque = Seru. a. l. l. cf. ad Aen. I 104, IV 251, XI 660, Prisc. II 390, 18 (teste Capro cf. no. 62). — 105) Aen. I 728, An. Char. 270, 17 sol. ordo immutatur aduerb. sign. = Seru. a. l. l., Schol. Hor. ad Epod. V 47. — Tum respicientes anonymum de ultimis syllabis similia Seruianis inueniemus his locis (2, 26, 27, 28, 29, 30; 55, 56, 58, 77) et: 106) Georg. I 137, An. de ult. syll. 263, 3 metapl. parenthesis = Seru. a. l. l. (cf. no. 55.) — 107) Aen. VII 464, An. de ult. syll. 263, 24 metapl. diaeresis = Seru. a. l. l. (plenior) cf. Consent. V 389, 14, an. Bob. I 537, 27. — Consentii[1]) denique ars cum Seruio rem facit locis (1, 2, 3, 4, 25, 26, 28, 29, 30; 55, 107) et: 108) Aen. I 26, Consent. 388, 16 met. syncope = Seru. a. l. l. — C 51 — plenior cf. et Diom. (Scaur.) I 453, 2 barb. per ecthlipsin.[2]) — 109) Aen. I 73, Consent. 389, 5 met. ectasis. Aduersatur pro 'systole' habens Seru. a. l. l. (plenior). — 110) Aen. XI 262, Consent. 389, 24 met. episynaliphe = Seru. a. l. l. (synaeresis) cf. [Aspri] ars V 548, 20. (cf. adn. ad no. 25.)

Unde fluxerint loci 55—110, parum esse manifestum iam dixi, fontemque esse Donati commentarium Vergilianum aliter uix potest contendi, quam mera coniectura. Consentaneum uero est talem fontem subesse: locis enim 57, 59, 61, 66, 68, 70, 72, 75, 77, 79—81, 85, 88, 91—95, 98, 100, 102, 103, 105, 106, 110 quamuis Seruius non fusius agat quam grammatici, quorum similes locos attulimus, ita ut inde nil concludi possit, loci tamen 55, 56, 58, 60, 62 (Capri), 63—65, 67, 69, 71, 73, 78, 82—84, 86, 87, 89 (Aspri?), 90, 99, 107—109 paulo pleniores pro parte certe commentarii magis speciem prae se ferunt quam artis. Locos contra qui restant: 62, 74, 76, 96 et 97, 101, 104 arti ascribas, quippe qui sint plenissimi. — Scauri — Palaemonis sec. Meyerum sunt loci: 55—58, 60—63, 108, Capri 62, 74, 96 et 97, 104.

§. 5. At reuocemus nos ad id, quod inprimis nobis propositum est atque cogitemus necesse est de fontibus eorum scholiorum, antiquorum scriptorum uerbis instructorum, quibus rhetoris

1) Meyero (p. 40) assentior, qui complurium grammaticorum disputationes suo ingenio iudicioque disposuisse, auxisse, mutasse Consentium censet. 2) Rectius Keilius ueterum editionum lectionem 'repostum' secutus esset, quam codicum 'repsitum'.

officiis Seruius fungitur. — Modo actum de his: C 25. Aen. XI 236. 'olli: 'illi' secundum Ennium.' (Palaemon — Scaurus — Donatus — Seruius — supra no. 4). A 24. Aen. V 19. 'mutati transuersa fremunt: hinc atque hinc. est autem aduerbium factum de nomine, ut [Aen. IX 122] item [Georg. III 499]. nomen et aduerbium plerumque in se transeunt: nomen in aduerbium [Aen. VII 399] ... item aduerbium in nomen, ut [Georg. III 325] ... sic Persius [V 68]. sed nomen cum aduerbium esse coeperit, fit indeclinabile; aduerbium cum nomen esse coeperit, declinatur: unde ait Plautus a mani ad uesperum. 'a mane' autem propter triptoton non dixit: cum enim in alienum ius transeunt hae partes, non suis, sed earum ad quas transierint utuntur potestatibus, dumtaxat in declinatione. nam temporum rationem suam reseruant: ut hoc loco 'transuersa', cum aduerbium sit, 'a' tamen breuis est, quia uenit ex nomine, licet duae consonantes sequantur: cum sciamus 'a' terminata aduerbia longa esse, ut paulo post [V 27].' (Donatus — Seruius — supra no. 5). Liceat, cum quis hic de Donato Seruii fonte adhuc possit dubitare, alia quoque uia rationem inire, quam persequentes ad eundem finem perueniamus. Proficiscamur inde a simillimo Prisciani loco, qui scriptor libro X (II 551, 4 H.) postquam exposuit ex numero partium orationis praeter uerbum et nomen aliam nullam, nec participium nec ceteras quinque (nempe pronomen, aduerbium, praepositionem, coniunctionem, interiectionem) a sua ui nominatam esse, sed ab adiunctione quam habeant ad nomen uel uerbum, sic pergit (p. 551, 18 sqq.): 'Itaque quibusdam philosophis placuit nomen et uerbum solas esse partes orationis, cetera uero adminicula uel iuncturas earum, quomodo nauium partes sunt tabulae et trabes, cetera autem, id est stuppa et claui et similia, uincula et conglutinationes partium nauis, non partes nauis dicuntur. sed est obiciendum ad hoc, quod cera et stuppa non ex eadem constat materia, ex qua tabulae et trabes, coniunctiones autem et praepositiones et similia ex eadem sunt materia, ex qua et nomen et uerbum constat ... itaque et per se prolatae quod partes sunt orationis ostendunt ... quod si non essent partes, numquam loco earum nomina ponerentur ... inuenimus enim loco aduerbii nomen ... et pronomen similiter ... et loco coniunctionis tam nomen quam pronomen ... et aduerbium loco nominis ut mane nouum et 'sponte sua' et 'euge tuum' et 'belle' et 'cras alterum' e. q. s. Quo ex loco priusquam quicquam colligi potest sciamus necesse est, qui sint illi philosophi — graeci nempe — qui nomen modo et uerbum pro orationis partibus habentes ab

aliis refutati sint. Atque auxilio nobis est (cf. Hertzii adn. ad Prisc. l. l.) Lerschii locus quidam (Sprachphilos. d. Alt. II 51), quo ille u. d. respiciens Prisc. II 54, 5 H. ostendit dialecticos duas modo orationis partes statuisse, Clitomachi Carthaginiensis discipulos, qui ipse Carneadem academiae philosophum audierat. Porro idem u. d. nos docuit uerba Prisciani de tabulis et trabibus, quibus dialecticorum sententiam defendi dicit e commentario quodam graeco translata esse quam circa annum 500 p. Chr. Ammonius Hermiae filius Alexandrinus ad Aristotelis librum qui inscribitur *περὶ ἑρμηνείας* conscripsit. Quod sine dubio concedendum est, nec minus probabile uidetur Priscianum ipsum hanc Ammonii de trabibus ratiocinationem pro uana abiecisse.[1]) At utitur latinis quoque exemplis ad prosternendam dialecticorum qui dicuntur philosophorum sententiam. Quae unde hauserit nunc quaestio exoritur. Sane, potuit haurire e quouis grammatico latino, qui modo quattuor ut Varro, uel quinque, ut Stoici, immo plures duabus partibus orationis ipse statuerat. Sed multo magis ueri est simile ex eodem fonte ea exempla promanasse, unde tota de octo partibus orationis doctrina apud Priscianum manauit. Quis igitur Romanorum primus fuit, qui Graecos secutus octo statuit partes orationis? Respondere si uis uelim inspicias Quint. inst. or. I 4, 20: ubi habes: 'Alii tamen ex idoneis dumtaxat auctoribus octo partes secuti sunt, ut Aristarchus et aetate nostra Palaemon' e. q. s. Remmi igitur Palaemonis, celeberrimi illius grammatici qui sub Tiberio uiguit, praeceptoris Quintiliani (cf. schol. Iuuenal. VI 452) doctrinam hunc Prisciani locum redolere mihi nunc uideor euicisse. Tamen nolite putare Priscianum l. l. Remmium ipsum inspexisse. Quod non ita esse paulo infra elucebit. Interim transeamus ad alium locum, qui inuenitur apud Charisium in libr. I cap. XVI (116, 22) ubi similiter atque apud Seruium et Priscianum de aduerbio 'mane' declinato agitur, atque quae affertur uocabulorum conexio 'a mane' quodammodo nobis in memoriam reuocat uersum illum Plautinum a Seruio citatum. Hunc Charisii locum e Palaemonis copiis deriuatum esse iam Schottmüller (l. l. p. 20, assentiente Marschall de Q. Remmii Pal. libr. gr. Lips. 1887 p. 53) alia atque ego de causa coniecit. Tribuit enim totam XVI capitis alteram partem Palaemoni, eo permotus quod in hac capitis

1) Nam Apollonio Dyscolo et Herodiano, quibus in uniuersum fontibus se usum esse ipse profitetur (II 2, 21 H.), propter temporum rationem in refellendo Ammonio se addicere non potuit.

parte 'uelut' coniunctionis usus, quem in citandis exemplis Palaemoni quasi proprium esse scitissime atque diligentissime obseruauit, sat multis locis occurrit. Vides inde firmari aliquantulum quam equidem protuli sententiam. Caue enim ne opponas, id quod Schottmüllerus p. 26 sqq. mira quadam atque nimis magna sagacitate perturbatus excogitauit, Palaemonem Charisianum quarti esse saeculi nec eundem atque Remmium. Hoc non teneri posse iamdudum uiri docti demonstrauerunt (cf. Christ Phil. XVIII 1862 p. 126. Keil. gr. lat. V 334, adn. Morawski Herm. XI p. 352. Vahlen ind. Berol. 1877/78 p. 8. Nettleship Journ. of. Phil. XV (1886) p. 206.[1]) Apud Diomedem Palaemonis doctrina ad uerbum paene redit p. 405, 35. — Restat ut quaeramus quomodo Palaemonis sententia in Seruii commentarios potuerit demigrare. Atque comparemus antiquiorem quasi et simpliciorem huius doctrinae formam, qualis apud Char. et Diom. est, cum pleniore forma, quae cum apud Prisc. (l. s. l. et II 34, 12, 148, 20 praesert. 369, 18), Seru. comm. in Don. (IV 416, 16), [Serg.] comm. in Don. (428, 8), Pomp. comm. (V 136, 3, 24, 255, 33) tum Seruiani commentarii loco A 24 ins. extat. In antiquiore forma, quae propius ad Pal. accedere uidetur, praeter Graeca quaedam nil habemus nisi uersum Plauti sic pro exemplo citatum: 'a mane', at in pleniore forma adduntur quaedam exempla non solum Vergiliana (Aen. VI 82, VII 399, Georg. III 225), quae sis Palaemoni ipsi adscribas, sed etiam Persiana (Sat. I 49, V 68) et Lucanianum (Phars. I 66), quae ille aduocare ne potuit quidem. Nec satis: qui uir Palaemonis sententiam transformauit atque auxit, ille ei in citando Plauto aduersarius quoque exstitit, cum contendat (cf. [Serg.] ad Don. IV 428, 27 et Seru. ad Aen. V 19) non dici posse 'a mane' uerum 'a mani' rectum esse, quia aduerbium pro nomine positum declinetur. Quis fuerit Palaemonis ille sectator, amplificator, aduersarius non adeo difficile est dictu: Aelius enim Donatus fuit sine dubio: [Sergium] nempe et Pompeium a Donato pendere ipsa librorum quos scripserunt indole ostenditur, atque a Prisciano inspectum esse Donatum ipse testis est multis locis. Praeterea si quis quaerat quot orationis partes Don. ipse statuerit: statuit octo (cf. Don. IV 355, 2, 372, 25).

Igitur iterum, sicut antea ad Donatum peruenimus, iterumque, quoniam hanc de qua sermo est rem artis scriptor Donatus duo-

1) Nuper Neumannus (l. l. p. 32) ad Schottmuelleri sententiam rediit, sed parum probabilibus de causis; totam rem mea quidem sententia rectissime absoluit Marschall (l. l. p. 8 sqq.), qui innisus Quintiliani praeceptis grammaticis et ipse quarti saeculi Pal. abiecit.

bus tantum locis quasi stringat (385, 26; 393, 20) de Seruii fonte cogitantes ad Don. commentarium Vergilianum nos religare cogimur.

C 8. Aen. IV 576: 'sancte deorum: aut distingue 'sancte', aut secundum Ennium dixit respondit Iuno Saturnia sancta dearum.' (Scaurus? — Donat. — Seru. — supra no. 8.) — B 19. Aen. II 12: 'quamquam animus meminisse horret: ... quod dixit 'meminisse horret' defectiui uerbi ratio est; nec enim potuit dicere 'meminere' et in his quae corrupta sunt naturaliter, ut 'odi' 'noui' 'memini'. et omnia, tempora quae inueniuntur et suo et aliorum funguntur officio, ut 'memini' praeteritum est, legimus tamen et memini uidere, quo aequior sum Pamphilo et [Georg. IV 125] memini me ... uidisse senem. quod si fit in uerbis integris ... quanto magis in corruptis?' — Georg. IV 127: 'Corycium uidisse senem: ordo est 'memini uidisse'. dicimus autem et 'memini uidere': Terentius memini' e. q. s. cf. Don. ad Andr. II 5, 18, Phorm. I 2, 24. (Caper — Donat. — Seru. — supra no. 10.) — B 77, 105. Aen. VIII 127: 'cui me fortuna precari: antiquum est; nam modo 'quem precari' dicimus: Terentius: credo qui mihi sic oret, item facite ut uobis decet' e. q. s. (Donat. — Seru. — supra no. 14.) — B 100. Aen. I 208: 'uoce refert: pleonasmus est, qui fit, quotiens adduntur superflua, ut alibi [Aen. IV 359]. Terentius his oculis egomet uidi.' (Probus[1]) — Don. — Seru. — supra no. 20.) — A 33. Aen. I 724: 'et uina coronant: 'uina' pro poculis posuit, et est tropus synecdoche, ut Cererem dicimus pro frumento. sic Plautus uinum precemur; nam hic deus praesens adest.'[2]) (Donat. — Seruius — supra no. 38.) Primarius huius adn. fons fortasse fuit Verrius Flaccus, cf. glossam a Goetzio (ind. Ien. 1885/86 p. V) exhibitam hanc 'Ceres frumentum uel panem, Liber uitem uel uinum, Venus libidinem uel holera, Neptunus aquam uel pisces, Vulcanus ignem uel solem significant e. q. s.' Hunc locum uir doctissimus collata Pauli adn. p. 58, 15 M. ad Festum — Verrium rettulit. Plauti quoque uersum iam apud Verrium extitisse ut censeamus inducimur eis, quae identidem apud Goetzium p. V ex Osberno adnotata sunt. — Per Palaemonem — Scaurum ad Donatum peruenisse hoc idem scholion uerisimile certe est, apud Quintilianum enim, qui quomodo cum Palaemone — Scauro coniunctus sit Meyer p. 29 expo-

1) Cf. Ribb. prol. p. 144, contra eum Steup p. 104. 2) Errorem subesse apud Seruium luce clarius est, synecdochen enim posuit pro metonymia. (Vitato errore idem profert Seru. Dan. ad Aen. I 177.)

suit leuem eiusdem doctrinae umbram redire uidemus. (VIII 6, 24). — B 112. Aen. I 399: 'puppesque tuae pubesque tuorum: tropus synecdoche: a parte totum significat, ut Terentius o lepidum caput id est lepidus homo.' (Palaemon — Scaurus [cf. p. 334 adn. 2] Don. — Seru. — supra no. 39.) — C 32. Aen. I 412: 'circum dea fudit: figura est tmesis quae fit cum secto uno sermone aliquid interponimus ... sed hoc tolerabile est in sermone composito, ceterum in simplici nimis est asperum; quod tamen faciebat antiquitas, ut saxo cere comminuit brum.' (Palaemon — Scaurus [cf. p. 334 adn. 2] Don. — Seru. — supra no. 46 et 47.) — B 9. Aen. I 135: 'Quos ego: deficit hoc loco sermo; et congrue, quasi irati et turbatae mentis ... Terentius quem quidem ego si sensero, sed quid opus est uerbis?' e. q. s. (Palaemon — Scaur. [cf. Meyer p. 29 et Quint. IX 2, 54] — Don. Seru. — supra no. 53.) — B 98ᵃ. Aen. II 463: 'summa: extrema, ut 'supremum' summum dicimus: ut pro supreme Iupiter.' — Aen. VII 49: 'ultimus auctor: primus, ut' ... etc. ut ant. — Georg. IV 319: 'extremi amnis: id est summi, unde nascitur, sic dicimus p. s. I.' — Georg. IV 459. 'supremos montes: summos, ut p. s. I.' cf. Seru. Dan. ad Aen. I 58, II 324. (Sacerdotis fons — Don. — Seru. — supra no. 54.) — B 67. Aen. II 715: 'religione patrum: timore, et est reciprocum. sic Terentius nam mihi nihil esse religio est dicere, id est metus; item Vergilius contra ... conexa enim sunt timor et religio' e. q. s. (Sacerdotis fons — Don. — Seru. — supra no. 82.) — C 51. Aen. I 26: 'alta mente repostum: '... repostum' syncope est ... cum omnes sermones aut integri sint aut pathos habeant, hi qui pathos habent ita ut lecti sunt debent poni: quod etiam Maro fecit, nam repostos et porgite de Ennio transtulit.'[1]) (Palaemon — Scaurus Don. — Seru. — supra no. 108.)

Haec quamuis peracta sint Seruii tamen adnotationes rhetoricas non omnes esse exhaustas scit, quiuis leuiter modo in eum inquisiuit. Atque ex illorum qui supersunt locorum numero nunc eos afferam, qui spectant ad propositum meum: barbarismum per detractionem temporis (cf. Don. IV 392, 15, Charis. [Com.] I 265, 14 — Scaur.) significat commentator proferens haec: C 52. Aen. VI 779: 'uiden: 'den' naturaliter longa est, breuem tamen eam posuit secutus Ennium.' — Soloecismos dein his locis: sol. per casus (cf. Sac. VI 450, 1) B 86. Aen. I 267: 'cognomen

1) Kirchner hoc obtrectatoribus Verg. tribuit (?).

Iulo: ... dicimus et 'nomen mihi est Cicero' ut Hecyra est huic nomen fabulae et Ciceronis, ut Sallustius ... et Ciceroni, ut ... et Ciceronem, ut ... melius tamen est Datiuo uti.' Cf. Don. ad Hec. prol. 1. 'Hec. — fab.: nominatiuo casu figurauit: cum in usu sit ut datiuo dicamus: quamuis praesto sint exempla quibus ueteres per omnes fere casus hoc genus locutionis enuntiabant'. Arus. Mess. VII 494, 13. (Don. — Seru.) Sciendum me Seruii locum huc referentem non ita Vergilii quam Terentii exempl. spectasse. — B 39. Aen. I 460: 'Plena laboris: plenus genetiuo melius iungitur, ut Terentius plenus rimarum sum.' Cf. Diom. I 312, 21; 319, 27, [Serg.] expl. in Don. IV 553, 28, Arus. Mess. VII 497, 15.[1]) — B 111. Aen. III 278: 'tellure potiti: 'potior' et 'illa re' dicimus et 'illius rei': sed per septimum in usu est, per genetiuum figurate ponitur. Sallustius ... legimus et per accusatiuum, sed uti non possumus: Terentius patria potitur commoda.' Cf. Don. ad Adelph. V 4, 17, Non. 481, 25, Diom. I 319, 25, Prisc. III 281, 16; 297, 9; 333, 27, Arus. Mess. VII 498, 3.[2]) (Don. — Seru.) — sol. per numeros. B 37. Aen. II 155: 'ensesque nefandi: inuidiose ad pluralem transit numerum, ut Terentius non perpeti meretricum contumelias.' — Aen. X 848: 'per uulnera seruor: ... inuidiose 'uulnera' ait pro 'uulnus', sicut Terentius' e. q. s. — Buc. III 106. 'dic quibus in terris e. q. s.: ... multi uolunt 'nomina regum' pro 'nomen regis' positum, ut sit quemadmodum in Terentio' e. q. s. Cf. Don. ad Andr. III 2, 26. (Don. — Seru.) — B 91. Aen. X 532: 'gnatis parce tuis: ... quod dicit 'gnatis parce tuis', cum supra dixerit 'gnatoque patrique' non est contrarium, nam liberos etiam unum dicimus filium, adeo ut Terentius etiam filiam liberos dixerit, ut in Hecyra qui illum dignum decreuerunt, suos cui liberos committerent.' Cf. Gell. II 13, Don. ad Hec. II 1, 15. (Don. Seru.) — sol. per tempora. B 73. Georg. I 187: 'contemplator item: 'contemplator' ... imperatiui modi tempus futurum pro praesenti 'contemplare' ... Terentius: loquitor paucula pro 'loquere'. Cf. ad

1) Sol. est cum 'plenus' ablatiuo iungitur, cuius structurae exempla proferunt Diom. et rell. l. l. non ipse Seruius, cuius tamen adn. cum pleniore illorum cohaerere nemo neget. 2) Ceterum adnotandus locus supra allatis quasi cognatus quem item huc referam, quamuis de soloecismo nil habeat, A 3. Aen. IV 229: 'grauidam imperiis ... ideo 'grauida' ablatiuo iungitur, quia etiam 'grauis illa re' dicimus, unde est huius origo sermonis, sic Plautus in Amphitruone uxor tua non puero, sed peste grauida est.' Cf. Arus. Mess. VII 476, 22.

Georg. IV 61, Don. ad Ad. V 8, 17, Diom. I 339, 29 sqq. (Don. — Seru.) — sol. per modos uerborum. B 32. Aen. VI 544: 'ne saeui: ne irascere: Terentius ne saeui tanto opere. et antique dictum est, nam nunc 'ne saeuias' dicimus nec imperatiuum iungimus aduerbio imperantis.' Cf. Don. ad And. V 2, 27. (Don. — Seru.) — sol. per geminationem abnuendi (cf. Diom. — Scaur. I 455, 12). B 63. Aen. II 247: 'non umquam: ... si 'non numquam' esset, duae negatiuae facerent unam confirmatiuam: licet Terentius graeco more dixerit agrum in his regionibus meliorem neque pretii maioris nemo habet.' Cf. Don. ad Eun. V 8, 47.[1]) — Vitia orationis. uit. acyrologia. C 18. Aen. VII 622: 'rupit Saturnia postes: acyrologiam fecit commutando Ennii ... belli ferratos postes portasque refregit.'[2]) — Vit. pleonasmus. B 107. Aen. IV 83. 'absens absentem: Terentius: praesens *praesentem* eripi, abduci ab oculis.' Cf. Don. ad Adelph. IV 5, 34. 'Praesens *praesenti*[3]) eripi: adiuuant significationem haec ex abundanti addita, ut [Aen. IV 83] et [Aen. X 600]' e. q. s.

Haec nunc referre uolui, quamuis pleonasmus in Donati modo codicumque Terentianorum uers. Ter. lectione insit, quae est 'praesens praesenti'. Nam si ita legimus, ut Bentleius u. d. ad locum Adelphorum exposuit 'idem est qui praesens est et cui praesenti eripitur', merus igitur extat pleonasmus. Contra nec recipiens 'praesens praesentem' nec respiciens cum Seruio et Donato locos Verg. Aen. IV 83, X 600 de pleonasmo cogitabis, uerum de grauitate modo quadam dictionis, nam illic semper duo significantur. Vides igitur qualem Donatus commiserit confusionem comparans Terentianum locum pleonasmo uitiatum cum Vergilianis, qui pleonasmum non habent. Qua in confusione offendens Seruius mea quidem sententia proprio Marte Terentianum locum ita correxit, ut cum Vergiliano possit congruere. Seruianam igitur lectionem, quamuis omnibus debeat arridere tamen nil esse censeo nisi coniecturam, obstat enim codd. Ter. auctoritas omnium prohibetque ne in textum recipiamus. (Idem sentire uidentur editores Ter. Umpfenbach et Dziatzko, Seruium et Bentl. secutus est Fleckeisen.) Pleonasmum hic omnino ferri non posse nego, notabilem esse concedo. — Metaplasmum[4]) habemus epenthesin. A 14. Aen. III 686:

1) Patet nostri in fonte (Don.?) 'non numquam' lectionem infuisse soloecismumque defensum fuisse uersu Ter. allato. 2) Obtrectatoribus tribuit Kirchner (?). 3) Sic cum codd. Ter. 4) Cf. quae de syncope dixisse traditur Plinius (ad Aen. II 18) et Probus (ad Aen. III 3), de

'ni teneant cursus: antiqui 'ni' pro 'ne' ponebant: qua particula plenus est Plautus ni mala ni stulta sis.' Cf. Prisc. II 61, 17: 'ni' quoque pro 'ne' accipitur sicut ... uersus ostendit [Aen. l. l.] ... quod etiam Donatus in commento Aeneidos affirmat, dicens 'ni pro ne sic ueteres.' Don. ad Eun. II 3, 36, III 3, 2. — Schemata sunt: sch. epanalepsis (ex priore Diomedis — Scaur. — definitione quae est — I 445, 25 —: 'epanalepsis est cum maiore significatu facta repetitio'): B 13. Aen. VIII 84: 'tibi enim: uacat 'enim' ... integrum est ergo 'tibi', ut ex iteratione crescat augmentum. Terentius o Mysis, Mysis.' Cf. Don. ad Andr. I 5, 47: 'Mysis, Mysis: primum uocandi, alterum increpandi est.' (Palaemon — Scaur.? — Don.? — Seru.) — sch. climax. C 70. Aen. IX 570: 'Caenea Turnus, Turnus Ityn: ut ait Lucilius bonum schema est, quotiens sensus uariatur in iteratione uerborum [et in fine positus sequentis sit exordium, qui appellatur climax].'[1]) Hunc locum Thilo (praef. ed. Seru. p. XXI) non sine uerisimilitudinis specie ad Probum reuocat, putatque diplen aperisticton huc ab illo appositam fuisse, qua nota in propriis poetae figuris annotandis utebatur. — Ceterum nil certi scimus, cum uix cohaereat cum Diomedis (I 448, 12 — 449, 4) de hoc schemate tractatu (cf. Quint. IX 3, 54 sqq., Isid. Or. II 21, 3, Kummrow. p. 31 sqq., 36, Meyer p. 29). — Intercedunt duae schematum dianoeas commemorationes, de quibus ex illorum quos supra attulimus grammaticorum numero solus Charis. (Com.) I 283, 15 — 287, 16 agit, quem tamen cum Diomede, Donato, Sacerdote communibus fontibus esse iunctum uidimus: — sch. dian. per dialogismon. B 36. Aen. IV 534: 'en quid ago?: ... est comicum principium nec incongrue amatrici datum. sic Terentius quid igitur faciam? nam haec coniunctio multa eum cogitasse significat.' — Aen. IX 778: 'quo deinde fugam: ... sic est dictum post cogitationem quo deinde? sicut Terentius dixit' e. q. s.[2]). Cf. Charis. (Comin.) I 283, 20: 'fit schema dianoeas ... per dialogismon ut apud Terentium est [l. l.] hic persona introducta quaerit apud se, quaenam potius utilitati suae pars eligenda sit.' Don. ad Ter. Eun. I 1, 1, Macrob. IV 6, 11. (Charis. fons — Don. — Seru.) — sch. dian. per epitropen. B 97. Aen. IV 381: 'i sequere

epenthesi Plinius (ad Aen. II 69), de antithesi Verrius Flaccus (ad Aen. VIII 423), quae ex Capro hausta esse Kirchnero concedimus, fortasse uero per Donatum ad Seruium uenerunt, Donati enim ad Ad. III 3. 1 adn. Probum redolet ad Aen. III 3. 1) 'Et — climax' Seru. Dan. uerba sunt. 2) Obtrectatoribus tribuit Kirchner (?).

Italiam uentis: satis artificiosa prohibitio, quae fit per concessionem: quae tamen ne non intellecta sit persuasio, permiscenda sunt aliqua, quae uetent latenter ... sic Terentius profundat perdat pereat, nihil ad me attinet.' Cf. Don. (ad Ad. V 9, 34 ... 'ἐπιτροπή est figura, qua inuitos nos permittere ostendimus, quod nolumus fieri' ad Ad. I 2, 54: 'profundat perdat: ἐπιτροπή figura. Vergilius [Aen. IV 381] ... haec sic pronuntianda sunt, ut ostendatur gestu nolle quod loquitur.' Cf. Iul. Rufin. p. 45, 17 H., Isid. Or. II 21, 18. Ad ea quae Charis. de hoc schemate profert (I 287, 7) nolite respicere, item Quintilianus (IX 2, 48) uersum Vergil. εἰρωνείας exemplum proferens huc non est referendus. (Cf. Volkmann Rhetorik p. 427.) (Don. — Seru.)[1]) — Transeundum denique ad troporum commemorationes. Trop. metaphora reciproca (cf. Don. IV 399, 29, Diom. I 457, 24, Charis. I 272, 22). B 93. Aen. I 92: 'Frigore: timore. et est reciproca translatio; nam et timor pro frigore et frigus pro timore ponitur, ut in Terentio uxorem tuam pauitare aiunt non timere, sed laborare frigori-

1) Ceterum quod Terentianus de quo hic agimus uersus solus est, qui simul apud Seruium, simul apud Festum (p. 229, 1 s. v. professus) aduocatur, ignoscant uelim lectores arripienti mihi hic occasionem proferendi supplementum quoddam lacunae Festinae, quod olim mihi forte obuenit perlustranti atque conferenti inter se Festi libros atque Terentii. — Habemus enim apud Festum p. 217 M. locum sic seruatum atque ex parte iam restitutum (addamus ea quae praecedunt, ut uideamus quantum spatii nobis explendum sit:

(s. u. perpetrat:) quod conuer-
2. sum iam [in obscenum sensum est // Perpulit persuasit
3. impulit — — — — — — — — — — —
4. do me per[pulit. — — — — — — — — — —

Recte secundi uersus lacunam expletam esse ex Pauli uerbis colligendum uidetur, qui (p. 216) 'perpulit' uocem explicat per 'persuasit impulit'. Ad hunc Festi locum mihi et sensu et litterarum spatio quadrare uisus est uersus Ter. Andr. IV 1, 38: 'suadére orare usque ádeo donec pérpulit', igitur in Festi contextu supplere uelim: 2. sum iam [in obscenum sensum est // Perpulit persuasit] 3. impulit [Terentius in Andria: Suadere orare usque adeo] 4. donec per[pulit e. q. s. Non adeo magni momenti mihi esse uidetur, quod in uersu 4 pro 'do me' quod est apud Muellerum coactus sum scribere 'donec', nam unicum codicem Festi Farnesinum pessime habitum esse uidebis si comparabis e. g. Fest. p. 372 Vapula Papiria cum Ter. Phorm. V 6, 10. Commendatur atque probatur mea quidem sententia haec coni. spatio recte expleto et fortasse eo quoque, quod Eugraphius ad Andr. IV 1, 38 uerbis 'Perpulit id est persuasit' Festum in testimonium uocare uidetur. Inde colligi si non debet, at certe aliquo modo potest hoc quoque loco Terentianum uersum a Festo citatum fuisse.

bus; utrumque enim in unum exitum cadit, sicut et de calore et de frigore urere dicimus' e. q. s. Cf. ad Aen. III 308, Georg. I 93, Don. ad Eun. I 2, 4, IV 3, 14, Hec. III 1, 40, Non. 310, 28sq., Isid. Or. XIII 108. — A 20. Aen. IV 149: 'haud illo segnior': id est 'non illo deformior': nam plerumque uirtus et pulchritudo pro se inuicem ponuntur ... sic Plautus in Pyrgopolinice de muliere quidnam, fortis est? id est pulchra.' Cf. ad Aen. VII 656, schol. Veron. 93, 16 K.: 'Longus segnior deformior' e. q. s. Non. 306, 14. — B 47, 53. Aen. VI 497: 'inhonesto: turpi Terentius illumne obsecro inhonestum, senem, mulierem?' Cf. Don. ad. Eun. II 3, 65 'inhonestum foedum, ut contra' 'facie honesta' e. q. s. — Aen. X 133: 'honestum: pulcrum: Terentius ita me di bene ament, honestus est.' Cf. Don. ad Eun. III 2, 21, II 2, 24, Agroet. VII 118, 28sq.: 'pulchritudo formae ... in feminis honestas dicitur, unde Terentius ... illumne' e. q. s. — B 31. Aen. X 612: 'tristia: seuera: Terentius tristis ueritas inest in uultu atque in uerbis fides, item contra Vergilius [Georg. III 37].' — Georg. III 37: 'amnemque seuerum: tristem. contra Terentius tristis seueritas inest in uultu atque in uerbis fides.' Cf. [Prob.] ad Georg. III 37, schol. Bern. ad eund. loc. Non. 390, 17, 409, 20.[1]) — Trop. synecdoche a parte totum C 43. Aen. I 51: 'austris: figura est celebrata apud Vergilium: et est species pro genere. Legerat apud Ennium furentibus uentis ... et posuit 'austris' pro 'uentis'.[2]) — Trop. hyperbaton anastrophe. B 84. Georg. IV 444: 'nam quis te iuuenum: id est 'quisnam'. hodie enim 'nam' particula postponitur, antea praeponebatur: Terentius in Phormione: nam quae est haec anus' e. q. s. Cf. Don. ad Phorm. VI 4, schol. Veron. ad Georg. IV 444, schol. Bern. a. l. l. Quint. IX 3, 15. (Don. — Seru.) De Quintiliani loco cf. supra ad B 97. — Trop. hyperbaton tmesis. B 88. Aen. I 644: 'rapidum ad naues praemittit Achaten: non praemittit ... sed praerapidum ... et sic praerapidum dixit, quomodo Terentius per pol quam paucos, hoc est perquam paucos; 'pol' enim' e. q. s.[3]) Cf. Don. ad Hec. I 1, 1,

1) In uersu Terentiano utrum 'seueritas' lectio recta sit an 'ueritas' respicere huius loci non est, hoc modo dicendum, Thilonem in exarandis Seruii uerbis sibi ipsum non constare, debuerat enim utroque loco ponere aut ueritas aut seueritas. 2) Obtrectatoribus dat Kirchner (?). 3) Mirum est, hanc explicationem ('pol enim' etc.) non tam ad Vergilii, quam ad Terentii uersum spectare. Ceterum hic difficultatem quae nulla est remouere studuisse nostrum cum Ribb. prol. p. 190 consentio.

Andr. III 2, 6. (Don. — Seru.) — Restat, priusquam rhetoricam disciplinam omnino possimus relinquere unus locus: B 44. Aen. I 669: 'nota tibi: Graeca figura est, ut Terentius mira uero militi quae placeant.' Quamnam dixerit Seruius Graecam figuram et per se patet, attractionem nempe quam nunc dicimus, Vergilius enim secundum latinae grammaticae praecepta debuerat dicere 'notum tibi', et ostenditur collato Donati loco ad Eun. II 2, 57 'mira — placeant: mira pro mirum. Vergilius [Aen. I 669].' (Donat. — Seru.) — Quoniam nunc rhetoricarum adnotationum genus absoluimus iterum dicendum, mihi haec omnia ex Donati commentario Vergiliano hausta esse uideri. Quod etsi non omnibus locis pro certo adfirmari potest, tamen nullus extat, qui praefracte opponi queat.

Finem imponamus huic paragraphorum seriei, qua quaestiones de sermone Vergiliano a Seruio eiusque fontibus institutas complexi sumus quoad quidem ad propositum nostrum pertinuerunt, tribus locis allatis, qui quin ex Aspri copiis deriuati sint mihi non est dubium. B 56. Aen. VII 30: 'hunc inter: per hunc. Terentius: dum rus eo, coepi egomet mecum inter uias. est autem crebra Frontonis elocutio.' Cf. ad Aen. IX 416: 'per tempus utrumque': ... Asper ... dicit: 'per tempus utrumque' hoc est 'inter tempus utrumque', ut e contra [VII 30] id est 'per hunc'. Aen. II 681, IV 663, VIII 107, IX 553, Ribb. prol. p. 133. Paulo aliter, sed non ita ut alium subesse fontem sit suspicio Don. ad Andr. IV 1, 39: 'inter modo significat 'post' ut Aen. [Aen. VII 30]' (Asper. — Don. — Seru.) — Similia sunt B 79. Aen. VIII 653: 'pro templo: pro defensione templi, nam 'ante templum' non procedit, cum obsessus intra templum esset, sic ... Terentius nam ni haec ita essent, pro illo haud stares Phaedria.' Cf. Aen. IX 674, Charis. (Palaemon) 234, 31: . . . 'pro multas significationes admittit, accipitur enim pro eo quod est ante, id est [Aen. IX 77]', Non. 523, 6 ('pro' ante), Arus. Mess. VII 501, 26 ('pro' ante). Hic Seruius uel eius fons (Asper?) Palaemonis doctrinae aduersatur. — B 78. Aen. XI 699: 'incidit huic: figurate pro 'in hanc incidit': Terentius ego in eum incidi infelix locum, ut neque mihi amittendi, neque retinendi sit copia.'

§. 6. Liceat nunc pergamus ad locos, quibus Seruius singularum uocum etymologias exposuit, quales solet afferre ex

Aspro et Donato[1]) (cf. §. 2, IV). A 11. Aen. VI 62: 'hac Troiana tenus: ... tenus proprie est extrema pars arcus, ut Plautus ostendit, unde tractum est ut hactenus hucusque significet.' Cf. Paul. Fest. p. 367, 19 M. Non. p. 6, 12. — A 18. Aen. VI 222: 'Feretro: graece dixit, nam capulus dicitur a capiendo: unde ait Plautus: capularis senex, id est capulo uicinus.' — Aen. XI 64: 'feretrum: graece φέρτρον dicitur, unde per diaeresin feretrum fecit: nam latine capulus dicitur: unde ait Plautus c. s., id est uicinus capulo, qui dictus est capulus ab eo quod corpus capiat.' — Cf. Paul. Festi p. 61, 12 M. Non p. 4, 19sqq. M.[2]) C 62. Aen. IX 107: 'Turni iniuria: ... hinc est apud comicos iniurius qui audet aliquid contra ordinem iuris.' — A 15. Aen. XII 7: 'latronis: ... est Graecum, nam λατρεύειν dicunt obsequi et seruire mercede, unde latrones uocantur conducti milites ... Varro tamen dicit, hoc nomen posse habere etiam latinam etymologiam, ut latrones dicti sint quasi laterones, quod circa latera regum sunt, ... una tamen est significatio licet, in diuersa etymologia. Plautus in Pyrgopolinice aperte ostendit quid sint latrones, dicens rex me Seleucus misit ad conducendos latrones.' Ex loco Isidori (Or. X 160) discimus etymologiam 'latero ab latere', quam Seruius ipse ex Varrone (de ling. lat. VII 52) affert 'Aelii', id est Aelii Stilonis esse, qui magister fuit Varronis. Atque sine dubio inerat in eius 'libris etymologicis', quos nuper Mentz (de Lucio Aelio Stilone, comm. Ien. IV p. 20, 27) rectissime eum scripsisse statuit. Quibus ex libris recta uia non solum ad Varronem sed etiam ad Verrium Flaccum transiit (Paulus p. 118). Unde illa etymologia hausta sit, quae prior affertur et a Seruio et a Varrone Festoque nec minus a Nonio p. 134, 26 (dico graecam illam de uoce λατρεύειν), aeque incertum est, atque quis Seruio recta uia tradiderit Stilonianam — ni forte de Carminio cogitabis cf. infra adn. 1). Nolite enim credere grammaticis Varronis scriptis Seruium usum esse ipsis, hanc sententiam Kirchnerus iam refellit p. 530 et 32. Unum tantum hoc loco addam, idque grauissimum. Velim perlustretis locos quos attuli similes, num us-

1) Irrepsisse hic quaedam uidentur ex Carminio 'de elocutionibus' cf. ad Aen. VI 638 (Varro et Carminius). 2) Cf. Schmidt: de Nonii auctoribus grammaticis p. 105 et Nettleship, essays in lat. lit. Oxon. 1885 p. 232, 320. Quod N. credere uidetur Nonium ipso Verrio usum esse, hoc admodum incertum: nos in Schmidtii sententia permanemus qui (inpr. p. 47 ad finem) Nonium Plautina sua ex commentariis recentioris aetatis hausisse exposuit.

quam existat uersus Plautinus nisi apud Seruium solum? Respicite praeterea quam libere atque solute Seruius illum cum reliqua adnotatione coniunxerit. Nonne quis cum aliqua probabilitatis specie possit conicere Seru. ipsum ex Plauti lectione hunc uersum in memoria habuisse atque hic apposuisse? Plautum enim a Seruio lectum esse quamuis non possit demonstrari, tamen per se uerisimile est. En credo hoc ita se habere atque uersum de quo sermo est Plautinum a Seruio ipso appositum esse. Quam ad sententiam firmandam mihi uidetur accedere aliud: nempe nostro loco et praeterea ad Aen. IV 149 — A 20[1]) — Seruius fabulae Plautinae, quam alibi 'militem' uel 'militem gloriosum' uocat nomen indidit 'Pyrgopolinices', quo uocatur is, qui primas in hac fabula partes agebat, minime uero fabula ipsa. (Cf. Ritschl parerg. p. 162 sqq.) Hinc nescio an illud possit concludi, ipsum fabulae argumentum Seruio notum fuisse, idque facillime legendo fieri potuisse per se patet. — B 54. Aen. XII 120: 'uelati lino: ... Caper ... et Hyginus ... dicunt lectionem esse corruptam: nam Vergilium ita reliquisse confirmant 'uelati limo'. limus est uestis, ... habet in extremo sui purpuram limam ... unde ... nomen accepit: nam 'limum' obliquum dicimus, unde et Terentius 'limis oculis' dicit, id est obliquis.' Cf. Paul. Fest. p. 116, 1, Don. ad Eun. III 5, 53: 'Limis si nominatiuus singularis est transuersus significat, si septimus pluralis deest 'oculis', nam limis est transuersus, unde limen dicitur quoque, quod ingredientibus exeuntibusque transuersum est.' — Etymologiam 'limus a limis, obliquus' non minus Hygino — Capro adscribere uelim, quam Verg. uers. lectionem 'limo' pro 'lino'. Versum uero Terentianum cum ascribat Seruius, sine dubio Donati uerba in animo habuit (ex Verrio hausta). Quod facile concedes: uerbum enim 'oculis' a Donato ad uersum explicandum suppletum proprio Marte a Seruio additum uides uerbis Terentianis.[2])

§. 7. Accedamus ad ea quae supra §. 2, V congessimus auctoribus Probo, Aspro, Urbano, Donato prolata a Seruio ad singularum uocum explicationes, atque similia conferamus. Asper citatur: A 25. Aen. IX 4: 'sedebat: ut Asper dicit 'erat', quae clausula antiqua est et de usu remota. secundum Plautum 'sedere' est con-

1) Longi esse locum A 20 uidimus p. 354. 2) Ceterum in Terentii ipsius codice Bembino (A) primae manus lectio 'limis specto' additis et superscriptis litteris mutata est in 'sublimis oculis specto', quod fortasse ex Serui auctoritate factum est.

silium capere, qui inducit seruum dicentem sine iuxta aram sedeam et dabo meliora consilia. sed secundum augures sedere est augurium captare' e. q. s. Cf. ad Aen. I 56, Non. 404, 22. Utrum tota adnotatio Aspri sit cumque ea locus Plautinus[1]), an modo prima uerbi 'sedebat' interpretatio, hoc dubium. — Donatus aduocatur: C 81. Aen. VIII 642: 'citae — quadrigae: Donatus hoc loco contra metrum sentit dicens: 'citae' diuisae, ut est in iure ercto non cito ... nam citus cum diuisus significat, 'ci' longa est, ergo 'citae' ueloces intellegamus.' Cf. Paul. Festi p. 82 M. Gellius I 9, 12, Non. 265, 24 et quae ex corp. gloss. uol. II contulit Goetzius, ind. Ien. 1889 p. VII. — Cum Donati dein locis concinunt Seruiana haec: B 72. Aen. I 106: 'dehiscens: ualde hiscens. 'de' enim augentis est, ut in Terentio deamo te Syre.' Cf. Paul. Festi p. 70, 5; 6, 71, 8; 72, 12; 75, 12; Don. ad Eun. II 3, 40, Ad. IV 6, 1, Isid. Or. X 76. (Verrius Flaccus — Don. — Seru.) — B 64. Aen. I 548: 'officio — paeniteat: nec tibi parum uideatur prima beneficia praestitisse, cum possis maiora recipere. nam 'paeniteat' parum uideatur est, ut in heautontimorumeno at enim quantum hic operis fiat, paenitet, hoc est parum uidetur.' — Buc. II 34: 'nec te paeniteat e. q. s.: non tibi parum uideatur, Terentius at enim' e. q. s. Cf. Don. ad Eun. V 6, 12, Phorm. I 3, 20. (Don. — Seru.) — B 40. Aen. I 567: 'non obtusa adeo: ... non multum, ut in Terentio adulescentem adeo nobilem.' — Aen. IV 96: 'adeo: multum: ut Terentius' e. q. s. — Aen. VII 427: 'haec adeo tibi me: ... adeo ualde ... ut adulescentem' e. q. s. — Aen. VII 629: 'adeo magnae: ualde magnae ut adulescentem' e. q. s. — Georg. I 287: 'multa adeo: id est ualde: Terentius: adulescentem' e. q. s. Cf. Don. ad Eun. I, 2, 124: 'adeo nobilem: adeo pro 'nimis' positum est.' — B 22. Aen. II 3: 'iubes: uis: ut iubeo Chremetem.' — Aen. XII 584: 'reserare iubent: id est uolunt, ut iubeo' e. q. s. Cf. Non. 324, 4, Don. ad Andr. III 3, 1, ad Eun. IV 7, 20, [Serg.] expl. in Don. IV 556, 21, schol. Bemb. ad Ad. V 8, 2, Luct. Plac. ad Stat. Theb. II 608: 'iubet: facit. est enim polysemos sermo, aliquando significat uult, ut Verg. [Aen. II 3], aliquando imperat, aliquando facit.' Quaestt. gramm. suppl. p. 173, 27 H. Seru. Dan. ad Aen. III 261. — B 38. Aen. II 196: 'coactis [id est expressis][2]), ut Terentius (una me hercule falsa lacrimola,) quam oculos terendo (misere,) uix (ui) expresserit.' Cf. Don. ad Eun. I 1, 22. Gloss.

1) Sic uult Ribbeck p. 133. 2) 'Id — expressis' Danielis sunt.

Sangerm. ap. Hildebr. p. 56 in adn. — B 1. Aen. II 357: 'exegit: exclusit ... ut Terentius spectandae an exigendae sint uobis prius.' Cf. Non. 290, 31 sq., 291, 13, Don. ad Andr. prol. 27, Porph. in Hor. carm. IV 15, 18. — B 99. Aen. II 375: 'itis: pro 'uenitis' ut e contra Terentius: nisi eo ad mercatum uenio pro 'eo'. Cf. ad Aen. II 254, Don. ad Ad. III 3, 7: 'ire et abire et uenire significat.'[1]) — B 61. Aen. III 353: 'accipiebat: pascebat. Terentius: accipit homo nemo melius neque prolixius.' Cf. Non. 240, 7, Acro in Hor. serm. II 8, 67, Don. ad Eun. V 8, 52. — B 51. Aen. IV 1: 'iamdudum: 'nimium', ut Terentius iam dudum te amat' e. q. s., cf. Don. ad Eun. III 1, 58). — B 83. Aen. IV 295: 'facessunt: frequentatiuum est ... alias 'discedit' significat ut Terentius haec hinc facessat, tu molestus ne sies.' Cf. Paul. Festi p. 86, 18, Charis. (Palaemon Schottm. p. 10, Marsch. p. 74, 21), I 256, 5 (Diom. I 379, 8 [Serg.] expl. in Don. IV 557, 24 etc.), Non. 306, 26 sqq., Don. ad Phorm. IV 3, 30.[2]) Seru. Dan. ad Aen. IX 44. — B 8, 15, 108. Aen. IV 335: 'promeritam: praestitisse, bene gessisse ... Terentius ita me uelim ames promerentem, pater, id est bene agentem ... contra alibi quid commerui aut peccaui, pater? id est quid male egi?' — Aen. VI 664: 'quique — merendo: ... praestando ... ut [Aen. IV 334]. Terentius ego, Charine, neutiquam liberi esse hominis puto, cum is nihil mereat, postulare id gratiae poni sibi.' Cf. Aen. IX 254. Don. ad Adelph. II 1, 47, ad Andr. II 1, 30, III, 2, 5. — B 101. Aen. IV 373: 'nusquam tuta fides: hoc est nec apud rem, nec apud hominem. Terentius: quid credas aut cui credas?' Cf. Don. ad Andr. II 5, 14: 'nullane — fidem: non in nullis terris, sed neque in terris, neque in persona ut Verg. [Aen. IV 373], ad Adelph. III 2, 32. — B 18, 85. Aen. V 613: 'in sola: deserta Terentius: uenit meditatus ex solo loco.' — Aen. XI 545: 'solorum nemorum: desertorum: Terentius: uenit meditatus aliunde ex solo loco, item ipse nonne hunc abici oportet in solas terras?' Cf. Don. ad Andr. II 4, 3, ad Phorm. V 8, 85. — B 66. Aen. V 655: 'miserum e. q. s. ...: magnum, ut Terentius: eam misere amat.' Cf. Acro in Hor. serm. I 9, 14, schol. Bemb. in Heaut. II 3, 124. Don. ad Andr. III 2, 40 'misere, ualde, nimis.' Adelph. IV 5, 64. — B 76. Aen. V 669:

1) Poterat hic locus referri etiam inter reciprocarum translationum commemorationes. 2) Cur Umpfenbachius (ed. Ter. p. 322 adn.) agnosci a Donato uersum Terentianum disertis affirmet uerbis, non liquet.

'magistri: custodes: Terentius me filiis relinquunt quasi magistrum.' Cf. Don. ad Andr. I 2, 21, ad Phorm. I 2, 21 (magister = παιδαγωγός). — B 26. Aen. IX 230: 'rem magnam pretiumque morae fore: ... pretium ... id est poenam, Terentius: ego pretium ob stultitiam fero.' — Aen. XII 352: 'adfecit pretio ... poenam: nam pretium τῶν μέσων est: Terentius e. q. s.' Cf. Don. ad Andr. III 5, 4. — C 55. Aen. IX 253: 'integer aeui: adulescens cui aetas integra superest, unde Ennius deos aeui integros dicit quibus multum aeui superest.' Cf. Don. ad Eun. III 2, 20: 'quam aetate integra: id est qua florent puberes, ut Vergilius [Aen. IX 253]', ad Andr. I 1, 45. — B 29. Aen. IX 693: 'se primus agebat: 'se agebat' hoc est incedebat: ... tractus autem sermo est a ratione physica, nam agitur corpus animi iudicio, unde Terentius quo te agis.' Cf. ad Aen. VI 337, Don. ad Andr. IV 2, 25: 'quo hinc te agis: ... agere se et tardi et tristes dicuntur. Sic Verg. [Aen. V 271] idem alibi [Aen. VI 337].' — B 5. Aen. XII 296: 'hoc habet: id est letali percussus est uulnere. Terentius certe, captus est, habet.' Cf. Don. ad Andr. I 1, 56, Non. 317, 21, Bartels p. 28. — B 71. Buc. X 19: 'tardi uenere subulci: id est stulti — Terentius in Heautontimorumeno tardus es id est stultus — nam porci cito ambulant.' Cf. Don. ad Eun. V 9, 49, Non. 410, 20. — B 75. Georg. I 302: 'genialis hiems: uoluptuosa, conuiualis: nam quotiens uoluptati operam damus indulgere dicimur genio, unde e contrario habemus in Terentio suum defraudans genium.' Cf. Don. ad Phorm. I 1, 10: 's. d. g. ut contra 'genialia curare' dicitur qui uiuit lautius.' Philarg. ad Buc. V 74. — B 58. Georg. II 94: 'Temptatura pedes olim (sc. lageos = uinum): e. q. s. Terentius: neque pes neque mens suum officium facit.' Cf. Don. ad Eun. IV 5, 3: 's. s. o. f. ... non satis facit, quod est ebrietatis' (citatur uers. Verg. ad Eun. IV 5, 1). — B 10. Georg. IV 212: 'obseruant: uenerantur. alias 'obseruare' est callide aduertere. Terentius obserues filium quid agat' e. q. s. Cf. Don. ad Andr. I 2, 142: 'obserues filium: obseruatio in duabus rebus est, in obsequio et speculando', ad Ad. prol. 2: 'obseruari ... et honorari et captari et audiri significat.' Non. 359, 30sqq. Seru. Dan. ad Aen. XI 725. — Hos omnes locos inde ex Donati copiis (commentario in Aeneidem?) ad Seruium transisse censenti mihi nolite obicere, nusquam fere ad uerbum consentire ea quae Don. habet cum Seruianis. Hoc probe scio, sed perlustranti mihi Seruianum commentarium de modo, quo ille fontibus suis uti solebat hoc inprimis statuendum esse uidebatur: Commentator scien-

tissimus, qua erat indole bona proprioque iudicio praeditus, ad uerbum fontes suos sequi scribae esse opinatus, non uiri sagacis, sententiis quas illi protulerant probatis partim, partim refutatis, semper tamen suam ipsius dicendi consuetudinem seruat. Itaque in Seruianis fontibus tractandis sensus concentus solus nobis auxilio potest esse, uerborum consensio, quamuis non in omnes partes euitata, rarissima tamen est pro commentarii ambitu. — Porro quod loco C 55 Ennianus uersus apud Seruium quidem est, uerum apud Don. non inuenitur, quin Ennius in Donati Vergiliano commentario fuerit citatus mihi non est dubium: item in uniuersum: ubi Seruius plenius disputat quam Donatus, hoc facile uel Donati commento Verg. uel sis ipsius Seruii facundiae tribuas. — Sequuntur quinque loci, quos utrum Donato adscribam necne haesito. Sunt hi: A 34. Aen. I 478: 'inscribitur: dilaceratur, ut Plautus corpus tuum uirgis ulmeis inscribam.' Cf. exc. Bern. in Hageni suppl. p. 174, 21. — B 69. Aen. III 670: 'dextram adfectare: dextram intendere . . . Terentius ad dominam qui adfectant uiam id est intendunt.' Cf. Paul. Festi p. 2 s. u. affectare, Philarg. ad Georg. IV 562. — B 68. Aen. IV 133: 'cunctantem: morantem: atqui amatrix debuit festinare; sed pathos natura superauit, ut Terentius dum moliuntur, dum conantur, annus est.' Cf. Non. 252, 24, Porph. ad Hor. carm. IV 5, 11. Donatus ad Hec. IV 3, 5, 'comuntur' legit. — C 28. Aen. VI 686: 'genis: palpebris: Ennius: imprimitque genae genam.' Cf. Paulus Festi p. 94. — C 9. Aen. VI 763: 'tua postuma proles: postumus est post humationem parentis creatus, per hoc autem Aenean cito ostendit esse periturum, et statim infert consolationem dicens 'quem tibi longaeuo' id est deo: aeuum enim proprie aeternitas est quae non nisi in deos uenit: Ennius: Romulus in caelo cum dis genitalibus aeuum degit.' Cf. Gell. II 16 (Sulpicius Apollinaris — Ribb. prol. p. 173), Isid. Orig. IX 5, 22.[1]) — Locum B 69 Donato abiudicare uelim non quia ad Terentii uersum (Heaut. II 3, 60), qui extat apud Seru. similia non attulit, nam totum in Heautontimorumenon commentarium Donatianum periisse notum est, sed eo permotus quod et ad uersum Phorm. V 7, 71: 'hi ad me adfectant uiam' similia in corpore Don. non adnotata sunt. Nec Seruius ipse hanc explicationem inuenit, quod ne credamus, quamquam fieri potuit per se, tamen prohibemur eo, quod Philargyrium

1) Vides apud Sulpicium — Gellium Enni uersum non extare, unde Seruius eum sumpserit nescio.

ad Georg. IV 562 eandem proferentem uidemus sed Plautino insuper exemplo inlustratam ideoque non ex Seruio haustam. Item B 68 ad Donatum non uidetur pertinere propter lectionis inter Seru. et Don. discrepantiam. De locorum A 34, C 28, C 9 fonte nil possumus scire, nam nec 'inscribitur' nec 'genae' nec 'longaeuus' uocum explicandarum occasio apud Terentium erat. Tres dein locos inter se simillimos ex uno eodemque fonte fluxisse non est quod negemus, nempe: B 95. Aen. I 377: 'forte sua: casu suo, id est quo solet. 'forte' autem nomen est a nominatiuo fors, ut Terentius fors fuat pol.' Cf. Prisc. II 188, 13, III 78, 17, Ars anon. Bern. suppl. 89, 26. — A 29. Aen. I 478: 'uersa: tracta, ut Plautus: inueniam omnia uersa sparsa, uenit autem ab eo quod est uerror.' — A 1. Aen. X 424: 'dum texit dum: spoliat; nam tempus praesens est, non praeteritum ab eo quod est 'tego', sic Plautus: ego hunc hominem hodie texam pallio.'[1]) — Ceterum scholium A 29 unde ducat originem locis similibus, quos habes apud Charisium, Diomedem, Seruium, Macrobium de differ. uerbb., Priscianum collatis aliquo modo possumus enucleare. Primum qualis in uniuersum sit doctrina de qua agitur paucis exponamus, quod ad perficiendum locus nobis se offert Prisciani II 532, 22 hic: 'uerro enim secundum Seruium [ad Aen. I 59] 'uersi' facit, secundum Charisium [246, 9] autem 'uerri'. Habemus igitur hic uerbi 'uerro' duo perfecta quae nunc dicimus tempora a dissentientibus inter se grammaticis prolata. Age nunc propius accedamus ad illam quaestiunculam atque uideamus, num illarum formarum unam uel alteram certo grammatico adscribere possimus. I. Seruius a Prisciano citatus ad Aen. I 59 haec profert 'uerrantque: uerrere est trahere . . . est autem principalitas[2]) uerbi uerro, uerris, praeteritum uersi, unde et fit participium uersus, hinc alibi [Aen. I 478] 'et uersa puluis inscribitur hasta', id est tracta'. — Viden quanta intercedat affinitas inter hunc locum et nostrum A 29? Ab eodem fonte uidetur pendere Diomedes 379, 15: 'sunt quaedam uerba quae, cum ceteram declinationem habeant plenam, tempore perfecto deficiunt, et sunt fere haec: uerro . . . horum uerborum non facile reperimus tempus perfectum[3]), et tamen ab eo quod est uerro in passiua decli-

1) Si quis quaerat num recte fecerit Winterus uersum Plautinum A 1 fragmentis inserens, eum relegamus ad ea quae infra ad locum A 22 dicentur, unde colligat nos cum Wintero non consentire. 2) i. e. quod nunc dicitur 'praesens'. 3) Licet dicat grammaticus non facile reperiri, tamen non negat inueniri posse, et posuit Seruius.

natione perfectum reperimus, quasi uerror, uersus, ut ... apud Plautum in Pseudulo 'uersa sparsa' (cf. et id. 377, 25, Macr. exc. Par. 607, 2, 629, 17 ('uerro perfectum ignorat'), exc. Bob. 654, 25). — II. Charisius, item a Prisciano aduocatus 246, 9 haec habet: 'uerro, uerris, uerri σαίρω'. (Exposuerat antea in tertio ordine uerborum perfectum tempus formae mutationem capere modis nouem, sextaque perfecti forma, qua prima syllaba ex correpta producatur hoc adscripserat uerbum.) Cf. et 262, 1, 247, 31. En habes tabulam, qua complectimur quae ex locis modo prolatis colligi possunt:

Praesens.	Perfectum.	Participium.
I. principalitas II. instans (cf. I 247, 22) } uerro	(uersi) uerri	uersus (uorsus)
I. II. } uerror	uersus sum	

Atque de formae II auctore ni fallor quaedam statuere possumus duobus innisi adminiculis. Primum enim in Charisii tertio libro, unde sumptus est locus 246. 9 'uelut' coniunctionis usus nobis occurrit satis luculentus (cf. Schottm. p. 9). Accedit quod praesentis temporis nomen quod est instans Palaemonis proprium esse uidetur et ipsum (Schottm. p. 11, contradixit Marschall p. 21 adn. 2). Palaemon ergo cum alterius formae auctor sit, prioris, quam Seru. exhibet, esse non potest. Inde hoc certe affirmare possumus, Seruium loco A 29 non pendere a Remmio. Ultra tamen progredi uix liceat. Si quis hac ex re concludere uelit locum A 29 similesque non sumptos esse de Donati copiis quoniam Don. Remmio usum esse iam uiderimus, habeat, quamquam huiuscemodi conclusio infirmissima est.

Restant nunc loci: B 50. Aen. I 261: 'remordet: sollicitat. Terentius par pari referto quod eam remordeat.' — 'Remordeat' lectio apud Terentium nusquam traditur, credo equidem Serui errorem esse, qui ad 'referto' respexerit uel ad Vergilianum 'remordet'. — B 43. Aen. I 436: 'feruet: concelebratur, ut contra 'friget' cessat dicimus, ut Terentius nimirum hic homines frigent.' Cf. Seru. Dan. ad Georg. IV 104. — B 6. Aen. II 1: 'intentique ora tenebant: ... 'tenebant' habebant, ut Terentius: nam Andriae illi id erat nomen, teneo.' — B 41. Aen. III 594: 'consertum tegumen spinis: illigatum: hinc est in Terentio uideo quendam sertum.' — Mirum in modum errasse Seruium

adscribentem Terentianum uersum Vergiliano quin credamus facere non possumus, nam apud Verg. 'consertum' recte legimus, apud Ter. uero omnia 'sentum' lectionem efflagitant neque aliud quidquam traditum, nisi apud Seru., nec omnino ferendum, uersus enim Terentianus est: 'Video sentum, squalidum, annis pannisque obsitum' atque 'sentum' plane alienum sensum habet, quam 'consertum' illud Vergilianum. Rursus apud Seruium (cum cod. Thil. E) 'sentum' legere non possumus, cum lemma obstet ipsum. — B 42. Aen. VIII 307: 'obsitus aeuo: aetate inuolutus, ut annis pannisque obsitus.' — B 4. Aen. VIII 412: 'exercet penso: fatigat. Terentius primo haec uitam parce ac duriter agebat.' — B 102. Aen. VIII 632: 'ludere: moueri. Terentius congrum istum maximum in aqua sinito ludere.' — Georg. I 369: 'conludere plumas: moueri. Terentius' e. q. s. — B 81. Aen. IX 482: 'adfari extremis: . . . Terentius quin igitur dum licet, loquimini mecum Antipho.' — B 11. Aen. XI 704: astu 'malitia, nam proprie astutos malitiosos uocamus: unde in Terentio postquam de domino dixit seruus astute ille iratus ait carnifex, quae loquitur?' e. q. s. — B 80. Aen. XII 257: 'augurium salutant: uenerantur. et proprie, nam salutari dicimus deos. Terentius: at ego hinc deos domum salutatum pergam.'[1]) — B 33. Aen. XII 618: 'arrectas aures: ad audiendum sollicitas: Terentius arrige aures Pamphile.' — Hos locos mea quidem ex sententia aliunde Seru. non sumpsit, sed ipse Terentianae lectionis subitariae fructus, ut occasio ferebat adnotationibus suis inspersit. Verba enim scriptoris insigni leuitate atque incuria hic aduocata inuenis[2]), quae est omnium uirorum doctorum in Seruio communis offensio (cf. e. g. Thilo praef. p. XXX, qui inde recte conclusit Seruium

1) Poterit quis hic conferre Don. ad Phorm. II 1, 81 'salutatum: adoratum.' Mihi uero Seruius Donatianam explicationem in mente habuisse non uidetur, cum quae exemplo comprobari uult, nempe deos salutari dici, id uersu Terentiano solo probatur, ita ut Don. explicatione non indigeat. 2) Cf. B 50. Seru.: par pari referto, quod eam remordeat. Ter.: par pro pari r. q. e. mordeat. — B 43. Seru.: nimirum hic homines frigent. Ter.: nimirum homines fr. — B 41. Seru.: sertum. Ter.: sentum. — B 42. Seru.: obsitus. Ter.: obsitum. — B 4. Seru.: primo. Ter.: Primum e. q. s. — B 81. Seru.: quin igitur, dum licet, loquimini mecum e. q. s. Ter.: Tum (tu, dum) i. d. l. dumque adsum l. m. e. q. s. B 80. Seru.: . . . pergam Ter. . . . deuertam, respicias etiam rationem, quae intercedit inter Seruii lectiones B 50 et B 43 Bembinique Terentiani correctorem recentem. — Cf. p. 357 adn. 2.

libris non inspectis e memoria citare solitum esse), praeterea loci similes his non inueniuntur apud alios.

§. 8. Sequuntur nunc (§. 2 VI) distinctiones atque ordinationes enuntiatorum, quas ut uidimus Aspro, Urbano, Donato noster debuit. De nostris locis huc referendi: B 2, C 79. Aen. I 181: 'Anthea si quem: aut ordo est 'ascendit scopulum requisiturus Anthea, Capyn, Caicum, si quem uideat' et usus est hoc genere elocutionis quo et Terentius, qui dixit quod plerique omnes faciunt adulescentuli. atqui nihil tam contrarium; omnes enim generale est, plerique speciale: ordo ergo est, quod omnes faciunt adulescentuli, ut animum ad aliquod studium adiungant, plerique equos alere, plerique canes. aut certe, quem uacat, ... ut ... in Lucilio et quem Pamphilum quaeris ... nam de uno loquebatur.' Cf. Don. ad Andr. I 1, 28: 'quod plerique omnes: Haec adiectio dicitur, in primo posita loco ... Hic ergo 'plerique' ex abundantia positum, 'omnes' uero necessario additum est ... Attendenda est sane locutio 'quod plerique omnes' ... 'quod' ad singula eorum studiorum adiungendum erit 'equos alere, canes ad uenandum'.[1]), ad Phorm. I 3, 20. — B 109. Aen. VII 556: 'ipse Latinus: ... Urbanus totum hunc locum [VII 552—556] per interrogationem accipit 'terrorum et fraudis abunde est? stant belli causae?', ut quasi per gratulationem non credat, sicut illud Terentii quia plus cupio minus credo.' — B 106. Aen. XI 152: 'non haec o Palla: e. q. s. ... certe 'non' pro 'nempe' accipiamus, ut in Terentio non tu hunc rus produxisse aiebas? id est 'nonne' 'nempe', ut sit sensus: nempe haec mihi dederas promissa discedens, quia cautius fueras dimicaturus.' — C 17. Georg. II 424: 'grauidas cum uomere fruges: 'cum' abundat; nam hoc dicit: subministrat fruges uomere, id est per uomerem: Ennius: effundit uoces proprio cum pectore sancto id est 'proprio pectore' ... Urbanus tamen sic accipit: grauidas cum uomere, id est statim post arationem. — Locum B 2, C 79 certe ad Donatum refero, B 109 Urbano tribuo (ni forte credas Terentianum

1) Hucusque quae inueniuntur in corpore Don. cum Seruianis explicationibus consentiunt, prima Seruiana cum Don. altera et rursus Serui altera cum prima Donati. Quae apud Don. sequuntur ('errant qui plerique παρέλκον intellegunt aut 'qui subdistinguunt plerique et sic inferunt omnes' e. q. s.) antecedentibus plane contradicunt, ita ut ab alio adiecta haec esse per se pateat. — Sciendum hunc locum a Kirchnero obtrectatoribus attribui (?).

uersum neglegentissime citatum[1]) a Seruio ipso ex memoria esse adiunctum), uersum Ennianum C 17 aduocatum ab eo quem Urbanus oppugnat (Cornuto cf. Ribb. prol. p. 167) ex Ennii codicibus exaratum per Urbanum uenisse ad Seruium suspicor, scholion deinde B 106 totum Seruio ipsi tribuo propter insignem in uerbis Terentianis aduocandis incuriam.[2])

§. 9. Explicationes dein quibus sententiarum sensus uel ipsis Vergili uerbis aperiuntur, uel pauca, quae tamen reconditioris doctrinae speciem non habent, adduntur auctoribus Pollione, Cornuto, Aspro, Donato, incerti nominis commentatore prolatae sunt ut supra (§. 2 VII) uidimus. Eidem ordini uidentur esse adscribenda quae nunc afferam.

Donatiana certe sunt: B 32. Aen. I 140: 'uestras Eure domos: irascentum est uti proprio nomine, ut Terentius ego te in pistrinum Dare dedam' e. q. s. cf. Don. ad Andr. I 2, 28: 'uerberibus: e. q. s. uult in pronomine et nomine exagitare comminatione seruum, ne quid relinquat iracundiae.' — B 89. Aen. I 502: 'tacitum: maior enim est taciturnitatis adfectus, ut . . . Terentius ut mecum tacita gaudeam.' Cf. Don. ad Hec. I 2, 32: 'mecum gaudeam: mecum intra me, Vergilius [Aen. I 37]. Eugr. ad Eun. III 5, 5. — B 52. Aen. I 647: 'Iliacis erepta ruinis: commendat ex loci difficultate . . . item ex persona . . . quemadmodum plerumque ex longinquitate, ut ex Aethiopia est usque haec.' Cf. Don. ad Eun. III 2, 18: 'ex — usque: hic ostendit quid sit 'ex Aethiopia' addendo 'usque', ut ex longinquitate dignitas muneris penderetur.' Cf. Seru. Dan. ad Aen. IV 480, Georg. IV 293. — B 16. Aen. I 720: 'abolere Sichaeum incipit: ordo naturalis: prius enim est auellere inhaerentia, et post noua inferre, sic Terentius ut metum, in quo nunc est, adimam atque expleam animum gaudio.' Cf. Don. ad Andr. II 2, 2: 'ut — gaudio: ordine locutus est, prius enim metum adimere, sic demum gaudio perfundere.' — B 14. Aen. IV 318: 'dulce meum: tegit rem inhonestam, sic Terentius seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.' Cf. Don. ad Andr. I 5, 59: 'morigera: hoc quasi amanti utile fuit. Virgilius [Aen. IV 317 sq.]. — B 55. Aen. IV 166: 'deueniunt: bene supprimit rem pudendam, sic Terentius quid

1) Inest in codd. Ter.: 'quia tam misere hoc esse cupio uerum, eo uereor magis.' 2) Versus per ipsos Serui cod. uario modo refertur (cf. Thil. adn. crit.).

tum fatue 'fateor.' Cf. ad Aen. IV 608.[1]) — B 35. Aen. V 122: 'centauro magna: feminini est generis si de naui dicas, ut in eunuchum suam, cum comoediam diceret.' Cf. Don. ad Eun. prol. 32, Prisc. III 185, 5, Cled. 39, 15, Pomp. comm. 162, 5 etc. — B 23. Aen. XI 537: 'neque enim — amor: firmiores enim sunt antiquiores amicitiae. Terentius per amicitiam quae coepta a paruolis cum aetate adcreuit simul, Iuuenalis' e. q. s. cf. Halfpap. p. 1 (supra p. 334 adn. 1). Don. ad Andr. III 3, 6: 'quae — simul: mire ... ut ostendat non nuper coitam amicitiam sed antiquam ut [Aen. III 82] idem alibi [Aen. XI 537].

Nescitur dein unde fluxerint: C 20. Aen. I 281: 'consilia in melius referet: quia bello Punico secundo, ut ait Ennius placata Iuno coepit fauere Romanis.'[2]) — Birtii sententia (zwei politische Satiren des alten Rom, Marb. 1888 p. 64sqq.) qua censet ipso quarto saeculo Enni et Lucili opera integra superfuisse, si uera esse possit — quod tamen uix credam — Enni certe uersum a Seruio ipso adscriptum esse putem. — C 61. Aen. II 777: 'sine numine diuum: sine fati necessitate: ut enim Statius dicit fata sunt, quae dii fantur.'

Catonianam tum rhetoris definitionem C 92. Aen. I 151: 'grauem: ... bene seruat circa hunc rhetoricam definitionem, cui dat et iustitiam et peritiam dicendi, ut 'tum pietate grauem' et ille regit dictis animos' orator enim est uir bonus dicendi peritus.' — inde ab omni tempore omnibus notissimam (cf. Seneca controu. I praef. 9, Quint. inst. or. XII 1, 1. Fortunatiani ars rhet. 81, 5 H., Cassiod. rhet. 495, 5, Isid. Orig. II 3, 1, schol. Leid. ap. Suring. hist. crit. I 223) per se Seruius optime ex memoria proferre potuit, quam sententiam inde quis possit fulcire, quod ne nomen quidem Catonis extat apud nostrum. Tamen respiciens Quintilianum XII 1, 27: 'An non talem quendam uidetur finxisse Vergilius, quem in seditione uulgi iam faces et saxa iaculantis moderatorem dedit [Aen. I 151, 52], habemus igitur ante omnia uirum bonum, post haec adiciet dicendi peritum [I 153]', quem Seruianis simillima afferre nemo non uidet conicere malim Seruium recta uia ex Quintiliano hausisse quae adnotat. Quintilianum aeque resipit schol. Gronou. ad Cic. pro Sext. Rosc. p. 425 Or.

1) Similis B 55 loci adnotatio apud Don. non inuenitur, tamen adeo cum sit affinis praecedenti ex alio atque illum fonte eum fluxisse uix credas. Ceterum fortasse haec Cornuti 'de figuris sententiarum' librum primarium fontem requirunt. Cf. Ribb. prol. p. 125sq. 2) Versum restituit Ilbergius sic: 'Romanis Iuno coepit placata fauere.'

Quae restant quominus ab ipso Seruio esse orta, nec aliunde hausta censeam nullus dubito. Sunt haec: B 27. Aen. I 519: 'orantes ueniam: ... dicta uenia ad eliciendam misericordiam; meretur enim beniuolentiam numinum qui, licet innocens sit, ueniam tamen, tamquam peccauerit, petit: unde est confessio illa in Terentio: quid meritus? crucem.' — B 59. Aen. I 686: 'regales inter mensas: epulas intemperantes, in quibus castitas rara est et facilis amoris occasio, unde est sine Cerere et Libero friget Venus.' A 12. Aen. II 13: 'fatisque repulsi: oraculis secundum Plautum tribus, uita scilicet Troili, palladii conseruatione, integro sepulcro Laomedontis, quod in Scaea porta fuit, ut in Bacchidibus lectum est.' — B 103. Aen. II 87: 'pauper: haec enim fuerat causa militandi, ut Terentius cum hinc egens profugiet aliquo militatum.' — B 70. Aen. III 595: 'ad Troiam missus: ... Graecum esse colligit ex trepidatione, ut Terentius nescio quid peccati portat haec purgatio.' — B 113. Aen. III 639: 'o miseri: ... blandientis particula est, ut in Terentio miser.' — B 98[b]. Aen. IV 590: 'pro Iuppĭter: irascentis exclamatio est, ut in Terentio pro supreme Iuppiter.'[1]) — A 23. Aen. IX 263: 'duo magna talenta: bene addidit 'magna', nam uarium apud diuersas gentes pondus est talenti ... ut supra [V 112] diximus, secundum Plautum talentum septuaginta librarum est: qui cum dixisset deberi centum quadraginta libras, paulo post intulit duo talenta, per iocum dicens: debentur talenta tot, quot ego et tu sumus.' — Aen. V 112: 'argenti aurique talenta: talenti secundum uarias gentes uarium pondus est: sed apud Romanos talentum est septuaginta librae, sicut Plautus ostendit in Mostellaria, qui ait duo talenta esse centum quadraginta libras.' — B 104. Aen. V 343: 'lacrimaeque decorae: ipse etiam fletus habebat aliquid uenustatis, ortus a gaudio ut Terentius o lacrimo gaudio' e. q. s. Cf. ad Aen. I 228, Luct. Plac. in Stat. Theb. V 728, schol. Bob. in Cic. pro Sest. p. 305 Or. — B 34. Aen. VI 890: 'exin: deinde, confert autem in compendium narrationis prolixitatem: sic Terentius propter longum actum ait: intus despondebitur intus transigetur, si quid est quod restat.' — B 82. Aen. VIII 577: 'durare laborem: ipsius scilicet senectutis: Terentius senec-

1) Confert Thilo Macr. sat. IV 2, 2 et VI 6, 16 atque sentire uidetur Seruiana ex eodem fonte fluxisse cum Macrobianis illis. Rectius uero Linke (l. l. p. 13), de rebus notissimis quaeque quiuis fere interpres adnotare potuit cum aliis tum hoc loco agi obseruans, inde communem fontem uix statui posse censet.

tus ipsa morbus est.' — A 28. Aen. VIII 724: 'discinctos: habitum eorum ostendit, qui usque in talos fluebat: quod Plautus ridet in Poenulo dicens quae est illa auis? cum Afrum uidisset uestem dimissam trahentem.' — A 5. Aen. IX 645: 'fidusque ad limina custos: aedituus fuit, quod ut supra diximus, in ingenti honore apud maiores fuit . . . quod et Plautus docet in Asinaria, in qua inducit Sauriam seruum atriensem in tota familia plurimum posse.' (cf. p. 388.) — B 24. Buc. II 14: 'tristis Amaryllidis i.: bene addidit tristis — plerumque enim, ut ait Terentius amantium irae amoris integratio est[1]) — ut ueram iram ostenderet, non fictam illam, quae aliquid gratiae habere consueuit' e. q. s. — B 62. Buc. III 53: 'uicine Palaemon: beniuolum reddit ex uicinitatis commemoratione: Terentius uel uirtus me tua uel uicinitas, quod ego in propinqua parte amicitiae puto.' — B 60. Buc. VIII 43: 'nunc scio quid sit amor: . . . quasi spretus, grauior enim amor fit ex desperatione: Terentius perii! quanto minus spei est, tanto magis amo.' — Terentium certe ipse legit noster, de locis ergo B 27, 59, 103, 70, 113, 98[b], 104, 34, 82, 24, 62, 60 a Seruio ipso profectis grauior dubitatio uix poterit moueri, Plautum uero (ad quem pertinent A 12, 23, 28, 5) ipse utrum inspexerit annon adhuc nondum procul est dubio: Winter l. l. p. 18 indubitanter hoc concedere uidetur; nam locos A 5, 10, 20[2]) Seruio 'curioso Plauti lectori' attribuit. Thilo praef. ed. Seru. p. XXX dubitat, concedit tamen quaedam ex subitaria lectione fluxisse uideri posse, et locos A 23, 29[3]), 32[4]) commemorat. — Posse Seruium ipsum Plauti fabulas, certe quidem Varronianas, legisse non est cur neges, cum adhuc etiam supersint. Praeterea si considerabis quam facile possit concludi uelut ex locis A 5, 12, 23, 28 Seruium notitiam habuisse Asinariae, Bacchidum, Mostellariae, Poenuli fabularum[5]), quarum de argumento loquatur non modo in uniuersum, sed singulas quoque res commemoret, eo facilius spero in meam sententiam inclinabis, nempe Plauti fabulas ab ipso Seruio esse lectitatas.

§. 10. Pergamus nunc atque uertamus nos ad fusiores Vergilianorum uersuum explicationes, in Seruii libros fortasse trans-

1) Don. ad And. III 3, 23: 'amantium — est: sententia γνωμική.'
2) Incaute eum egisse, in tractandis locis 10 et 20 infra uidebimus.
3) Falso. 4) Hoc non concedam, uide p. 390. 5) De milite — 'Pyrgopolinice' supra dictum p. 357.

latas ex Aspri, Urbani, Donati, Carminii, 'commentatorum' quorundam scriptis, ut quas §. 2 VIII collegimus. Huiusmodi uero scholia difficilia sunt tractatu, cum nonnullis locis, quos supra enumerauimus, suspicio sit procliuis ipsum obseruasse Seruium quae profert, ita ut et alias uix discernere ausim, num noster commentarium conscribens placita sua ex certis aliorum libris, quos ad manum habuerit, descripserit, an litteris modo expresserit quae ei ex lectione in mente haerebant, quaeque unde sibi uenissent fortasse ipse nesciebat (cf. e. g. quae Thilo praef. ed. Seru. XXXI et de aliis et de Plinio neglegentissime in testimonium aduocato adnotauit, quaeque inde conclusit[1]): Seruium quae de naturalibus rebus aliunde uel legendo uel audiendo accepisset temere ad naturalis historiae scriptorem retulisse). Praeterea tenendum est Seruium locis admodum paucis in 'rebus' Vergili explicandis auctoris nomen quoddam proferre, plerisque uero reticere. Igitur in re satis lubrica tangenda omni cautione opus esse elucet, atque rem ita instituamus liceat, ut propositis — quoad quidem omnino ad huc pertinent — illis libris, quorum titulos Seruius affert plenos, quique ideo siue ipsi siue auctoribus eius pro primariis fontibus erant, exponamus modo, Plautinorum, Terentianorum, reliquorum ex numero locorum quinam quadrare nobis uideantur in illorum librorum indolem. Atque ne illud quidem omnibus locis caret dubitatione. Priusquam uero ad propositum aggrediamur, perlustremus necesse est primum nonnullos locos, quos cum Aspri adnotatione supra §. 2 VIII nostro scholiorum generi attributa[2]) affinitate tam arte coniunctos esse opinamur, ut ipsos quoque ad Asprum referamus. Sunt: C 45, 58: Aen. VII 320: 'Cisseis: regina Hecuba filia secundum Euripidem Cissei, quem Ennius, Pacuuius et Vergilius sequuntur: nam Homerus Dymantis dicit. Haec se facem parere uidit et Parin creauit, qui causa fuit incendii' e. q. s. Cf. Hygin. fab. 91: 'uxor eius praegnans in quiete uidit se facem ardentem parere.' (Hygin. — Asper — Seru.?), Luct. Plac. ad Stat. Ach. I 22, mythogr. Vat. II 197. — C 63. Buc. IX 6: 'quod nec bene uertat: quae res in perniciem eius uertatur, id est ut malo omine hoc munus accipiat. Tractum autem hoc est ab Hectore et Aiace ... inde et illud comicum natum est: di bene uertant quod agas: plerumque enim bona in peius, mala mutantur in

1) De hac re infra fusius agendum. 2) Ad Aen. VII 337: 'tibi nomina mille: ... 'mille' secundum Euripidem, in cuius tragoedia dicit furia, se non esse unius potestatis ... ita dicit etiam Asper.'

melius.' Cf. ad Aen. IV 496, 647, Don. ad Hec. I 2, 121. — Tum sequantur duo loci qui, si non ex commentario a Seruio citato, tamen ex alio originem uidentur ducere: Ribbeckius enim proll. p. 25sqq. coniecturam protulit sagacissimam, probatam postea Kirchnero p. 478 — cui ne ego quidem habeo quod opponam —: a Cornelio Celso rhetore et philosopho sub Tiberio nobilissimo, eodem in rebus et rustica et aliis uersato commentarium saltem georgicon scriptum extitisse. Quo ex commentario prouenisse suspicor C 90. Georg. II 95: 'quo — Raetica: hanc uuam Cato praecipue laudat in libris quos scripsit ad filium, contra Catullus ... miratur cur eam laudauerit Cato, sciens ergo' e. q. s. — C 91. Georg. II 412: 'laudato ingentia rura exiguum colito: hoc etiam Cato ait in libris ad filium de agricultura. Quod ideo dictum est uel ... uel ... uel quod, ut dicit Donatus' e. q. s. — De uia qua haec potuerint deuenire ad Seruium nil ausim conicere.

Proponentes igitur ut polliciti sumus illos libros quorum titulos Seruius affert plenos, initium capiamus a Varrone. — B 28. Aen. V 80: 'salue: 'salue' et 'uale' secundum Varronem in logistoricis synonyma sunt: unde his et in salutatione utimur et in exsecrationibus, ut ualeant, qui inter nos discidium uolunt: unde etiam haec mortuis dicimus, non quo eis optemus salutem, in quibus nulla esse potest, sed ut significemus nos sic digredi ut ostendamus, eos numquam in nostram communionem esse uenturos.' — Aen. XI 97: 'salue — uale: Varro in libris logistoricis dicit ideo mortuis 'salue' et 'uale' dici, non quod aut ualere aut salui esse possunt, sed quod ab his recedimus, eos numquam uisuri. hinc ortum est, ut etiam maledicti significationem interdum 'uale' obtineat, ut Terentius: ualeant e. q. s. hoc est ita a nobis discedant, ut numquam ad nostrum reuertantur adspectum' e. q. s. — Aen. III 493: 'uiuite felices: 'uiuite' ... bene optantis est, non ... male dicentis ... simile est et 'ualete' ut Terentius ualeant'. e. q. s., cf. ad Aen. II 789, Don. ad Andr. IV 2, 13: 'ualeant: hoc est abeant recedant, quia et discedentibus et mortuis uale dicitur ut Vergilius [Aen. XI 97]', Mythogr. Vat. ap. Mai. III 207. Varronis doctrina apud Donatum — Seruium unde potuerit fluxisse quaestio non admodum est difficilis. Erant enim etiam Sidonii Apollinaris temporibus, qui ipse Seruio posterior fuit, logistorici in usu[1]), Donatus igitur optime eos ipse excerpere potuit uel Seruius.

1) Cf. Sidon. Apoll. epp. VIII 6, 18 [ed Luetjoh. 1887 p. 133, 4]: 'Varronem logistoricum et Eusebium chronographum misi'. Riese Varr. sat. p. 53.

Reuertamur nunc ad Hyginum. Iulius Hyginus citatur apud Seruium aduocatis librorum titulis[1]) Aen. III 553 (secundum H. qui scripsit de situ urbium Italicarum), V 389 (sec. Hygin. qui de familiis Troianis scripsit), VII 412 (licet H. in Italicis urbibus . . . uelit), 678 (de ciuitatibus totius orbis multi quidem ex parte scripserunt, ad plenum tamen Ptolemaeus graece, latine Plinius. de Italicis etiam urbibus Hyginus plenissime scripsit et Cato in originibus), VIII 597 (ut dicit H. in urbibus Italicis). — Hygini scripta non ab ipso Seruio esse usitata nemo ut opinor negabit (cf. Kirchner p. 482), atque siquis quaerat, unde hauserit noster illius notitiam, nonnihil habeo, quod respondeam. Nonne ex loco Aen. VII 678 modo allato colligi aliquo modo potest Seruium Ptolemaei, Hygini, Catonis in Originibus doctrinam, quoad quidem ad ciuitates totius orbis describendas pertinebat, ex uno eodemque fonte deriuasse, ex eo nempe fonte, unde et Pliniana hausit? Verum unde Pliniana sint deprompta postea uidebimus.[2])

§. 11. Transeamus ad Suetonii Tranquilli scripta quaedam, unde Seruius recta uia sua hausisse uiris doctis uisus est.[3]) Tituli apud ipsum ad uerbum afferuntur hi: Suetonius 'in uita Caesarum' Aen. VI 798, Suet. in libro 'de genere [generibus L. Mueller ed. Non. p. XVI.] uestium' Aen. VII 612 = p. 266 Reiff., Suet. in libro 'de uitiis corporalibus' Aen. VII 627 = p. 272, 1 Reiff., Buc. III 8 = p. 272, 3 Reiff., Suet. Tranquillus in libro 'de puerorum lusibus' Aen. V 602 = p. 345 Reiff.[4]) Caesarum uitas, quoniam de anti-

1) De mero Hygini nomine aduocato iam actum p. 320. 2) Hanc meam sententiam si probabis certe de uia, qua Hygini 'de urbibus Italicis' doctrina ad Seruium defluxerit paulo certiora statuere poteris, quae H. adnotauerat de familiis Troianis num eadem uia ad nostrum sint delata quis potest affirmare? 3) Dico inprimis Reifferscheidium Suet. pp. 272, 445, 466, 475 et Kirchnerum p. 532. 4) Quae sine librorum titulo, allato tamen Suetonii nomine, afferuntur haec sunt: Aen. VIII 680, cf. uit. Aug. 79; Aen. I 292, cf. Georg. III 27, cf. Reiff. quaestt. Suet. p. 472; Aen. XII 185 = 148, 4 Reiff. (ex ea parte operum Suetonii, qua de synonymis agebatur, cf. Kirchner. p. 532 et Beck: de differentiarum scriptoribus latinis diss. Groningae 1883, quibus quamuis dubitanter assentior — Reiff. enim de illo fragmento sententia (quaestt. Suet. p. 436 prolata), qua illud ut ex disputatione de populi Romani antiquitatibus instituta desumptum primis pratorum libris tribuit, parum uidetur pro certa haberi posse). Buc. III 105 = p. 272, 4 Reiff. (recte libro de uitiis corporalibus adscriptum), Georg. III 24 = p. 341, 6 Reiff. (ludicra historia), Georg. IV 127 = p. 355 Reiff. (ex historia quadam, cuius titulus incertus est).

quitatibus Romanis agendum, non curamus. Immo quos condidit Suetonius 'de genere uestium', 'de uitiis corporalibus', 'de puerorum lusibus' libros paucis adumbremus secuti Reifferscheidium in quaestt. Suet. p. 453 sq., 456, 462. — Capita tantummodo fuisse maioris operis Suetoniani ea quibus scriptor de uitiis corporalibus et de genere uestium egit uolumina inter omnes nunc constat, postquam Reifferscheidius euicit, Gustaui Beckeri (in proll. ad Isid. de nat. rer. p. XII sqq.) obseruationibus innisus, qui et ipse titulum totius libri — nempe 'prata' uel 'pratum' — enucleauit. Per 'prata' illa Suet. — Reifferscheidii p. 449 uerbis utor — 'id maxime egit, ut in ipsorum argumentorum continuatione uerborum proprietatem adpositis poetarum et scriptorum locis inlustraret.' Perlustranti cuipiam pratorum fragmenta, quae apud Reiff. p. 147 — 312 collecta inuenies, mirum fortasse uidebitur contendere uirum doctum, apposuisse Suet. placitis suis exempla scriptorum, quoniam locis sat paucis talia inueniantur. At, si modo uis Reiff. fidem habere, fragmenta nostra ab Isidoro, cui plurimam partem debemus, consulto deletis poetarum testimoniis decurtata sunt atque mutilata, cum ille plerumque reconditioris doctrinae odio quodam sit occupatus. Quae Reiff. sententia quam sit uera facile intelleges respiciens, quod ipse attulit, fr. 157 (Isid. de nat. rer. XLIV). Insunt in hoc fragmento nominatim ad Suetonium reuocato exempla Naeuii, Attae, Pacuuii. Apud Seruium quamuis singularum totius operis partium tituli afferantur, tamen nusquam 'pratum' in uniuersum aduocatur, unde item Reiff. p. 475 collegit Serui temporibus iam singulas pratorum partes seorsum fuisse descriptas. Quod si uerum est, neque quidquam obstare uidetur, nobis non opus esse elucet totum pratorum corpus perlustrare: sciri enim plane nequit, reliquos quoque pratorum et Suetonii in uniuersum libros utrum Seruius in usum suum uocauerit, an modo eos quos nominat.[1]) — Libro ergo 'de genere uestium' haec adscribere uelim: A 8. Aen III 484: 'Phrygiam chlamidem: acu pictam: huius enim artis peritos

1) Si locos Seruianos mero Suetoni nomine instructos respicimus, uix alio pratorum libro Seruium usum esse conligere liceat: nec enim ludicram historiam nec incerti tituli historiam, quas praeterea nosse uidetur, in pratorum libris locum habuisse Reiff. docet, et utrum locus Aen. XII 185 ex certo Suet. differentiarum libro sit desumptus, utrum talis liber omnino extiterit atque cum pratorum corpore coniunctus fuerit, an potius Suet. hic illic de synonymis et uerborum differentiis egerit, haec omnia plane incerta sunt (cf. Beck. l. l. p. 12—15 et Baehrens ap. eund. p. 13 sq.).

Phrygiones dicimus secundum Plautum, in Phrygia enim inuenta est ars.' — A 35. Aen. I 480: 'peplumque ferebant: peplum proprie est palla picta feminea Mineruae consecrata, ut Plautus numquam ad ciuitatem uenio, nisi cum infertur peplum.' — De priore loco, quem Kirchnerus immerito obtrectatoribus Verg. tribuit, pauca adicienda. Simillimum enim reperimus apud Isidorum Or. XIX 22, 22: 'Acu picta uestis, acu textilis uel acu ornata, eadem et phrygia. Huius enim artis periti phrygii omnes dicuntur: siue quia in Phrygia inuenta est. Unde et artifices, qui id faciunt phrygiones dicuntur. Vergilius [Aen. III 484].' Hoc per se ipsum Suetonium commendat auctorem — neque uero Reiff. omisit totum Or. XIX cap. 22 pro supplemento apponere fragmentis, ut Suetonianum. Tamen caue dicas — ut Thilo in adn. uult — Isidorum exscripsisse Seruium. Vides enim totum Isidorianorum tenorem a Seruianis esse diuersam, quamquam paene isdem uerbis uterque utitur. Equidem potius credam Isidorum exscripsisse Suetonium (omisso si non uerbo Plautino, tamen nomine scriptoris), unde et Seruius sua attulit, non tamen ad uerbum sed ex memoria: cf. et Nettleship. essays p. 335. Quod attinet ad locum Non. 3, 14 M. quem Nettleship (l. l. p. 295) uult comparare cum A 8, de hoc quidem nil dicam, quia mutilatus est: uerisimilius uero mihi uidetur eum locum non redire ad eundem fontem. Fortasse melius erit conferre inter se Non. 3, 14 et Seru. ad Aen. IX 614. Locum A 35 ex mea coniectura Suetonio adscripsi, hac potissimum causa ductus, quod eum cum loco A 8 affinitate coniunctum esse nemo non uidet. Tamen, ne quid silentio praeteream: sententiae meae obstare uidetur, quod in eodem libro Isidoriano, de quo supra actum, alia uocis 'peplum' explicatio affertur (XIX 25, 1). Vides quam incertae sint huiusmodi res. Dicas fortasse ipsum Seruium de suo finxisse illam explicationem secundum Homeri narrationem (Il. VI 302 sqq. cf. et Seru. Dan. ad Aen. I 479). Quae tamen priusquam pro certis habeas, respicias modo illud, moneo, quod Plauti uersus quem A 35 habes fragmentis Plautinis adnumeratur. Inde minime fit uerisimile Seruium ipsum eum potuisse suis adspergere, ad antiquiorem igitur fontem mea quidem sententia relegamur: fortasse ad Hygini 'de proprietatibus deorum' librum, memoratum Macrobio Sat. III 8, 4? — Pergamus nunc ad libr. 'de uitiis corporalibus' conditum. Cui libro cum Hageno (adn. ad schol. Bern. ad Georg. III 497) adscribere uelim A 22. Georg III 497: 'faucibus angit obesis: ... 'angit' bene ait, nam angina dicitur porcorum morbus, qui occupat fauces. Plautus uellem me in anginam

uerti, ut huic aniculae fauces praeoccuparem.' — Nemo est, quin intellegat locum schol. Bern. ad Georg III 497 (cf. et Paul. Festi p. 8, Non. 35) paene ad uerbum cum nostro conuenire in unum. Plura tamen leguntur quaedam illo loco quam nostro, apponuntur enim et alia et haec: 'unde et angina uitium uocatur'. Quae uerba Hagenum mouent, et recte mouent, ut 'nesciat an non in Suetoni libro de uitiis corporalibus olim locum obtinuerint'. Hagenus quamuis non satis aperte expresserit quibus scholiastae uerbis Suetonianam originem uoluerit imputare, tamen equidem facere non possum, quin respiciam initium scholii 'angina dicitur porcorum morbus' — nam in sequentibus de angina ipsa sermo non est — quae cum nostris Seruianis redeunt ad eundem fontem, cui quominus uersum quoque Plautinum adscribamus nil nos impedit. — De hoc uero uersu uerba faciamus necesse est. Dubitari enim possit, utrum sit conferendus cum Mostellariae I 3, 61 an fragmentis Plautinis sit adnumerandus. Stant hac in re omnes Plauti editores contra Winterum. Atque age uideamus quid sit rei. Seruium in aduocandis scriptoribus minus fuisse diligentem constat. Quod et in aliis scriptoribus et in Plauto uiri docti multifariam comperti uersum apud Seruium nostro loco appositum indubitanter pro Most. u. I 3, 61 male citato habuerunt, illic enim Ritschelius sic legit:

In anginam ego nunc me uelim uorti, ut ueneficae illi
Faucis prehendam. —

Viden quam sit similis ille uersus uerbis a Seruio adnotatis: nam cum apud Plautum ipsum in codd. legamus 'ueneficae' et 'prehendam', Seruius pro his posuerit 'aniculae' et 'praeoccuparem', hac re nil mutauit nisi uerba, non sensum, id quod apud eum quouis loco potest accidere, item uerborum transpositiones uel leues, ut hic, uel etiam grauiores commisit innumerabilibus locis. Nuper uero Winterus uersum a nostro e memoria citatum eundem esse atque Mostellariae negauit fragmentisque adiecit: his fere se defendens uerbis (frgm. Plautt. ed. p. 19) duasque quasi causas afferens, quibus permotus id fecerit. Primam hanc: uersus qui aut sententiis aut uerbis a uersibus in Plauto traditis nimis discedant si quis suo iure fabulis nunc deperditis adscribere uelit, eum probare debere, Seruium non e fabula ipsa, sed e grammaticorum libris desumpsisse Plauti uerba. Inde uerisimile fieri hos iis quos e memoria reddiderit magis intactos eum reliquisse. Quamobrem se (Winterum) hanc sequi rationem, ut eos uersus, quorum numeri satis integri sint, fragmentis adiciat. Cum igitur in fine nostri uersus perspicue iambici numeri cognoscantur, se eum inter fragmenta recepisse. Quid de hac ratiocinatione nobis

iudicandum? Primum dicamus causam hanc 'quod nimis discedant uerba Seruiana a Plauti quodam uersu' non esse talem, qua innisus quis contendere possit uerba Seruiana redire ad alium Plauti locum. Quod ut intellegas cf. e. g. B 109: hic Serui uerba 'quia plus cupio, minus credo' ad alium Terentii uersum referri non possunt nisi ad Ad. IV 5, 64, ubi tamen legitur: 'Quia tam misere hoc esse cupio uerum, eo uereor magis.' Terentianum enim fragmentum Winterus uix statuere potest, quamquam hi uersus magis etiam inter se dissentiunt, quam illi de quibus hic sermo est. Tum ex eodem loco Terentiano aliud effici potest, quod opponamus Wintero: dixit enim ille uerisimile esse Seruium eos locos, quos e grammaticorum scriptis sumpserit magis ad uerbum citare quam eos quos e memoria attulerit. Tamen siquis contendat exemplum Terentianum illud tam male aduocatum recta uia ex Urbani commentario fluxisse — aduocatur enim Urbanus — non uideo quid habeat Winterus, quo aduersarium refellat! Denique, si modo concedamus illi — id quod equidem minime faciam — iure Seruiana nostra fragmentis Plautinis inserenda esse, tamen non debuerat, meo quidem iudicio, Seruiana uerba et ipse rursus immutare ad uersus efficiendos. Alteram uero causam attulit idem Winterus, qua asset motus ut Seruianum et Mostellariae uersum non in unum confunderet. Citatur enim idem uersus uerbis Seruianis apud Paulum Festi p. 8, 4 M. s. u. angor, Festus uero alias accuratissime citare solet scriptorum uerba. Inde Winterus suam sententiam uidet fultam. Nam quamuis de hoc Pauli loco iam Ritschelius (ad Most. u. l.) atque post eum Leidolphus (comm. Ien. II 202) egerunt atque uersum Plautinum potius ex Seruio in Pauli librum translatum esse coniecerunt, tamen aperte hoc demonstratum esse Winterus negans illos non respexit. Sane, demonstratum non est, ac ne demonstrari quidem potest, tamen facit pro Leidolpho contra Winterum, quod Pauli optimus codex Monacensis, qui 'maiore quam ceteri religione omnia a Paulo bene male scripta, quae intellegi possent, non possent, reddidit' (Mueller ed. Fest. praef. p. IX) Plauti uersum omisit. Vides quam infirma sit altera quoque causa, ita ut paene nil nos impediat, quominus editorum Plauti sententiae nos addicamus Seruianaque uerba ad Mostellariam I 3, 61 referamus. — Verum nunc redeuntes ad propositum priusquam mittamus Suetonium[1]) adnotemus locos quosdam, qui ad eiusdem de differentiis

1) Libri 'de puerorum lusibus' etc. quamquam Seruio notos fuisse non negamus, nil tamen praebent de antiquorum scriptorum uerbis apud Seruium adnotatis agentibus nobis, ita ut fusius eos respicere necesse non sit.

doctrinam optime quadrare nobis uidentur[1]) B 74, 90. Aen. I 410: 'talibus incusat: incusare proprie est superiorem arguere, ut in Terentio pater ad filium quid me incusas Clitipho? accusare uero uel parem uel inferiorem, ut in eodem ad maritum uxor me miseram, quae nunc quam ob causam accuser nescio.' Cf. Caper de orth. VII 107, 8 K., Isid. diff. uerb. 303. — B 110. Aen. XI 788: 'multa pruna: ... pruna ... quamdiu ardet dicitur ... cum autem extincta fuerit, carbo nominatur. Terentius tam excoctam atque atram reddam, quam carbo est.' Cf. Isid. Or. XIX 6, 7. — B 92. Aen. XII 816: 'adiuro — fontis:... quidam, uolunt 'iuro' tunc dici debere, cum confirmamus aliquid aut promittimus, ... 'adiuro' uero, cum negamus ... Terentius adiurat se non posse apud uos, Pamphilo absente perdurare.'

§. 12. Plinii quoque historia naturali putatur (dubito de hac re) Seruius usus esse. Citatur apposito titulo Aen. IX 712 = hist. nat. II 203. Aen. VI 218 — B 46 — = h. n. VII 173 sqq. Aen. I 398 = h. n. X 63. Aen. VI 180 = h. n. XVI 38 sqq. Aen. VI 205 — A 37 — = h. n. XVI 247. Aen. IIII 90 = h. n. XXX 17. Aen. VIII 402 = h. n. XXXIII 80. Aen. IV 261 = h. n. XXXVII 115 sqq. Aen. I 174 = h. n. XXXVII 139 sqq. Inuenitur tamen quibusdam locis Plinius 'in historia naturali' a Seruio aduocatus, ubi apud Plinium ipsum similia fortasse, uerum non idem reperimus. Quod his locis fit: Aen. IV 551, V 2, VII 700, X 184 — C 87 —, XII 119; Buc. II 11, VII 30; Georg. II 146.[2]) Omitto Silligii sententiam (praef. ed. Plin. p. XLV sq.), qua ille u. d., inde profectus quod duodeuiginti locis res a Seruio pro Plinianis memoratae frustra quaeruntur apud Plinium, Seruio nostro leuem aliquam fraudem imputat qualem et commiserint scholiasta Lucani, mythographi

1) Cf. et ad Aen. V 45: Varro et Ateius [Capito? cf. Graff, bull. de l'acad. de St. Pétersb. III p. 149] de diuos — deos. Aen. VII 273: Plinius de auguro — auguror. Aen. IX 192: Varro de poscere — petere. 2) Extant praeterea loci hi, ubi scriptoris nomen solum citatur, quique ad hist. nat. sine dubio spectant. Aen. VII 678 (cf. supra p. 372) Aen. IX 20 = hist. nat. II 96. Aen. VIII 713 = h. n. V 51. Georg. I 59 = h. n. VIII 165. Aen. I 435 et Georg. IV 286 = h. n. XI 70. Georg. II 119 = h. n. XII 111 sq. Georg. I 148 = h. n. XV 99. Aen. IX 86 = h. n. XVI 38 sqq. Aen. VI 309 = h. n. XVI 82. Georg. I 392 = h. n. XVIII 357 sqq. Georg. IV 127 = h. n. XXXI 118? Restant ii loci quibus Seruius de rebus naturalibus agens Plini nomen aduocat, ut tamen quae affert apud Plinium non sint. Dico hos Aen. I 306, VIII 652, X 174, 272; Buc. III 8, 18; Georg. II 151, III 136, 422, 490.


Vaticani, scriptor qui composuit gesta Romanorum, cum Plini auctoritatem quamuis falso in suas partes uocantes legentibus admirationem sui uoluerint inicere ('certi uero boni illi monachi erant' haec sunt Silligii uerba 'uix quemquam locos illos a se laudatos apud ipsum Plinium quaesiturum esse'). Quod ad Lucani scholiastam et reliquos attinet, equidem nescio num eorum quos scripserunt librorum talis indoles sit, qualem uult Silligius, Seruius uero nec fuerat 'bonus monachus' (alias 'homo simplex'), nec fraudulentiae deditus. Si uis incusari grammaticum, incuriae et properantiae incusa, non fraudis, nam sciens fraudem certe non commisit uir tantam apud aequales auctoritatem consecutus, quantae Macrobius multifariam testis est (cf. Sat. I 24, 8, VI 7, 3 sq. al.). — Talia iam Thilo (praef. ed. Seru. p. XXXI) Silligio opposuit, qui ipse, ut iam pridem diximus, rectius quidem quam ille mirabilem illam rem ita explicat, ut temere Seruium quod de naturalibus rebus aliunde uel legendo uel audiendo acceperat ad Plinium retulisse dicat. — Temerarius enim Seruius fuit, hoc conceditur, temerarium se gessit et aliis permultis locis et illo, ad quem nunc transeundum A 37, quoad quidem primo obtutu uidemus: A 37. Aen. VI 205: 'Brumali frigore uiscum: bene 'brumali' addidit: tunc enim maturum est et auri imitatur colorem, nam noua fronde uiret, quod, ut ait Plinius in naturali historia, de fimo turdelarum in certis arboribus nascitur: unde Plautus ipsa sibi auis mortem creat.' — Dixit Plinius similia in hist. nat. XVI 247: at uersus Plautinus, qui apud Seruium tam arte cum prioribus coniunctus legitur, ut quiuis credat eum quoque ex Plinio manasse, in historia naturali frustra quaeritur. Unde igitur hic ad Seruium uenit? Num de Plauto ipso desumptus? Quod ea de causa equidem non credam, quod ille Plautinus uersus fortasse fabulae cuidam non Varronianae adiciendus est, nam in nostris libris non legitur. Unde igitur fluxerit iterum quaero. Atque ansam nobis dat ad hanc rem enucleandam Isidori locus Or. XII 7, 71: 'Turdela quasi maior turdus, cuius stercore uiscum generari putatur. Unde et prouerbium apud antiquos erat malum sibi auem cacare.'[1]) Hunc locum si conferas cum Serui uerbis apparet aliquo uinculo eum cum his esse conexum, redolere Isidorianum prouerbium Plauti uerba seruata apud nostrum.[2])

1) Burmanni coniecturam apud Seruium 'cacat' pro 'creat' scribentis qua de causa Winter respuerit nescio. 2) Quod Plauti nomen apud Isid. non legitur, id fortasse expedies si conicies Hispalensem episcopum illum uersum, quoniam in fabulis Varronianis non legitur, non nosse atque inde putasse apposito Plauti nomine errorem a fontis sui auctore esse commissum.

Tamen uix credas Isidorum, ut forte alias, Seruium exscripsisse, rectius uero censeas ab eodem fonte pendere utrumque, in hoc uero fonte iam Plauti uersum cum Plini uerbis coniunctum fuisse. Quae sententia firmetur collatis: Isid. Orig. XII 1, 18 = Buc. VII 30. Or. XII 2, 20 = Aen. IV 551. Or. XII 7, 14 = Aen. I 398. Or. XII 8, 2 = Georg. IV 286. Or. XVI 24, 2, 3 = Aen. VIII 402 (cf. Thilo praef. ed. Seru. p. XLIII.) Or. XVII 8, 14 = Georg. II 119[1]), quibus locis affinitas quaedam inter Isidoriana et Seruiana statuenda est, quae ad communem fontem nos relegat. Iam si uerisimile fecimus et hunc locum A 37 et alios a Seruio non ex Plinio ipso haustos esse, sed ex secundario fonte, cuius auctor Pliniana propriis obseruationibus exemplisque scriptorum hinc inde legendo arreptis miscuit, quaestio oritur num de tali fonte certius quidquam possit statui. Respiciamus quaeso hac in re tractanda inprimis Dresselium (de Isid. originum fontt., diss. Aug. Taur. 1874) eo loco ubi de ratione agit, quae intercedat inter Isidorum et Plinium (p. 39—42), Thilonem in praefatione Seruii, ubi quaerit de locis Isidorianis qui, quamuis similia exhibeant eis quae Seruius adnotauit, tamen e Seruio exscripti esse non possint (p. XXXIX—XLV), Nettleship (essays p. 322—340), qui censuram scripsit editionis Thilonianae qua suo iure negasse mihi uidetur id quod Thilo affirmauerat, Seruium nempe ab Isidoro nonnullis locis esse exscriptum, idque solum concedit communem fontem ad manus fuisse Seruio atque Hispalensi episcopo. Dresselius postquam nos docuit rationem intercedere inter Isidorum et Plinium prorsus similem ei, quae ut paulo supra uidimus inter Seruium et Plinium intercedit, nempe ab Hispalensi multis locis nonnisi ad sensum Plinii sententias referri, hic illic etiam inter ea quae haud dubie ex Plinio sint deriuata ignoti auctoris quaedam contineri, de quibus Plinius nil protulerit, quaeritat qui id factum esse possit. Atque in memoriam nobis reuocat Silligii uerba (praef. ed. Plin. p. XLII), quibus ille Iani sententiam laudat prolatam diurnis antiquariis 1837 no. 84 sqq. hanc: Isidorum in exscribendo Plinio codice usum esse ampliore eis qui nunc innotuerunt. Quam tamen sententiam Dresselius argumenta silentio praeteriens ex parte modo rectam sibi uideri affirmat. Extare apud

1) Reliquis Isid. locis, qui quidem spectant ad Plinium, collatis cum Seruio nil possit probari nisi Seruium ab Isidoro exscriptum esse, id quod Thilo (l. l. p. XXXVIII sqq.) uult. Tamen huc eos apponam: Or. XII 2, 28 = Buc. III 18, Or. XII 4, 43 = Georg. III 422, Or. XII 7, 18 = Aen. VII 700, Or. XII 7, 52 = Aen. VIII 652, Or. XII 8, 2 = Aen. I 435, Or. XIII 14, 4 = Aen. V 2, diff. uerb 79 = Georg. II 119.

Isidorum locos, quos debeat alii auctori, non Plinii codici cuidam amplificato. Dresselii coniecturae ne statim nos addicamus eo prohibemur, quod nobis causarum unde orta sit ponderandarum potestatem non dedit: affirmat, non demonstrat. Tamen huic coniecturae probandae mirum in modum prosunt et ea quae Thilo l. l. enucleauit, et ea quae nos locum A 37 tractantes obseruauimus. Thilo enim optime collatis nonnullis Isidori locis cum Seruio euicit non omnia Isidoriana quae Seruium redoleant ex Seruio ipso exscripta esse posse, inueniri enim plerumque apud Isidorum uerba quae Seruius omiserit[1]), huiusmodi igitur locos ad communem fontem esse reuocandos. Idem nos obseruauimus de Plinianis quibusdam locis. Hunc communem fontem, ex quo et Seruius et Isidorus ea hauserint quae non ad uerbum inter se congruant Thilo uult esse alium commentarium Vergilianum, recte, et ea quidem de causa quod locis illis separatim tractatis sermo est de rebus diuersis quidem inter se, coniunctis tamen eo, quod omnes ad Vergilium spectant. Vides quem Dressel statuit librum ignotum Isidori fontem cum commentario de quo cogitauit Thilo facile in unum posse confundi, ita ut habeamus hoc stemma:



(nam si septem locos Plinianos Seruius certe ex secundario fonte sumpsit, dein duodeuiginti locis[3]) Plinio adscripsit quae non Pliniana sunt, tum omnibus, quoscunque habet Plinianos, locis ad sensum modo aduocauit scriptorem, non ad uerbum, nostro iure dubitare liceat, num omnino Plinium ipsum legerit.) — Huic commentario uelim adscribere de nostrorum locorum serie: A 37 (cf. supra). — B 46. Aen. VI 218: 'pars calidos latices: Plinius in naturali historia dicit hanc esse causam ut mortui et calida abluantur et per interualla conclamentur, quod solet plerumque uitalis

1) Exemplum affert Plinianum ab Isid. Orig. XVI 24, 2 sq. plenius expositum quam a Seruio Aen. VIII 402. 2) Cf. Nettleship l. l. p. 329 sqq. 3) Plinii hist. nat. citatur omnino 39 locis.

spiritus exclusus putari et homines fallere, denique refert quendam superpositum pyrae adhibitis ignibus erectum esse nec potuisse liberari, unde et seruabantur cadauera septem diebus et calida abluebantur et post ultimam conclamationem comburebantur: unde traxit Terentius desine, iam conclamatum est.' — C 87. Aen. X 184: 'intempestaeque Grauiscae: ... Grauiscas accipimus pestilentes secundum Plinium in naturali historia et Catonem in originibus, ut intempestas intellegas sine temperie, id est tranquillitate: nam ut ait Cato ideo Grauiscae dictae sunt, quod grauem aerem sustinent.'[1]) — B 57. Aen. IX 377: 'ad diuortia: ad diuerticula uiae militaris: Terentius ubi ad ipsum ueni diuerticulum, diuerticula autem sunt semitae transuersae, quae sunt a latere uiae militaris. Cf. Isid. Orig. XV 16, 11, Non. p. 290, 25, 458, 19, Don. ad Eun. IV 2, 7, Prisc. III 514, 24, Thilo praef. p. XXXIX sq. XLII. — C 73. Aen. I 726: 'laquearibus: principaliter lacus dicitur, ut Lucilius resultant aedesque lacusque; diminutio lacunar facit, ut Horatius ..., inde fit alia diminutio lacunarium et per antistoichon laquearium.' Cf. Isid. Orig. XV 8, 6, XIX 12 (paulo plenior), Schol. Veron. 99, 22 K. — Deinde A 40. Aen. VIII 310: 'facilisque — circum: physici dicunt ex uino mobiliores oculos fieri: Plautus faciles oculos habet, id est mobiles uino.' Cf. Plin. h. n. XXIII 38: 'uino modico nerui iuuantur, copiosiore laeduntur, sic et oculi.' — A 19. Aen. XII 87: 'alboque orichalco: apud maiores orichalcum pretiosius metallis omnibus fuit: namque sicut Lucretius dicit [V 1241] ... terra ... desudauit metalla, inter quae orichalcum pretiosius uisum est, quod et splendorem auri et aeris duritiam possideret. ... orichalcum placuit donec ueniretur ad ferrum. ... orichalcum autem fuisse pretiosum etiam Plautus docet, qui ait in milite glorioso ego istos mores orichalco contra comparem.' Cf. Isid. Orig. XVI 20, 3. — B 30. Aen. XII 120: 'uerbena tempora uincti: uerbena proprie est herba sacra, sumpta de loco sacro Capitolii, qua coronabantur fetiales et pater patratus foedera facturi uel bella indicturi, abusiue tamen iam uerbenas uocamus omnes frondes sacratas, ut est laurus, oliua uel myrtus. Terentius: ex ara hinc uerbenas sume, nam myrtum fuisse Menander testatur, de quo Terentius

1) 'secundum Plinium — et' Jordan pro gloss. habuit, sine dubio quod in Plinio nil inest de hac re. Verum hoc minime necessarium, ut uidimus. Ceterum quae supra p. 372 coniecimus de Hygini, Catonis, Plinii apud Seruium doctrina ex uno eodemque fonte sumpta, hoc loco C 87 stabiliri uides.

transtulit.' Cf. schol. Bern. ad Buc. VIII 65[1]), Seru. Dan. ad eund. l., Don. ad Andr. IV 3, 11: 'ex ara sume uerbenas: uerbenae sunt ... omnes herbae frondesque ex aliquo loco puro decerptae ... sic Menander: *κοκεξίας σὺ μυρρίνας χχς διετεινε.*'[2]) Plin. h. n. XXII 5: ... 'certe utroque nomine (sc. sagminis et uerbenae) idem significatur, hoc est gramen ex arce cum sua terra euolsum, ac semper e legatis, cum ad hostis, mitterentur ... unus utique uerbenarius uocabatur.' — C 78. Aen. XII 419: 'panaceam: genus herbae. sciendum tamen Lucretium[3]) panaceam ubique salem dicere' e. q. s. — C 64. Buc. IX 54: 'lupi Moerin uidere priores: hoc etiam physici confirmant, quod uoce deseratur is, quem prior uiderit lupus: unde etiam prouerbium hoc natum est lupus in fabula, quotiens superuenit ille de quo loquimur et nobis sui praesentia amputat facultatem loquendi.' Cf. Plin. h. n. VIII 80: ... 'in Italia ... creditur luporum uisus esse noxios uocemque homini quem priores contemplentur adimere ad praesens.' Isid. Orig. XII 2, 24, Don. in Ad. IV 1, 21. — B 49. Georg. I 57: 'India mittit ebur: et in Africa fuerunt elephanti, sed meliores in India. hinc est quod ait Terentius elephantis quem Indicis praefecerat, id est maximis.' Cf. Plin. h. n. VIII 7: 'etenim rara amplitudo iam dentium (sc. elephantorum) praeterquam ex India reperitur.' VIII 27: 'Indicum (eleph.) Africi pauent ... nam et maior Indicis magnitudo est.' VIII 32: 'Elephantos fert Africa ... ferunt Aethiopes ... sed maximos India.' Don. ad Eun. III 1, 23. — A 16. Georg. II 115: 'Eoasque domos Arabum: Arabia, Panchaia, Sabaeorum gens eadem est, apud quam tus nascitur ... Plautus arabico ture.' Cf. ad Aen. I 416, Georg. I 57, apud Plinium praeter alia multa, ubi de Arabibus eorumque ture agitur praesertim h. n. VI 154. 'Sabaei Arabum propter tura clarissimi.'[4]) — Tum liceat huc reuocare (cf. supra B 57). A 6. Buc. III 16: 'quid fures: plerumque personae suis nominibus exprimuntur, plerumque etiam per officia designantur,

1) Errauit Ribb. prol. p. 172 in schol. Bern. 'Terentium' pro Scauro habens cf. Hagen schol. Bern. p. 726, Ribb. Append. p. IX, Kummrow symb. crit. p. 2 adn. 5. 2) Sic cod. teste Meinekio com. gr. frgm. IV p. 83. *ἀπὸ δεξιᾶς σὺ μυρρίνης κλάδους λάβε* Bentleius. *ἀφ' ἑστίας σὺ μυρρίνας δέχου Δυστηνέ* Jacobsius. *ἀπὸ Λοξία σὺ μυρρίνας τασδὲ [λαβὼν] ὑπότεινε* Meinekius ibid. p. 710. 3) Apud Lucretium nil de hac re inuenitur, substituit L. Mueller (ed. Luc. p. 159) post alios Lucilium. 4) Hoc fortasse ad Aspri commenta redit, quippe quod coniunctim cum adn. de pictis Agatyrsis exhibetur, auctore Aspro prolata. cf. schol. Veron. ad Aen. IV 146, Georg. II 115, Seru. ad Aen. IV 146, Ribb. prol. p. 135.

ut si dicas 'philosophus' nomen ipsum ponis, si autem uelis dicere 'sapientiae operam dans' personam exprimes per officium, sicut hoc loco fecit: nam pro seruo furem posuit, furta enim specialiter seruorum sunt: sic Plautus de seruo homo es trium litterarum id est fur.' Cf. Isid. diff. uerb. 340: 'Inter latronem et furem: qui alienum inuolat fur est . . . pulcre autem Plautus cuidam qui furabatur ait: tu trium litterarum homo, id est fur.' Non. 310, 18, Gl. Matrit. ap. Goetzium Berl. phil. Wochenschr. VIII (1888) p. 303. — Postremo quae ad ciuitates orbemque terrarum describendum attinent dubitanter tamen eidem fonti tribuimus (cf. supra p. 372).[1]) Sunt: C 93. Aen. I 108: 'saxa latentia: . . . quae saxa . . . Itali aras uocant . . . quae arae a Sisenna propitiae uocantur.' — C 54. Aen. I 741: 'docuit quae maximus Atlas: Atlas Graecum est sicut et Nilus: nam Ennius dicit Nilum Melonem uocari, Atlantem uero Telamonem.' Cf. ad Aen. IV 246, IX 30, Georg. IV 291, comm. Luc. X 215, Isid. Orig. XIII 21, 7. — C 88. Aen. V 564: 'Polite progenies: illum dicit, quem supra a Pyrrho introduxit occisum; de quo Cato in originibus dicit quod ad Italiam uenerit et . . . condiderit oppidum Politorium a suo nomine.' Cf. Seru. Dan. ad Aen. I 2. — A 27. Aen. VII 715: 'qui Tiberim Fabarimque bibunt . . . Fabarim . . . quem dicit . . . per Sabinos transit et Farfarus dicitur. Plautus dissipabo te tamquam folia Farfari.' e. q. s.[2]) — C 65, 80. Aen. X 564: 'tacitis regnauit Amyclis: . . . cum frequenter falso nuntiarentur hostes et inani terrore ciuitas quassaretur, lata lege cautum est ne quis umquam hostis nuntiaret aduentum. postea cum uere hostis ueniret, nullo nuntiante ex improuiso ciuitas capta est: unde tacitae Amyclae dictae sunt quod periere silentio. hinc est quod ait Lucilius mihi necesse est loqui, nam scio Amyclas tacendo perisse.' Cf. schol. Veron. ad Aen. V 564: 't. r. A.: . . . Amyclis ex prouerbio sumptum est, cuius Afranius meminit in Prodito: Deliberatum est non tacere amplius: Amyclas tacendo perisse audio.'[3]) — C 86. Aen.

1) Praeter Plinium, Ptolemaeum, Hyginum Catonem fortasse etiam Cornuti 'de Italia' liber hic primarius fons subest. 2) Hunc uersum cum Goetzio et Loewio (adn. ad Plaut. Poen. II 1, 32) atque Wintero (p. 77) pro fragmento habere malim, quam pro Poenuli uersu: 'dicam: uiscum legioni dedi Fundasque eo praesternebant folia farferi' qui ne sensum quidem eundem praebet. 3) Hertzbergio assentior, qui (Mus. Rhen. XIII p. 639) his non Laconum oppidum esse respiciendum docet, sed Latinorum quoddam memoratum a Plinio quoque hist. nat. III 59 (Amyclae siue Amynclae), VIII 104 (Amynclae). Ceterum usque ad Ribbeckium (com. Rom. fr.[2] p. 199 adn.), quoad quidem uideo, uersus a

XI 700: 'Appenninicolae — Auni: . . . Ligures . . . omnes fallaces sunt sicut ait Cato in secundo originum libro.'[1])

§. 13. Pergentes nunc ad aliud cogitemus necesse est de loco A 7. Georg. I 344: 'cui tu — Baccho: . . . superfluum est, quod quidam dicunt, contra religionem dixisse Vergilium licere Cereri de uino sacrificari: pontificales namque hoc non uetant libri. quod autem ait Plautus, cuius illi utuntur exemplo: Cererin nuptias facturi estis, qui sine temeto huc aduenitis? non est huic loco contrarium, nam aliud est sacrum, aliud nuptias Cereri celebrare, in quibus re uera uinum adhiberi nefas fuerat e. q. s.' Seruius ergo hoc loco aduersatur quibusdam, qui Vergilium falsum esse dixerant eo quod Cererem uino sacrificato celebrandam esse praeceperit: minime enim licere Cereri de uino sacrificari, id ex uersu Plautino Aulul. II 6, 5 colligi posse. Priusquam consideremus, quid Seruius ad hanc ratiocinationem refringendam attulerit, primum quaeramus unde ei uenerit notitia sententiae illius cui obstat. Obuiam nobis est locus simillimus Macrobii Sat. III 11, 1 sq. hic: 'si euentu excusantur inlicita dic, quaeso, quod erat monstrum se-

scholiasta Veronensi aduocatus Afranii non pro eodem habitus est ac Lucilianus qui extat apud Seruium: nam nec Hermannus (op. V p. 285) nec Ritschelius (op. II p. 502) nec Hertzbergius (l. l.) in emendando Afranio ad Seruium recurrunt. Primus Ribbeckius l. l. Afranianum cum Luciliano uersu in unum confudit putans Lucilii nomen errore positum apud Seruium, cetera autem praua memoria destructa esse. Adsentitur L. Muellerus (ed. Luc. p. 168). — Hertzbergius l. l. Luciliana uerba a Seruio adscripta sic emendauit:

◡ – mihi loqui necesse est; nam scio:
Amunculas tacendo periisse audio

(atque uix possunt aliter redigi in numeros): iambicos igitur senarios esse uult. Huiuscemodi uero uersus in libris Lucilii I—XX et XXII, quorum solorum Seruius alias adhibuit excerpta (cf. Mueller ed. Luc. praef. p. IX et XXI) certe non inerant (Mueller p. XII). Igitur iam inde Ribbeckii sententia fit probabilis, qui hos uersus a Lucilio abiudicatos Afranio tribuit.

1) Sine dubio Seruius Catonis uerba respexit eadem, quae Seru. Dan. magis ad uerbum adnotauit ad Aen. XI 715: . . . 'Cato Originum cum de Liguribus loqueretur sed ipsi, unde oriundi sunt, exacta memoria inlitterati mendacesque sunt et uerba minus meminere.' Peruersum tamen est haec edere coniuncta cum illis, ut Popma et Jordan [or. II. fr. 1] fecerunt, quibus recte aduersatur Peterus hist. Rom. rell. I p. 60 adn., qui uero et ipse sententiam attulit non minus improbabilem. Opinatur enim duobus locis Catonem de hac Ligurum indole locutum esse posse. Rectum, teste Petero, primus uidit Bormann (Cat. rell. fr. 21).

cuturum et cum Cereri libari uino iuberet quod omnibus sacris uetatur? cui tu lacte fauos et miti dilue Baccho. Vinum autem Cereri non libari debuit illum uel Plautus docere, qui in Aulularia [II 6, 5] ait: e. q. s.' Vides hic sine ullo dubio Seruianam cum Macrobiana adnotatione uinculo quodam coniunctam esse, cumque nec de Macrobio a Seruio[1]) nec de Seruio a Macrobio exscripto[2]) ullo modo liceat cogitari, nil iam restat quam ut communem fontem subesse credamus. Ille fons qualis fuerit nunc alios secuti paucis exponamus. Primus quod sciam de tertii Macrobiani libri fonte Thilo (quaestt. Seru. p. 52 sq.) accuratiora protulit. Qui quidem inde proficiscens, quod Saturnaliorum septimus liber certe e Plutarchi quaestt. conuiualibus haustus est, multa praeterea Gelli capita uerbotenus paene a Macrobio translata sunt, suo iure in uniuersum de ratione, qua ille fontes suos exscripserit id saltem sibi statuere uisus est, Macrobium auctorum suorum maiores partes continuas in usum conuertisse. Et recte statuit. Inde autem collata Macrobiani operis indole, per quod saepissime in unum comprehensa et semel dicta uidemus, quae ad plures uersus Verg. inter se similes dicenda erant, id quoque uerisimile fecit, quae habeat Vergiliana Macrobium non e commentariis antiquorum conscripsisse, sed ex libris, quibus singulae de Vergilio quaestiones, ueluti de rebus sacris, de rhetoricae artis praeceptis diligenter obseruatis, aliae, soluto uersuum ordine fusius tractatae fuissent. Atque separatim de tertii libri fonte agens haec uerisimilia esse censet, scholiastam aliquem auctorem esse qui rerum sacrarum antiquitates a Verg. commemoratas explicandas susceperit, quem propter Hateriani auctoritatem laudatam [III 8, 2] ineunte fere saeculo quarto scripsisse suspicatur.[3]) Quam Thilonis coniecturam, quippe quae in uniuersum rectis obseruationibus innitatur,[4]) Linke l. l. adoptauit, mutatis tamen quibusdam quae minoris sunt momenti. Fortasse enim acutius quam uerius coniecit ille

1) Hoc plane peruersum esse iam inde elucet, quod Seruius a Macrobio sescenties laudatur. 2) Cf. de hac re Thilo quaestt. Seru. p. 16 sqq. ed. Seru. Praef. p. XXII, Linke de Macrobii fontt. p. 11 seq., Thomas, essai p. 156, 164, qui omnes recte dixere contra Ribbeckium proll. p. 104 sqq. Append. p. XI. 3) Haterianus Vergilii commentator medio III saeculo adscribendus est, cf. Graefenhan. hist. phil. IV 303, Ribb. proll. p. 177. 4) Interim Kettner (Cornelius Labeo, Naumb. 1877 p. 13) sine dubio Thilonis obseru. non respiciens falsam de commentario Verg. a Macrobio exscripto opinionem in lucem protraxit, simili errore obstrictus est Wissowa (de fontt. Macrob. p. 45) cum dicit: 'multa Macr. deprompsit e commentario aliquo perpetuo, quem uocamus, Verg. quarto saeculo conscripto, fortasse Aeli Donati.'

u. d. (p. 31 sqq.) non ex uno, sed ex duobus libris Macrobium hausisse quae per librum tertium legimus, in altero fonte (p. 31—35) actum fuisse 'de uerbis sacris uel sacrificalibus a Vergilio recte usurpatis', in altero (p. 35—37) 'de singulis rebus Vergilii', et huic libro Linke nostrum quoque locum III 11, 1 sqq. inesse uult. — Quae Linkium causae adduxerint, ut duos pro uno fonte statueret, non satis liquet: est enim argutior mea quidem ex sententia quam uerior inter res et uerba sacra distinctio. Vide praeterea quam mire et contra consuetudinem suam alias obseruatam Macrobius duorum illorum librorum argumenta confuderit atque conglutinauerit, siquidem Linkio credimus. Ille enim III 1 posteriori, 2, 1—6 priori, rursum 2, 7—9 posteriori, 2, 10—17 priori, 3, 1—9 priori, 3, 10—12 posteriori, 4 priori, 5, 1—7 priori, 5, 8—11 posteriori, 6, 1—8 posteriori, 6, 9—15 priori, 6, 16, 17 posteriori, 7, 1, 2 posteriori, 7, 3—8 priori, 8, 1—4 posteriori, 8, 5—13 priori, 8, 14; 9, 10, 11, 12 posteriori libello adscribere uult. Hoc per se ipsum minime uerisimile est. Accedit quod primariorum fontium magna similitudo intercedit inter libellos Linkianos, utriusque enim auctor adiit Festum - Verrium Flaccum (Linke p. 32 et p. 36).[1]) Neque omittamus — id quod Thilo praef. ed. Seru. p. XXVI inprimis Linkio obiecit — capita Macrobii III 18—20, quae ut ex eodem fonte quam reliqua deriuare libroque 'rerum' Verg. adicere posset Linkius prae aliis mihi uidetur motus esse, ut talem librum statueret, — illa igitur capita num omnino ad Vergilianorum carminum interpretationem pertineant, ualde dubium esse, quamuis Vergiliani uersus aliquot locis commemorentur. Abicienda igitur Linkii coniectura, retinenda Thilonis. — Atque eodem hoc libello, Macrobii fonte, Seruium esse usum iam ex eis quae protulimus certo euincitur: nunc uero, ut omnem dubitationem repellamus, uideamus necesse est, num apud ipsum talium librorum uestigia indagari possint. Atque nosse Seruium tales libros, id locus ad Aen. VI in. docet (a Linkio p. 30 adn. 3 allatus) hic: 'Totus quidem Verg. scientia plenus est, in qua hic liber possidet principatum ... et dicuntur aliqua simpliciter, multa de historia, multa per altam scientiam philosophorum, theologorum, Aegyptiorum, adeo ut plerique de his singulis huius libri integras scripserint pragmatias.' Nouit igitur talia atque non modo nouit sed etiam adhibuit, si modo recte perspexit Thilo (praef. p. XXVI adn. 2) locorum Aen. II 148 et X 228 —

1) Nostro quoque loco Festi similis exstat adnotatio 364, 30 M., ex qua Nonii scholion fluxit 5, 4 M. (cf Nettleship essays p. 231).

C 1 — fontem. Tamen Seruium[1]) nonnisi cautione aliqua adhibita illis libris usum esse et Thilo loco modo allato dicit et nos intellegere possumus considerantes, quid nostro loco A 7 Seruius 'quibusdam' illis a se citatis opposuerit. Dicit enim errare eos: nam hic non esse sermonem de nuptiis Cereri celebratis, ut apud Plautum, in quibus reuera uinum adhiberi nefas fuerit, sed de sacro. Valde alia sunt ea, quae Macrobius III 11, 9 sq. Praetextatum isdem Vergili obtrectatoribus respondentem fecit, quaeque ille sine dubio communi illi debuit fonti, de quo modo egimus: 'mitem Bacchum esse mulsum i. e. potum compositum ex melle et uino, mulso Cereri sacrificari licere' (cf. de eod. l. Thilo quaest. Seru. p. 40). Fortasse a ueritate non aberrabimus, si antiquioris illius auctoris explicationem Seruio minus placuisse dicemus, atque inde eam abiectam esse a nostro contendemus. — Sed haec hactenus, redeamus nunc ad certum illud quod remansit: Seruio nempe librum ad manus fuisse quarto saeculo scriptum, quo de antiquitatibus Vergilianis, inprimis sine dubio de religionibus Romanorum a poeta commemoratis agebatur. Quae quoniam nunc quasi coram publico affigimus, proponamus lectoribus locos nonnullos, quos sine ullo incommodo illi libro posse tribui quamuis censeamus, demonstrare tamen non possumus: C 83. Aen. VI 609: 'aut fraus innexa clienti: ex lege duodecim tabularum uenit, in quibus scriptum est patronus si clienti fraudem fecerit, sacer esto. ... et hoc posse fieri ex Horatii dictis intellegimus, qui ... ait de uicino cliente [carm. II 18, 26] pellitur paternos in sinu ferens deos. Urbano tamen hoc displicet et dicit rarum esse hoc magisque contrarium, cum magis patronos decipiant frequenter clientes' e. q. s. Cf. Schoellius prol. p. 50. — A 13. Aen. VII 88: 'incubuit: incubare dicuntur proprie hi qui dormiunt ad accipienda responsa: unde est ille incubat Ioui, id est dormit in Capitolio, ut responsa possit accipere.'[2]) — A 2. Aen. VIII 564: 'Feronia mater: nympha Campaniae, quam etiam supra diximus. haec etiam libertorum dea est, in cuius templo raso capite pilleum accipiebant, cuius rei etiam Plautus in Amphitryone facit mentionem: quod utinam ille faxit Iuppiter, ut raso capite portem pilleum.' Cf. ad. Aen. VII 799, Non. 228, 19. — C 1. Aen. X 228: 'Vigilasne — uigila: uerba sunt sacrorum; nam uirgines Vestae certa die ibant ad regem sacrorum et dicebant uigilasne rex? uigilia.' Cf. ad Aen. II 148

1) Seruius Dan. innumerabilibus locis adhibuit. 2) Versus Plauti [Curc. II 2, 16] est: Namque incubare satius te fuerat Ioui.

et Thilo praef. p. XXVI adn. 2. — C 84. Aen. XII 606: 'et roseas laniata genas: moris fuit, ut ante rogos humanus sanguis effunderetur ... si forte copia non fuisset, laniantes genas suum effundebant cruorem, ut rogis illa imago restitueretur. tamen sciendum cautum lege XII tabularum, ne mulieres carperent faciem, his uerbis: 'mulier faciem ne carpito.' Cf. Cic. de legg. II 25, 64; 23, 59; Plinius h. n. XI 157, Fest. p. 273 M., Gloss. Paris. p. 154 Hildebr., Schoell. prol. p. 15. — C 82. Buc. VIII 99: 'atque — messes: magicis quibusdam artibus hoc fiebat, unde est in XII tabulis neue alienam segetem pellexeris.' Cf. Seneca nat. quaest. IV 7, Sch. prol. p. 49, 76.[1])

Item ad tales referendi sunt libros sine dubio: B 21[a]. Aen. I 8: 'quo numine laeso: ... namque Iuno multa habet numina: est Curitis ... est Lucina, quae partibus praeest, ut Iuno Lucina fer opem, est regina ... sunt et alia eius numina. merito ergo dubitat quod eius laeserit numen Aeneas.' — Buc. IV 10: 'casta faue Lucina: ... Terentius Iunonem Lucinam dicit, ut Iuno Lucina' e. q. s. Cf. Macrob. Sat. I 17, 4 ... 'sicut Maro, cum de una Iunone diceret 'quo numine laeso' ostendit unius dei effectus uarios pro uariis censendos esse numinibus, ita' e. q. s.[2]) Seru. Dan. ad Aen. II 610, Georg. III 60, Isid. Or. III 71, 2. — C 89. Aen. I 726: 'atria: ut supra diximus tangit Romanam historiam nam ut ait Cato et in atrio et duobus ferculis epulabantur antiqui. ... ibi etiam pecunias habebant: unde etiam qui honoratiores erant liminum custodes adhibebantur.' Cf. ad Aen. I 637, IX 645 — A 5.[3])

§. 14. Iam in memoriam nobis reuocemus Donatum, Urbanum, 'commentatores' quosdam, ut uidimus (§. 2, IX), proniores fuisse ad obtrectatorum in Vergilium maledicta, paucisque exponamus quid omnino antiquitus de illis poesis Vergilianae aduersariis sit traditum. Ex re uidetur esse integra apponere quae Donatus in

1) Adnotandum ubique Schoellium de placitis legum a Seruio ad uerbum citatis suo iure dubitare. 2) Wissowa (De Macr. Satt. fontt. p. 35 sqq.) Macrobii Saturnaliorum I cap. 17—23 fontem, a quo Seruium quoque hoc loco pendere uerisimile est (quamquam Macr. strictim modo tangit Seruianam doctrinam, aliam atque ille rem curans), librum uult esse saeculo quarto, medio aut exeunte, latino scriptum sermone, quo continerentur Iamblichi philosophi placita additamentis ad res Romanas spectantibus aucta. 3) Integras pragmatias et de aliis rebus et de historia 'a plerisque' scriptas Seruii in usu fuisse scimus.

uita Vergilii p. 65 sqq. Reiff. = 739 sqq. Hagen[1]) de illis obtrectatoribus tradidit: 'Obtrectatores Vergilio numquam defuerunt, nec mirum: nam nec Homero quidem. Prolatis Bucolicis nūinatorus[2]) quidam rescripsit Antibucolica, duas modo eclogas sed insulsissime παρῳδήσας, quarum prioris initium est: 'Tityre, si toga calda tibi est, quo tegmina fagi?' sequentis 'dic mihi Damoeta 'cuium pecus' anne latinum? Non; Verum Aegonis nostri sic rure loquuntur.' Alius recitante eo ex Georgicis: 'nudus ara, sere nudus' subiecit 'Habebis frigore febrem'. Est et aduersus Aeneida liber Caruili Pictoris titulo Aeneidomastix. M. Vipsanius a Maecenate eum suppositum appellabat nouae cacozeliae repertore, non tumidae nec exilis, sed ex communibus uerbis atque ideo latentis. Herennius tantum uitia eius, Perellius Faustus furta contraxit. Sed et Q. Octaui Auiti 'Ομοιοτελεύτων[3]) octo uolumina quos et unde uersus transtulerit continent. Asconius Pedianus libro quem contra obtrectatores Vergilii scripsit pauca admodum obiecta ei proponit, eaque circa historiam fere et quod pleraque ab Homero sumpsisset e. q. s.' Videamus nunc num apud Seruium quaedam aduersariorum illorum uestigia sint obuiam. Hemistichium 'habebis frigore febres' ille quoque adnotat ad Georg. I 299. Aeneidomastix liber idem uidetur esse, quem Seruius 'Vergiliomastiga' appellat Aen. V 521, Buc. II 23. Herenni, Perelli Fausti, Auiti nomina quamquam apud nostrum non inueniuntur, tamen uestigia doctrinae eorum nullo modo desunt: permultis enim locis Vergilius de Homero, Platone, Hesiodo, Apollonio, Arato, Theocrito, Ennio, Accio, Lucilio, Plauto, Terentio, Pacuuio, Lucretio, Sallustio, Cicerone, sermonem aliquem uel integros uersus transtulisse dicitur.[4]) Denique si respicimus Asconium, nomen quidem eius apud Seruium — Thilonianum nempe — non occurrit: tamen qui conferat [Prob.] comm. p. 77 K: ... 'cum certum sit eum, ut Asconius Pedianus dicit duodetriginta annos natum Bucolica edidisse' et Seru. praef. Buc. p. 3, 26 Th.: 'sane sciendum Vergilium XXVIII annorum scripsisse bucolica'[5]) facile concedet, Asconi Pediani quoque scriptorum Seruium notitiam habuisse. Extant apud Seruium praeterea, ut omittam quae de Bauio,

1) In schol. Bern. editione. 2) Sic. codd. et 'numinatoris', 'innominatus' Daniel. Reiff. 'Numitorius' Hagen auctore Ribbeckio prol. p. 99. 3) Sic codd. 'homoeon elenchon' Reiff., Ribb. p. 99, 'ὁμοιοτελεύτων' Hagen recte. 4) Cf. quae congessit Kirchner l. l. p. 478—481, quocum tamen nos non omni numero consentire suis locis uel iam adnotatum uel adnotabitur. 5) Et fortasse etiam Don. uit. Verg. 57, 4 Reiff. = Seru. ad Buc. II 15, III 20, cf. Ribb. prol. p. 101 collatis eis quae Hagen praef. prol. Verg. p. VI sqq. contra eum disputat.

Maeuio, Ansero aduersariis a Vergilio ipso cauillatis dicuntur Buc. III 90, VII 21, IX 36, commentariorum (ad Georg. I 147) et 'criticorum' praecipue commemorationes permultae, quas Ribbeckius (p. 102) pro parte certe, ad obtrectatores reuocare uult: recte, minime tamen negat et ipse, posse talia a posteriorum temporum commentatoribus esse excogitata. De Metrodoro apud Seru. Georg. I 229 defendente Vergilium cf. Ribb. p. 102. — Dixi modo Seruium notitiam habuisse Asconii Pediani librorum, quod tamen nolim ita accipi, quasi putem ad manum fuisse quae Pedianus composuerat nostro. Immo hoc nec de eo, nec de obtrectatoribus ullo modo potest credi propter temporum rationem. Inde a commentariis aeui Seruio propioris (Urbani Donatique) ad Seruium recta uia peruenisse quae de maculis Vergilianae poesis detectis refert suspicio est ultro se offerens. Atque locos ipsos, de nostris horreis quotquot possunt ad obtrectatores referri, nunc proponamus.

Herennius, Perellius Faustus, Q. Octauius Auitus quae Vergilio obiectabant in memoriam reuocant haec:[1]) A 32. Aen. I 140: 'uestras Eure domos: ... quod dicit 'saxa immania uestras domos' de Pseudulo Plauti tractum est, ubi ait nisi forte carcerem aliquando effregistis uestram domum.' — C 47. Aen. I 224: 'ueliuolum: duas res significat, et quod uelis uolatur, ut hoc loco, et quod uelis uolat, ut Ennius naues ueliuolas, qui et proprie dixit.' Cf. Macr. Sat. VI 5, 10. — C 46. Aen. II 241: 'o patria: uersus Ennianus.' — C 39. Aen. II 274: 'ei mihi: Enni uersus.' — C 12. Aen. II 486: 'at domus interior: de Albano excidio translatus est locus.' — C 15. Aen. IV 404: 'it nigrum campis agmen: hemistichium Ennii de elephantis dictum, quo ante Accius est usus de Indis.' — C 13. Aen. VI 219: 'Lauant frigentis et ungunt: uersus Ennii qui ait Tarquinii corpus bona femina lauit et unxit.' (idem us. Enni aduocatur a Donato ad Hec. I 2, 60). — C 77. Aen. VI 625: 'non mihi si linguae centum sint: Lucretii uersus sublatus de Homero sed aerea uox dicit.' — Georg. II 42: 'non ego cuncta meis: Lucretii uersus, sed ille aenea uox ait, non 'ferrea'. Cf. Macr. Sat. V 7, 16, VI 3, 6.[2])

1) Cf. et p. 382. 2) Num Lucretii sit ille uersus, ut Seruius testatur, an Lucilii, dubium. Secundum L. Muellerum (ed. Luc. p. 159. adn.) 'nonnulli Lucilio hunc tribuere, ea sine dubio de causa quod in Lucretio nostro non inest'. Lachmannus uero (comm. ad Lucr. p. 399) ea uerba fuisse quondam censuit in lacuna hiante apud Lucretium post VI 839. Certi de hac re uix quidquam sciri potest. — De discrepantia scripturae quae intercedit in uersu aduocato inter duos Serui locos cf. Lachm. l. l.

— C 6. Aen. VIII 631: 'geminos huic: ... sane totus hic locus Ennianus est.' — C 21. Aen. IX 163: 'uertunt crateras aenos: ... est hemistichium Ennianum.' — C 67. Aen. IX 225: 'consilium summis regni de rebus habebant: Lucilii uersus uno tantum sermone mutato: nam ille ait: consilium summis hominum de rebus habebant.' — C 30. Aen. IX 501: 'at tuba terribilem sonitum: hemistichium Ennii: nam sequentia iste mutauit, ille enim ad exprimendum tubae sonitum ait taratantara dixit, et multa huiusmodi Vergilius cum aspera inuenerit mutat.' — C 66. Aen. X 104: 'accipite ergo animis: totus hic locus de primo Lucilii translatus est ... sed ... mutauit.' — C 27. Aen. X 396: 'semianimesque micant digiti ferrumque retractant: Ennii est, ut oscitat in campis caput a ceruice reuulsum semianimesque micant oculi lucemque requirunt. quem uersum ita transtulit ad suum carmen Varro Atacinus.' — C 38. Aen. XI 27: 'quem non uirtutis egentem: Ennii uersus est.' — C 57. Aen. XI 259: 'uel Priamo miseranda manus: ... est ... Pacuuii qui ait si Priamus adesset et ipse eius commiseresceret.' — C 44, 68. Aen. XI 601: 'horret ager: ... est ... uersus Ennianus uituperatus a Lucilio dicente per inrisionem, debuisse eum dicere horret et alget.' Cf. Macr. Sat. VI 4, 6. — C 26. Aen. XI 608: 'intra iactum teli: ... Enniana est omnis haec ambitiosa descriptio.' — C 3. Aen. XI 660: 'pulsant: Ennius ad musas quae pedibus pulsatis Olympum.' — C 41. Aen. XII 115: 'lucemque elatis naribus efflant: Ennianus uersus est ordine commutato: ille enim ait: funduntque elatis naribus lucem.' — C 37. Aen. XII 499: 'irarum habenas: ... hic moderate locutus est: nam Ennius effundit irarum quadrigas dixit.' — C 14. Aen. XII 552: 'summa nituntur opum ui: hemistichium Ennianum. Cf. Macr. Sat. VI 1, 17. — C 74. Georg. II 98: 'rex ipse Phanaeus: de Lucilio hoc tractum est, qui ait *Χῖός τε δυνάστης* id est *οἶνος*.' — C 42. Georg. III 76: 'mollia crura reponit: Ennius de gruibus perque fabam repunt et mollia crura reponunt.' —

Ad Asconium dein Pedianum redire uidetur locus: C 19. Aen. VI 845 (sq.): 'quo fessum rapitis Fabii? (tun Maximus ille es Unus qui nobis cunctando restituis rem): ... 'fessum' tristem ... scilicet propter eorum mortem: nam trecenti sex fuerunt de una familia. qui cum coniurati cum seruis et clientibus suis contra Veientes dimicarent, insidiis apud Cremeram fluuium interempti sunt. unus tantum superfuit Fabius Maximus. ... ille est, de quo ait Ennius unus qui nobis cunctando restituit rem. sciens

enim Vergilius quasi pro exemplo hunc uersum posuit.' Cf. Macr. Sat. VI 1, 23. Verbis: 'sciens V.' e. q. s. mea quidem sententia demonstratur, antea a maleuolis obtrectatoribus crimini Vergilio esse datum, quod Enni uerba transtulerit ad suum carmen (id quod Macrobii quoque loco probatur). Defenditur hic Maro, atque defenditur allatis rebus a Romanis gestis. Quis uero his potissimum in rebus Vergilium defendit? Asconius Pedianus.

Cauillatores tum anonymi aduocantur atque refutantur locis: B 7. Aen. VII 268: 'est mihi nata: male multi arguunt Vergilium quod Latinum induxit ultro filiam pollicentem, nec oraculum considerantes, quia Italo dari penitus non poterat, nec Aeneae meritum, quem decebat rogari, nam antiquis semper mos fuit meliores generos rogare. sic Terentius hac fama impulsus Chremes ultro ad me uenit, unicam gnatam suam.' — B 3. Aen. X 861: 'Rhaebe — est: hoc loco notant Vergilium critici, quod homini sacrilego dedit prudentem sententiam: quam rem ratio naturalis excusat. ea enim quae per naturam mouent animos, in quamuis personam cadunt, illa uero tantum sunt prudentium, quae non nisi consilio et ratione deprehenduntur: unde et Terentius seruis dat plerumque sententias prudentissimas quidem, sed quae se per naturam offerunt cunctis, ut ne quid nimis.' Cf. Don. ad Andr. I 1, 34: 'ne quid nimis: sententia non incongrua seruo quia est peruulgata.'[1])

§. 15. Priusquam ad grammaticos Seruii locos tractandos transeamus restat, ut quaeramus, quos noster Vergilii commentatores ipse adhibuerit, quorum notitiam aliis debeat. Atque in hac quaestione quoad quidem possumus soluenda liceat proficiscamur ab obseruatione scitissima Kirchneri (l. l. p. 482). Conclusit enim ille uir doctissimus ex ea re, quod Seruius plerumque duorum uel adeo trium commentatorum nomina aduocat, commentarium modo tempore proximum talibus in locis ad manum habuisse nostrum, reliquorum uero nomina in illo commentario inuenta transcripsisse in suum librum. Adhibita hac uirga, ut ita dicam, diuina cito ad finem perueniemus, quo tendimus: Pollionis nomen aduocatur solum; Hygini (comm.) coniunctum cum Capri; Cornuti coniunctum cum Donati; Probi (comm.) coniunctum cum Aspri, Donati, Carmini, 'aliorum'; Aspri (comm.) coniunctum cum Probi, Donati, 'aliorum';

1) Kirchnerus ex eorum quos attulimus locorum numero et ipse ad obtrectatores refert A 32, C 46, 39, 12, 15, 13, 77, 6, 21, 67, 66, 38, 57, 44, 68, 26, 41, 14, 74.

Urbani coniunctum cum comm. 'aliorum'; Scauri (comm.) aduocatur solum; Donati aduocatur coniunctum cum Cornuti, Probi, Aspri; Carmini adu. solum. Sequitur ex hac tabella posse Seruium ipsum perlustrasse Pollionis, Urbani, Scauri, Donati, Carmini commentarios. Asinii uero Pollionis adnotationes ut a nostro inspectas esse negemus temporum ratione inducimur. Item Scauri commenta uix legisse uidetur, non ea de causa quod semel tantummodo illa citantur — Kirchnerum enim hac in re optime reprobat Thomas ess. p. 197 — sed quod ut supra uidimus nonnulla Scauri uestigia apud Seruium extantia ad Donatum redeunt. Restant igitur commentarii Urbani, Donati, Carmini, quos Seruio ad manus fuisse (secuti Kirchnerum) contendimus.[1]) Praeterea in eis quidem, quae adhuc tractauimus Seruium Varronis, Quintiliani, Suetonii scriptis et libris quibus res tractabantur Vergilianae nonnullis usum esse obseruauimus.

§. 16. De grammaticis disputans rebus Seruius nominatim aduocat auctores hos: Varronem ad Aen. V 409 = VI 304 (Varro et Plinius).[2]) — Ateium Philologum ad Aen. I 601. — Probum Aen. I 194, VII 421 (Probus de temporum conexione), X 33. — Plinium Aen. I 546, VI 304 (Varro . . et Plinius) IX 703. — Asprum Aen. XI 801. — Caprum Aen. VI 545 (Caper cum de praepositione ex tractaret), IX 706, X 344 = 788 (Caper ... in libris enucleati sermonis), X 377 (Caper in libris dubii generis). — Probum (-Sacerdotem) Aen. II 15 = VI 865. — De Varrone et Ateio Philologo fusius quaerere supersedimus, de Probo, Aspro et Probo-Sacerdote quae necessaria erant iam dicta sunt, restant igitur Plinius et Caper. Atque de Plinii studiis grammaticis priusquam agamus confiteamur necesse est, post tot

1) De Carminio a Seruio adhibito dubitasse uidetur Thilo (praef. ed. Seru. p. LXXVII) sine dubio id respiciens, quod item ille — commentatorem nunc respicio — non plus quam semel aduocatur.
2) Alios nonnullos eorundem auctorum et Verri Flacci Carminiique de elocutionibus locos, qui non ad grammaticam proprie dictam, sed partim ad rhetoricas disciplinas partim ad textus emendationem et etymologias atque differentias uerborum spectant [Varro Aen. VI 638, IX 192, Ateius (et Varro) Aen. V 45, Verrius Flaccus Aen. VIII 423, Probus Aen. III 3, Probus et Carminius Aen. VIII 406, Plinius Aen. II 18 — cf. Thil. adn. — II 69, IV 9, VII 273, Asper Aen. VIII 383, Caper (et Hyginus) Aen. XII 120, Carminius de elocutionibus Aen. V 233] iam supra suis locis adnotauimus, ita ut hic omittere possimus, item 'artigraphi' Aen. I 104 et 'artigraphorum' Aen. XI 76 mentiones.

uirorum doctorum de hoc inlustri grammatico obseruationes[1]) noua nos enucleare non potuisse, in eo igitur perstitimus, ut quae a prioribus accepta habeamus hic apponamus in ordinem modo redacta quam diligentissime. — Plinium maiorem, naturalis historiae scriptorem, dubii quoque sermonis libros octo composuisse et ipse (nat. hist. praef. §. 28) et Plinius minor (epp. III 5) testantur. Fragmenta operis collegit Lersch Sprachphil. I 179 sqq., II 158 adn.: quae Lersch omiserat addidit Neumann p. 4. De totius operis indole haec tantum ex omnium uirorum doctorum quos attulimus consensu dicamus, quae ex fragmentorum numero haud ita paruo optime possunt colligi, eum omnes fere grammaticae artis partes tractasse, in tractandis pariter analogiam (uel quam saepissime uocat rationem) pariter consuetudinem respexisse, locis paucis auctoritatem quoque et suauitatem aurium (euphoniam). Nettleship nuper (l. l. p. 205) schema dedit quo Plinii quoad nota est doctrina in octo librorum spatium possit distribui. Quod tamen mera nititur coniectura. Debemus maximam fragmentorum partem Romano (apud Charis. praesertim I, XVII de analogia — 116, 30 — 147, 16 K, quocum multa conueniunt in capite XV[2])), minorem Palaemoni, Capro (apud Prisc. praesertim libro V, II 141 — 171 H, quocum in libro VI. multa consentiunt, VII, VIII — cf. II 393, 9 H: 'sed et eorum et superiorum omnium usus tam apud Caprum quam apud Plinium et Probum inuenies' — IX, X[3]), aliis alia. — Haec in uniuersum de Plinio satis dicta: reuertamur nunc ad nostros locos atque qui Pliniani certe sint, qui possint ad eum referri cum aliqua ueritatis specie lectoribus aperiamus. Duo Seruii loci fragmentis ipsis illustrantur, qualia apud Charisium extant, Plinii nomine instructis. Sunt: C 22. Aen. VI 685: 'alacris: . . . sciendum antiquos et 'alacris' et 'alacer' et 'acris' et 'acer' tam de masculino quam de feminino genere dixisse. nunc masculino utrumque damus, de feminino 'alacer' et 'acer' numquam dicimus, licet Ennius dixerit: aestatem autumnus (sequitur), post acer hiemps it.' Cf. Charis. 114,

1) Cf. Lersch, Sprachphil. I 150—52. Graefenhan, hist. phil. ant. IV 100. Schottmueller, de C. Plinii Secundi libris grammaticis part. I Lips. 1858. Detlefsen, zur Flexionslehre des älteren Plinius symb. phil. Bonn p. 695—714. Brambach, lat. Orthogr. p. 131, 261, 324, 37 sq., 43. Christ, Philol. XVIII p. 170—73. Kirchner, de Seru. auct. gr. p. 506 sqq. Neumann, de Plinii dubii sermonis libris Charisii et Prisciani fontt. Kiliae 1881. Schlitte, de Plinii Secundi studiis grammaticis Nordh. 1883. Nettleship, Journ. of Phil. XV 202 sq. 2) Cf. Neum. pp. 5 sqq., 32. 3) Neum. p. 37—54.

1 K: 'Romanus libro de analogia ita inquit, 'Alacris, licet consuetudo, ut ait Plinius libro VI dubii sermonis, alacer dicat, ut equester ordo. ... tamen ... dici non debet 'alacer'. — B 96. Aen. XI 801: 'neque auras nec sonitus memor: haec est antiqua lectio, namque apud maiores trahebatur interdum a Graeco genetiuus singularis. hinc est et 'paterfamilias' et 'materfamilias', quae duo tantum nomina remanserunt: nam nec 'huius auras' dicimus, nec 'huius custodias' secundum Sallustium, qui ait: castella custodias thesaurorum pro 'custodiae'. ita enim etiam Asper intellegit, licet alii 'custodias' accusatiuum uelint. sane 'paterfamilias' quando dicimus, 'familias' indeclinabile est. si autem 'pater familiae' dicere uoluerimus, iam non erit nomen, sed locutio, et 'familiae' erit datiuus; nam 'pater mihi est' dicimus: Terentius natura tu illi pater es, consiliis ego.' e. q. s. Cf. Charis. 120, 8 sqq.: 'Augustas. cur pridie Kal. Augustas et non Augustarum dicimus? ubi Plinius Secundus eodem libro VI: a finita nomina singulari nominatiuo ueteres casu genetiuo as syllaba declinabant, ut Maia, Maias. nam et Sisenna inquit eum qui diceret pater familiae, patrum familiarum oportere dicere. itaque, patrum familiarum cum consuetudinis taedium respuerit, et pater familias dici perseueratum est.' [1]) — Locum praeterea A 26. Aen. XI 65: 'uimine querno: sunt aliquae durae deriuationes, tamen eis sic utimur ut 'quernum uimen', ... item aprugnum callum.' Cf. ad Georg. I 305 — Kirchner p. 508 Plinio adscribit, respiciens Seru. ad Aen. IX 703: 'taurea terga: usurpauit pro 'taurina' ... unde, sicut et Plinius dicit, deriuationes firmas non habent regulas, sed exeunt prout auctoribus placet.' Cf. et Pomp. comm. V 144, 14 K. Item de loci A 38. Aen. VI 775: 'castrumque Inui: ... 'castrum'. ciuitas est, nam castra numero plurali dicimus, licet legerimus in Plauto castrum Poenorum: quod etiam diminutio ostendit, nam castellum dicimus' fonte uix dubitabit si quis conferat cum Kirchnero p. 509 Pomp. comm. V 164, 13 K: ... 'ait Plinius secutus Varronem quando dubitamus principale genus, redeamus ad diminutionem et ex diminutiuo cognoscimus principale genus.' Restat locus B 48. Aen. I 35: 'salis: ... salem ... quo utimur singulari numero tantum dicimus; cum iocos significamus pluralem tantum ponimus numerum ... aliquando autem etiam urbanitatem per singularem numerum significamus, ut Terentius qui habet salem, quod in te est ... masculini enim generis est, non neutri' e. q. s. Cf. Don.

1) Cf. Neum. p. 15, 23, 33.

ad Eun. III 1, 10. — Quem locum Neumann p. 23 et Schottm. p. 43, innisi fr. Bob. adnotatione V 560, 30 K: . . . 'ut dicit Plinius Secundus in libris dubii sermonis hic salis, ab hoc sali' probabilibus de causis Plinio adscribunt. Accedit, quod per illud Romani de analogia caput (Charis. 116, 30 — 147, 16), in quo ut uidimus permulta Pliniana insunt, haec inueniuntur cum Seruianis nostris congruentia: 147, 14 sqq.: 'Vultur. Maro Aeneidos VI ... uultur ... ut turtur; uolturus Ennius: uulturus in spineto supinum mandebat hominem = C 11. Aen. VI 595: 'nec non et Tityon: ... sane in usu est 'uultur', licet Cicero uulturius dixerit, quod quidem potest esse et deriuatiuum: Ennius uulturus in campo miserum mandebat homonem.' Cf. Prisc. II 207, 2 — ita ut haec quoque doctrina Plinio aliquo modo adscribi possit.

Reliqua tamen huiuscemodi quae Seruius profert certis indiciis Plinio tribui non possunt, sed Capro soli, quem tamen uiri docti in uniuersum obseruarunt Plinii inprimis copiis inniti. Flaui Capri grammatici[1]), de cuius aetate ex lectione nil constat, quem uero facile uirorum doctorum ex consensu primo uel secundo saeculo adscribas, citantur 'artes' in uniuersum (Rufin. VI 556, 20 K), 'commentarii' (Hieron. adu. Ruf. II 9), 'de latinitate' (Charis. 194, 31, 207, 31), 'de lingua latina' (Pomp. comm. in Don. V 175, 30), 'de dubiis generibus' (Seru. ad Aen. X 377, Prisc. II 171, 15, 212, 15, Pomp. comm. l. l.), 'libri enucleati sermonis' (Seru. ad Aen. X 344), 'de praepositione ex' (Seru. ad Aen. VI 545). Non plures uero duobus libris a Capro esse conscriptos nunc constat, librum de latinitate siue de lingua latina siue enucleati sermonis (in quo inerant quae de praepositione ex tractabat) et de dubiis generibus librum. Item nunc omnes uiri docti consentiunt in eo, quod commentarium adscribunt Capro nullum. Fragmenta, quae Capri nomine inscripta nobis seruauerunt inprimis praeter Seruium Charisius et Priscianus, collecta inuenies apud Osannum. Extant hodie quoque sub nomine Capri duo libelli 'orthographia' et 'de uerbis dubiis', editi a Keilio Gr. lat. VII 92—112, quos excerptos esse e maioribus libris deperditis Keilius

1) Egerunt de Capro: Schopen, de Terentio et Donato diss. Bonn. 1821. Suringarius, hist. crit. schol. lat. I 71, 103, 113, 191, 269, II 217—20. Osannus, de Fl. Capro et Agroecio grammaticis Gissae 1849. Graefenhan, l. l. IV 89, 299. Christ, l. l. p. 165—70. Ribbeck, prol. p. 166. Brambach, l. l. p. 43. Kirchner, l. l. p. 514—32. Keil, Gr. lat. VII 88 sqq. Neumann, l. l. p. 37 sqq. Kirchner, Seruius und Priscian Brieg 1883.

perspexit. Multae denique Capri reliquiae, nomine licet auctoris nusquam addito prolatae, latent apud Nonium et in eo, quem composuit incertus scriptor 'de dubiis nominibus' libello (V 566—94 K).

De nostris locis Seruianis ex ueterum testimoniis ad Caprum redeunt hi: A 30. C 72. Aen. I 703: 'cura penum struere: ... dicimus et hic et haec et hoc penus ... masculino uero genere Plautus nisi mihi annuus penus datur, feminino Lucilius posuit, ut uxori legata penus.' e. q. s. Cf. Prisc. II 260, 17: 'Penus ... et masculini et feminini et neutri inuenitur teste Donato et Capro' e. q. s. Gell. IV 1, 2, Rom. ap. Char. 74, 27 (Neum. p. 15). — C 34. Aen. VI 545: 'explebo numerum: ... ait Ennius nauibus explebant sese terrasque replebant, quem Caper secutus cum de praepositione ex tractaret hoc exemplum posuit.' — B 87. Aen. X 106: 'haud licitum est: et 'licuit' dicimus et 'licitum est', sicut et 'placuit' et 'placitum est' Terentius 'ubi sunt cognitae, placitae sunt. Cf. Prisc. II 560, 28 sqq. ... 'impersonalia deficiunt in supinis et participiis, quae ex supinis nascuntur, ut ... licet, ... sed . inuenitur ... licens, unde licentia et licitus ... sciendum tamen, quod haec omnia inueniuntur perfectorum declinationem habentia in usu ueterum teste Capro: ... liceo ... placeo ... quorum tertiae personae impersonalium uice funguntur ... placet. non tamen etiam si participia deficiunt, deficiant et uerba.' Cf. Don. ad Andr. II 6, 12, Charis. 167, 4 sqq., 253, 15 sqq., Diom. 398, 9 sqq. — Cum Capri de orthographia et de uerbis dubiis libellis consentiunt haec Seruiana: VII 95, 2: 'pauper uir et mulier dicendum non paupera mulier' = A 36. Aen. III 539: 'terra hospita: usurpatiue 'hospita' dixit, quae enim in 'es' exeunt communia esse possunt, nam femininum in 'a' non mittunt ... nec mirum abusum esse Vergilium cum et Plautus paupera dixerit ab eo quod est hic et haec pauper' e. q. s. — Aen. XII 519: 'pauperque domus: 'hic' et 'haec pauper' dicimus: nam 'paupera' usurpatum est. sic Plautus paupera est haec mulier'. e. q. s. — VII 102, 2: 'non erit hoc sal haeue sales etc.' = B 48 (cf. supra) (Plinius — Caper — Seruius). — VII 107, 6: 'acris — alacer' = C 22. (cf. supra) (Plin. — Cap. — Seru.) — VII 107, 8: 'accusare arguere, incusare queri' = B 74, 90. cf. supra p. 377. — VII 107, 12: 'aluus haec nunc, sed apium[1]) hic' = A 31. Aen. II 51: 'curuam aluum: Plautus

1) 'apud Accium' coniecit Keilius.

masculino ait genere, quo non utimur.' — VII 111, 10: 'sal hic, sales ioci sunt' = B 48 (cf. supra). — Cum Prisciani capite quinto (II 141—171), quod se ex Capro hausisse ipse testis est grammaticus (171, 14) haec consentiunt: II 142, 27: hic et haec pauper = A 36 (cf. supra). — II 147, 2: hic sal salis = B 48 (cf. s.). — II 152, 8: hic et haec pauper = A 36 (cf. s.). — II 152, 18: acer, acris — alacer, alacris = C 22 (cf. s.). — II 156, 22: hospes, hospita = A 36 (cf. s.). — II 163, 2: hic et haec aluus = A 31 (cf. s.). — II 163, 11: hic, haec, hoc penus = A 30. C 72 (cf. s.). — II 168, 6: hic et haec scrobs = A 4. Georg. II 288: 'forsitan et scrobibus: . . . scrobes masculini sunt generis, nam . . . Plautus ait sexagenos scrobes, minor autem est Lucani et Gracchi auctoritas: nam Lucanus ait exigua posuit scrobe, Gracchus abunde fossa scrobis est, quod exemplum in Terentiano est.'[1]) Cf. et Prisc. II 321, 2 — II 169, 8: hic et haec aluus = A 31 (cf. s.). — II 169, 13: hic et haec imbrex = A 17. Georg. IV 296: 'angustique imbrice tecti: licet et 'hic imbrex lectum sit, melius tamen secundum Plautum 'haec imbrex' dicimus, namque ait fregisti imbrices meas, dum te dignam sectaris simiam.' — II 170, 13: hic, haec, hoc penus = A 30. C 72 (cf. s.). — II 171, 7: hic, haec, hoc specus = C 23. Aen. VII 568: 'hic specus horrendum: hoc nomen apud maiores trium generum fuit: Ennius feminino posuit, Horatius masculino . . . Vergilius neutro' e. q. s. Cf. et Fest. 343, 28 M., Non. 222, 33 M., Prisc. II 259, 18, 445, 10. — Cum in sequentibus quoque Prisciani libris (VI—XI) permulta Capriana inesse Neumannus p. 37 sqq. diligenti disquisitione nos docuerit, meo quidem sensu loci C 40, A 9[b], C 2, quorum similia in illis libris inuenies, optime et ipsi ad Caprum referri possunt: C 40. Aen. VII 683: 'gelidumque Anienem: . . . euphoniam secutus est, nam Ennius Anionem dixit, iuxta regulam.' Cf. Prisc. II 208, 1: 'Anio' etiam 'Anienis' — quod antiqui secundum analogiam 'Anien' nominatiuum proferebant.' — A 9[b]. Aen. X 198: 'Mantus: genetiuus Graecus est: nam si latine declinaueris Mantonis facit, sicut in Plauto legimus Ionis.' Cf. Prisc. II 209, 15: 'In o productam desinentia Graeca sunt feminina, et uel Graece declinantur, ut 'Manto, Mantus' . . . uel addita 'nis' faciunt genetiuum . . . quod autem 'Ionis et Calypsonis et Didonis' dicitur ostendit hoc etiam Caesellius Vindex in stromateo his

1) Cf. Keilii adn. ad Ter. u. 987 (VI 354): de Gracchо, cui nominatiuus 'stirps' a Terentiano tribuitur Seruius errauit et uerba corripuit.

uerbis: Calypsonem. ita declinatum est apud antiquos' e. q. s.[1]) — C 2. Aen. X 636: 'nube caua: erit nominatiuus 'haec nubes'; nam nubs non dicimus, quod ait Liuius Andronicus, qui primus edidit fabulam latinam apud nos.' Cf. ad Aen. I 587, Georg. II 121, Prisc. II 320, 14. — De dubiis generibus praeterea haec habes: A 10. Aen. VI 383: 'gaudet cognomine terra: . . . facit . . . 'hic et haec cognominis' nam in Plauto lectum est, cum una de Bacchidibus diceret: illa mea cognominis fuit.'[2]) Cf. fr. Bob. VII 542, 2 K. — A 21. Buc. I 58: 'turtur: et masculino et feminino genere inuenitur, ut aeria turtur cessabit et Plautus tibi obustos turtures.' Cf. de dub. nom. V 592, 3, Charis. 30, 14, 86, 15. — B 65. Georg. I 94: 'rastris: et 'hos rastros' dicimus et 'haec rastra', legimus enim at istos rastros interea depone in Terentio, item rastraque et incurui saeuum rubuere ligones.' Cf. Non. p. 222, 5 M., Isid. Or. XX 14, 6, Gl. Paris. ap. Goetzium Ind. Ien. 1888, p. VIII. — De antiqua nominatiui casus forma quales Plinius tractare solebat (Seru. ad Aen. IV, 9): C 50, 59. Aen. XII 298: 'torrem: erit nominatiuus 'hic torris' et ita nunc dicimus, nam illud Ennii et Pacuuii penitus de usu recessit ut 'hic torrus huius torri' dicamus.' — Analogiae rationes, quales idem obseruabat Plinius redolent hi loci Seruiani C 85. Aen. I 95: 'quis: . . . Cato in originibus ait si ques sunt populi et declinauit 'ques quium' ut puppes puppium.' — B 25. Aen. II 60: 'hoc ipsum: per 'm' quia usurpatum est 'ipse', et est naturale 'ipsus' ut ipsus mihi Dauus, dicimus ergo 'ipsus ipsa ipsum' ut 'doctus docta doctum'.' Cf. Charis. 158, 15, Diom. 330, 24, Prisc. III 6, 23, Prob. inst. art. IV 132, 10 etc.

Quoniam nunc quae ad Plinium et Caprum referenda nobis uidebantur esse absoluimus, cumque non sit cur negemus haec omnia de Capro recta uia ad Seruium peruenisse ut Kirchner iam bene perspexit, restat ut breui tangamus reliquos auctores grammaticos a Seruio memoratos: Varronis memoriam e Plinio-Capro

1) Nec Priscianum nec Seruium sua ex Vindicis copiis hausisse uerisimile est. Quod ut intellegas cf. e. g. Prisc. II 229, 10, ubi antiquior declinatio 'Iuppiter, Iuppiteris' Caesellio Vindici placuisse fertur, cum Pomp. comm. V 187, 10 ubi declinatio 'Iouis, Iouis' — quam Prisc. quoque l. l. commemorat — Capri libris adscribitur. Inde ueri mihi uidetur simile Caprum (in libro 'de latinitate' scripto cf. Kirchn. p. 529) cum de hac declinatione ageret Caesellium Vindicem aduocasse, Caeselli doctrinam e Capro haustam esse et a Seruio et a Prisciano.

2) Winter l. l. p. 18 a Seruio ipso Bacchidum uersum e Plautino exemplari excerptum esse falso censet.

esse haustam ipse locus Aen. V 409 = VI 304 indicat citatis et Varronis et Plinii nominibus. Ateius dein Philologus quam profert doctrinam hanc: B 21[b]. Aen. I 601: 'non opis est nostrae Dido: ... secundum Ateium Philologum opes numero tantum plurali diuitias significant ... numero tantum singulari auxilium, ut fer opem serua me obsecro, ab utroque possibilitatem' — Aen. XI 532: 'opim: ... si dicamus 'opem' auxilium intelligimus: Terentius Iuno Lucina fer opem etc. 'opes' uero numero plurali censum accipimus.' Cf. Acr. in Hor. Carm. III 3, 28, Charis. 36, 15 — tanta similitudine cum eis coniunctam esse uides, quae auctore Plinio de uoce sal adnotantur, ut facile ipsam quoque ex Plinio - Capro manasse concedes. Quae obseruasse dicitur Probus, ea ex eodem cum reliquis fonte profluxisse mihi unice uidetur uerum. Caprum enim Probo usum esse his locis demonstratur: Charis. 118, 1, Prisc. II 171, 14, 393, 8, 490, 9, 513, 10 unde facile elucet, potuisse nostrum quae ad grammaticam spectant Probiana e Capro haurire.[1]) Asper quae dicit ad Aen. XI 801 Pliniana esse supra uidimus.

Capri igitur sine dubio copiis, fortasse et Probi Sacerdotis Seruius usus est in eis adnotandis quae ad grammaticam spectant.

De auctoribus Serui metricis, quorum ex numero nominat Iubam (Aen. V 522 = IV 549) et Terentianum Maurum (Aen. IV 413, V 467, VI 791, VIII 96, XII 144, Georg. II 288, 519) hic nil potest dici, quoniam ex eis quidem qui nobis perlustrandi fuerunt locis non plures duobus ad artem metricam spectent, quos proferam in fine: C 53, 60. Aen. II 651: 'nos contra: praepositiones uel aduerbia in 'a' exeuntia modo producunt ultimam litteram, excepto 'puta' et 'ita' apud Ennium et Pacuuium.' — C 69. Aen VIII 83: 'conspicitur sus: ... sciendum ... esse uitiosum monosyllabo finiri uersum, nisi forte ipso monosyllabo minora explicentur animalia ... gratiores enim uersus isti sunt secundum Lucilium.'

---

1) Steup. de Probis p. 190, 192. Kirchner. p. 503, 505 (contra Keilium IV p. XIX et Steupium p. 179 sq.). Quibus nuper Rosenstock l. l. p. 79 in Kirchnerum inuectus est, cum uerba magis sint quam causae eaque satis futtilia, silentio liceat premere.

Epimetrum.

De Aemilii Aspri aetate.

De Aspri aetate instituentibus quaestionem nobis maxime dolendum, quod uir doctus nemo dedita opera quaesiuit de illo. Hinc illinc enim conferenda nobis erunt, quae de hac re acta sunt. — Apud scriptores de aetate qua uixerit Asper nihil traditum est. Nam testimonium illud unicum, quod ansam praebere possit, a Keilio Gr. lat. V p. 527 ex codice Vaticano 1492 (s. XV exeuntis) exhibitum: 'Asper grammaticus ciuis Romanus tempore Antonini philosophi fuit imperante Augusto, de quo Iulius Capitolinus hoc ait: 'usus est praeterea quottidianis grammaticis latinis Trosio, Aspro et Polono et Euthochio Proculo' nihili esse, neglegenterque collectum ex ipsius Iulii Capitolini uita (c. 2) ubi tamen pro 'Aspro' Aper, pro 'Euthochio' Eutychius nominatur, Keilius ipse perspexit (l. l. p. 530). Nihil igitur relinquitur quam ut concludendo aliunde ad certos quosdam Aspri uitae terminos perueniamus. Quam uiam primus, quod sciam, ingressus est Iahnius in proll. ad Persium p. CXLIV sqq. Qui uero uir doctus nimis, ut ita dicam, diligentia fretus eorum, qui prioris aetatis grammaticorum nomina aduocant, historico potissimum ordine plurium sub eodem lemmate auctorum mentionem ab eis fieri solere persuasum habet: quae tamen spes fefellit eum, cum ex scholiorum testimoniis concludere nil aliud possit — quamquam hoc quoque scitu dignissimum — quam Asprum scripsisse post Cornutum, quippe cuius sententiam refellat schol. Veron. ad Aen. III 691 (92, 11 K). Nam quod ex loco Seruii ad Aen. X 539 Iahnius (assentientibus Ribbeckio ann. phil. 1863 p. 352, prol. Verg. p. 129 — dubitanter — Steupio de Probis p. 69 — uerum ille cum de Probo suo minore cogitet, quem uix exstitisse supra diximus, minus respiciendus nobis erit —) uult efficere Asprum scripsisse ante Probum, id mihi non probauit: omnino enim non uideo, quomodo ex illo scholio Probus Asprum oppugnans possit elici, cum de Probo nil aliud dicatur, quam aliam atque Asprum eum recepisse lectionem. Post Cornutum igitur scripsit Asper, hoc certo elicuit Iahnius, nil aliud.[1])

1) Schol. Veronensi ad Aen. IX 373, ubi item Asper praeponitur Probo, ipse dubitanter tantum utitur, Asprique nomen in scholiis quae dicuntur Probi esse Vergilianis bis commemoratum (ad Buc. VI 31) quantulum disserentibus de ratione intercedente inter Probum et Asprum prosit, nunc, postquam Kueblerus spurium esse illum commentarium denuo euicit, omnes scimus.

Aspri nostri aetatem certis circumscribere finibus alia, sed minus etiam probabili, ratione post Iahnium studuit Bergkius (diar. ant. 1845 p. 125), qui coniectura admodum uana apud Suidam s. u. Ἡρακλείδης Ποντικός (p. 480 Bekk.), ubi narratur Claudii Neronisque temporibus Heraclidem quendam Ponticum, Didymi discipulum, cum audisset 'Aprum' Aristarcheum Romae inter clarissimos grammaticos haberi, castigationibus libellisque sapphico phalaecioque metro conscriptis in eum esse inuectum — pro 'Apro' illo scribendum proposuit 'Asper' et Vergilianum hic commentatorem latere putauit: quem inde certissimo testimonio Claudii Neronisque temporibus adscribendum esse censuit. Quam sententiam quoad uideo Bergkius nemini usquam probauit, ne Graefenhanio quidem totam, qui quamquam lectionem Ἄσπερος pro Ἄπερος recipi uult (hist. phil. ant. III 62 sqq.), tamen 'Asprum' illum eundem esse ac nostrum negat. Ceterum Hertzius (mus. Rhen. XVII p. 584) nos docet lectionem illam Suidae ipsam incertam esse — codd. praebent Ἄπερως, ἄπερ ως, ἄπερως — atque profert Westermannianam quoque coni. Ἀντέρωτος, et sui ipsius Ἀπίωνος: uides igitur quam lubricam habeamus rem. Ergo contra Bergkium recte monuit Riesius (de Prob. comm. Verg. p. 12), eum coniecturae parum stabilitae nimiam tribuisse auctoritatem. — Verum enimuero ipse Riesius eodem loco nouam profert sententiam, uiris doctis tamen improbatam non minus hanc: loco notissimo Hieronymi (apol. adu. Rufin. I t. IV 1, p. 367 Ben.) cum quattuor nominentur interpretes, nempe Asper, Vulcatius, Victorinus, Donatus, quorum commenta scriptor legenda commendet, in Vulcatio quidem, Victorino, Donato, quippe Hieronymi aequalibus, hoc minime mirum esse, attamen num quarti saeculi homines Asprum, primi quem uulgo putant saeculi grammaticum lectitarint, dubitari posse, recentiori igitur aetati Asprum esse adscribendum. Atque reuera Aspri recentiorem aetatem statuere conatus grauissimas incidit in insidias, ut ita dicam. Oehleri enim de Dositheo et Charisio disputationi, (mus. Rhen. XVII p. 55 sqq.) qua ille uir doctus mirum in modum sibi persuasit primum Dosithei magistri artem anno 207 scriptam esse, tum quae inter se similia inueniantur apud Charisium, Diomedem, Dositheum a Charisio et Diomede ex Dositheo sumpta esse non posse, uerum in his exscribendis Dositheum ipsum usum esse Charisii Diomedisque copiis, unde sequatur Charisium et Diomedem scripsisse ante annum 207 p. Chr. — Oehleri igitur disputatione incaute fretus Riesius Asprum quoque ante annum 207 uitam degisse statuit, quippe qui a Charisio nonnullis locis nomine-

tur. Hanc uero Oehleri ratiocinationem prorsus peruersam esse non est quod fusius ostendam, hinc igitur quod Riesius censet prosternitur (cf. etiam Steup. de Probis p. 114). Minoris momenti illa sunt, quae contra Riesium ab aliis monentur (a Ribbeckio ann. phil. 1863 p. 351, a Steupio l. l. p. 114). Nam quod Ribbeck. monet, Aspri reliquias apud commentatores seruatas plenas esse bonae frugis, id nos omnino non cogit, ut intra primi saeculi fines eum quasi includamus, ni exeunte primo saeculo propriis studiis propriisque cogitationibus omnes repente se abdicasse credere uelis. Quarto demum saeculo grammatici et scholiastae plerumque priorum libros exscripsisse satis habebant, quaeque ipsi excogitarant argutiae erant atque nugae saepissime. Verum utrum Suetonius, Caper, Caesellius Vindex, Terentius Scaurus alii, qui omnes primi saeculi fines excedunt, plane idem egerint, ualde dubium. Porro quod Ribbeckius miratur interpretem illum quarto saeculo tritum Riesianum in ea commentarii Probiani qui uulgo dicitur parte bis nominari, quam uerae antiquaeque doctrinae speciem praebere ne Riesius quidem neget, huic argumento opponendum, etsi concedamus locum illum commentarii Probiani Aspri nomine adornatum paulo maiore laude esse dignum quam reliqua, tamen nos Kueblerum sequi (p. 35 sq.), qui hunc quoque locum interpolationibus atque confusionibus stolidissimis scatere demonstrauit, ita ut multo maioris pretii certe non sit quam totus commentarius, itemque minime ad Probum ipsum referendus. Steupium denique, qui l. l. p. 114 ex Augustini de util. cred. c. 17 sequi uult primi saeculi commentatores quarto etiam lectitatos esse iam Kirchner l. l. p. 511 bene refellit.

Asprum scripsisse post Cornutum, hoc unum, ut iterum atque iterum dicam, certo scimus, nil aliud, atque quod excepto Riesio uiri docti primo eum attribuerunt saeculo, hoc equidem uereor ne falsum sit. Respicite quaeso Seru. ad Aen. IX 416: 'per tempus utrumque: . . . Asper . . . dicit: 'per tempus utrumque' hoc est 'inter tempus utrumque' ut e contra 'hunc inter f. T. a' id est 'per hunc'. et Seru. ad Aen. VII 30: 'hunc inter: per hunc: Terentius [eun. IV 2, 1] d. r. e. c. e. m. inter uias. est autem crebra Frontonis elocutio'. Altero loco explicationem 'hunc inter i. e. per hunc' Aspri esse nemo non concedet, Frontonis etiam commemorationem Aspri ex schedis esse desumptam quin credamus nil nos impedit. Si ergo Asper Frontonem citauit — et Seruium ipsum Frontonis nomen apposuisse ea de causa non credam quod fortasse Donato quoque, qui ad Eun. IV 2, 1

dicit: 'figurate et noue inter uias' in animo fuit — post Frontonem uixisse eum, uel Frontonis aequalem fuisse consentaneum est, alteri igitur alterius saeculi parti erit attribuendus.[1]) Terminum post quem Asper uixisse non potest inuenies si — cum Riesio — considerabis a Iulio Romano (apud Charisium) nonnullis locis nostri nomen aduocari: Iulius enim Romanus initio fuit tertii saeculi (Keil. I p. XLVIII). Asprum igitur sub finem secundi et initio tertii saeculi uixisse credimus. In hanc coniecturam quadrat optime quod Asper nec a Suetonio, nec ab Aulo Gellio nominatim aduocatur. Nam quod Suetonius, secundi ipse saeculi scriptor, primi saeculi grammaticum haud indignum laude non tractauit, id adhuc uiros doctos maxime excruciauit. Primus Bergkius (diar. ant. 1845 p. 126) de hac re ita iudicauit, ut mirum non esse dicat Suetonium Crateteum Asprum Aristarcheum silentio praeteriisse, sed quod ille u. d. Asprum Aristarcheum esse uult, hoc falsa inniti coniectura iam supra euicimus et de Suetonio Crateteo ei contradixit Wachsmuth: de Cratete Mallota diss. Bonnae 1860 p. 7. Alias explicationes protulerunt Steupius (p. 71), O. Hirschfeldus (Herm. IX p. 104 adn.), Vahlenus (ind. Berol. 1877/78 p. 6 sqq.), ita ut uel Asprum Suetoni fere aequalem fuisse statuant atque ideo ab eo non nominatum, uel excerpta tantum ex libro 'de grammaticis' conscripto nobis esse seruata contendant, uel Suetonium omnino nil aliud uoluisse suspicentur, nisi clarorum professorum nomina proferre, Asprum uero numquam professum esse. Sed haec mihi omnia admodum uidentur longe petita esse, ueritatisque speciem omnino non habere: facillime sine dubio res expediatur, si quae supra de Aspri aetate exposuimus uera esse possint. Sic enim post Suetonium uixisse Asprum non possimus non contendere.[2])

1) Ad Aen. quoque I 409, ubi Fronto aduocatur, Sallustianum exemplum adscriptum Asprum nobis in mentem reuocat. 2) Godofredi Keilii 'De Flauio Capro grammatico quaestionum capita II' Halis Sax. 1889, nondum prodierant in lucem, cum dissertationem hanc typothetae traderem.

SVMMARIVM.

§. 1 (p. 313—319). Proponitur index locorum a Seruio de ueterum scriptis exhibitorum. — §. 2 (p. 320—329). Quorum Seruius Vergilii commentatorum nomina aduocet, qualia ex eorum scriptis hauserit exponitur. — §. 3—14. Priscorum scriptorum loci, qui quidem ex commentariis uidentur defluxisse, secundum ordinem §. 2 in fine prolatum redacti perlustrantur, quid inde de Seruii fontibus possit elici quaeritur. — §. 3 (p. 329—334). Emendationis unum exemplum profertur; quaestionum de sermone Verg. institutarum tria distinguuntur genera, primum earum, quibus poetam singulis uocibus esse usum demonstratur, quae omnino non occurrunt, nisi apud priscos scriptores, secundum earum, quibus Verg. uocabula usurpasse docemur significatione translata, quam debet prioribus, tertium earum, quibus rhetoris officiis Seruius deditus placita sua antiquiorum scriptorum exemplis adornat. Primum atque secundum locorum genera maximam partem ab obtrectatorum in Verg. maledictis originem ducere suspicio est. — §. 4 (334—344). Agitur de rhetoricis Seruii scholiis in uniuersum, collatisque Diomedis, Cominiani, Donati, Sacerdotis, Anonymi Charisiani, Anonymi de ultimis syllabis, Consentii, Audacis similibus locis omnibus conicitur, huiusmodi locorum Donati fortasse in Aeneida commentarium Seruii fontem fuisse. Deteguntur praeterea Palaemonis-Scauri et Capri nonnulla uestigia. — §. 5 (p. 344—355). Rhetoricae adnotationes priscorum scriptorum uerbis illustratae afferuntur, allatae quoad possunt ad originem reuocantur (inest p. 353 adn. supplementum quoddam lacunae Festinae). — In fine Aspriana nonnulla indagantur (p. 355). — §. 6 (p. 355—357). Singularum uocum etymologiae, quot quidem prouinciae sunt nostrae, tractantur. Communis fons uix subest. — §. 7 (p. 357—365). Singularum uocum explicationes uerbis instructae antiquorum ad Asprum partim redeunt (p. 357), partim ad Donatum (358 sq.), partim ad nescio quem (p. 361 sq.), nonnullae quoque a Seruio ipso de suo adscriptae uidentur esse (p. 363 sq.) — §. 8 (p. 365—366). Distinctiones atque ordinationes uerborum ad Urbanum, Donatum, Seruium ipsum sunt reuocandae. — §. 9 (p. 366—369). Item Verg. uersuum explicationes, quae quidem antiquioris doctrinae speciem non praebent, referuntur ad Donatum (p. 366), incertum auctorem (p. 367), Quintilianum (p. 367), Seruium ipsum (p. 368 sq.). Terentium noster certe legit, Plauti quoque fabularum Asinariae, Bacchidum, Mostellariae, Poenuli, Militis Gloriosi (?) notitiam eum habuisse probabile est. — §. 10 (p. 369—372). Fusiores uersuum explicationes nonnullae adscribendae uidentur Aspro (p. 370), item Cornelio Celso (p. 371). Varronis logistoricos, qui aduocantur, fortasse ipse excerpsit schol. (p. 371),

Hygini et Catonis in originibus doctrina, quoad quidem ciuitates totius orbis illi describebant, ex eodem fonte sumpta uidetur, unde et Pliniana hausit noster (p. 372). — §. 11 (p. 372—377). Suetonius quae conscripsit 'de genere uestium' et 'de uitiis corporalibus' certe ipse inspexit Seruius, fortasse et alios eiusdem auctoris libros. — §. 12 (p. 377—384). Plinii historia naturali non usus est noster, uerum eius doctrinam e commentario prioris aetatis hausit, cuius auctor pessime plerumque seruauerat Pliniana, foede admixtis aliorum de similibus rebus uerbis. Idem ab Isidoro quoque exscriptus est. — §. 13 (p. 384—388). Nonnullis insuper libris quarto saeculo scriptis quibus de antiquitatibus Vergilianis, ad deorum cultum inprimis spectantibus, continuo sermone agebatur, Seruium usum esse euincitur. — §. 14 (p. 388—392). Obtrectatorum in Vergilium atque Asconii Pediani uestigia per locos antiquorum ornatos scriptorum uerbis extantia deteguntur, quae quidem non ex ipsis illorum libris, sed ex commentariis Urbani Donatique recta uia ad Seruium peruenerunt. — §. 15 (p. 392—393). Inspexisse uidetur Seruius ipse ex commentatoribus neminem nisi Urbanum, Donatum, Carminium. — §. 16 (p. 393—400). Agitur de artium scriptoribus a Seruio aduocatis, Plinio inprimis (p. 393 sq.) et Capro (p. 396 sq.), quorum e numero Caprum solum inspexit. — Epimetrum (p. 401—404). Aemilius Asper initio tertii saeculi adscribitur.

COMMENTATIONES PHILOLOGAE

IENENSES

EDIDERVNT

SEMINARII PHILOLOGORVM IENENSIS PROFESSORES

VOL. V.

LIPSIAE,

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI.

MDCCCXCIIII.

LIPSIAE, TYPIS B. G. TEVBNERI.

INDEX DISSERTATIONVM.

DE

FESTO PSEVDO-PHILOXENI AVCTORE

SCRIPSIT

ALBERTVS DAMMANN

PARS I.

DE COMPOSITIONE GLOSSARII.

§ 1. De ordine glossarum.

Auctor glossarii Pseudo-Philoxeniani in disponendis glossis Graecorum morem secutus hunc effecit litterarum ordinem: A, B, G, D, E, H, F, I, C, L, M, N, O, P, Q, R, S, T, V. Sed praeter primas litteras secundas quoque adhibitas esse ad certiorem ordinem constituendum facile perspicuum fit nobis percurrentibus e. g. glossas sub F congestas. Vbi inveniuntur series hae:

1) Fa: 69, 41—71, 12
2) Fe: 71, 13—71, 47
3) Fi: 71, 48—72, 22
4) Fl: 72, 23—72, 43
5) Fo: 72, 44—73, 18
6) Fr: 73, 19—73, 54
7) Fu: 73, 55—74, 57.

Iam miramur, quod sequitur altera series *Fa:* 74, 58—75, 10. Quam cave putes postea ab homine nescio quo adiectam esse. Condiciones enim simillimae occurrunt in littera A, de quibus infra disserendum erit. — Quae ratio duarum litterarum respectarum cum in omnibus his glossis allatis nulla excepta usu veniat, non ita raro neglecta vel potius interrupta est in littera A, quam nunc perlustrabo. Cuius series sunt hae:

1) A: 3, 1.
2) Ab: 3, 2—6, 6. (+ 9, 36—9, 42?); alienae[1]) ordini sunt: 4, 45—4, 47.
3) Ad: 6, 7—11, 14; alienae: 9, 17. 18. 36—42.
4) Ag: 11, 15—11, 43.
5) Ae: 11, 44—12, 36.

1) In glossis 3, 18. 20. 22. 24. 25 *u* = *b*, nisi censes has omnino esse alienas.

6) Ac: 12, 37—14, 16; al.: 12, 46—48.
7) Ai: 14, 17.
8) Al: 14, 18—15, 44.
9) Am: 15, 45—16, 51.
10) An I: 16, 52—18, 24; al.: 18, 17, confusae 18, 25—29.
Haec series continuatur
II: 20, 39—21, 37.
11) Ap I: 18, 30—18, 42.
II: 19, 27[1])—20, 22.
III: 21, 38—21, 50; al.: 21, 42. 43.
12) Aq I: 18, 43—18, 48.
II: 20, 23—20, 38.
13) Ar I: 18, 49—19, 26.
II: 23, 14—23, 52.
III: 24, 22—25, 38.
14) As I: 21, 51—22, 21 (?); al.: 22, 18. 20.
II: 23, 53—24, 21.
15) At: 22, 22—23, 13.
16) Au: 25, 40—27, 48; al.: 26, 22[2]); 27, 47.
17) Ax: 27, 49.
18) Az: 27, 50[3]); al.: 27, 51.

Itaque in A quoque duae litterae servatae sunt. Nunc longius progressus etiam tertias lemmatum litteras arbitror auctorem respexisse. Cuius sententiae probandae causa liceat redire ad litteram F. Vbi extant series hae:

I) Fa: 69, 41—71, 12 + 74, 58—75, 10.
1) Fab I: 69, 41—69, 45.
II: 74, 58—75, 10.
2) Fac: 69, 46—70, 3.
3) Fae: 70, 4—70, 12.
4) Fag: 70, 13.
5) Fal: 70, 14—70, 22.
6) Fam: 70, 23—70, 30.

1) *arex* pro *apex*.

2) Goetz ind. Ien. sch. aest. 1887 p. III.

3) Leviter confusae sunt glossae 27, 49 *Axungia* : *λίπος ἐν ω τοὺς αξω* et 27, 50 *Asima* : *ἄζυμον εχ͂ρνας χρίουσιν*. Lege *Axungia* : *λίπος ἐν ᾧ τοὺς ἄξω*[*νας χρίουσιν*] et *Azyma* : *ἄζυμον*. Signum autem illud *εχ͂ρ*, quod alio loco nullo occurrit, si scribis EX͂P, facile explicabis per *explicit*. Videtur igitur glossa 27, 50 *Azyma* huius seriei olim fuisse ultima, ita ut postea adiecta sit 27, 51 *Axitas*.

3) Fri: 73, 39—73, 44.
4) Fro: 73, 45—73, 46.
5) Fru: 73, 47—73, 54.

VII) Fu: 73, 55—74, 57.
1) Fua: 73, 55.
2) Fuc: 73, 56—74, 2; al.: 74, 3.
3) Ful: 74, 4—74, 16.
4) Fum: 74, 17.
5) Fun: 74, 18—74, 30.
6) Fur: 74, 31—74, 39.
7) Fus: 74, 40—74, 57 (?).
8) Fut: 74, 44—74, 46 (?).

Ratio prorsus eadem valet in littera A satis quidem multis turbis affecta, attamen tam perlucida, ut facile possit perspici. En habes:

I) Ab: 3, 2—6, 6.
1) Aba: 3, 3—3, 10.
2) Abd: 3,11—3,17; sequitur series confusa 3,18—3,27.
3) Abe: 3, 28—3, 30.
4) Abh: 3, 31; al.: 3, 32.
5) Abi: 3, 33—4, 7; al.[1]): 4, 3.
6) Abl: 4, 8—4, 12; al.: 4, 10.
7) Abn: 4, 13—4, 17.
8) Abo: 4, 18—4, 33; al.: 4, 21. 32.
9) Abr: 4, 34—4, 44; al.: 4, 38—40. 45—47.
10) Abs: 4, 48—5, 34.
11) Abu: 5, 35—5,44; al.: 5,38; confusae sunt 5,45—6,6.

II) Ad: 6, 7—11, 14.
1) Ad: 6, 7; al.: 6, 8—10.
2) Ada: 6, 11—6, 18; al.: 6, 19—29.
3) Add: 6, 30—6, 39; al.: 6, 35.
4) Ade: 6, 40—7, 3; al.: 6, 41. 46. 48. 51. 52. 7, 1.
5) Adf: 7, 4—7, 42; al.: 7,7. 16. 31. 39. Sequitur series satis confusa 7,43 sq., quae videtur et bene continuare seriem *Ada* et amplecti seriem *Adc*.
6) Adc: 8, 2—8, 12; al.: 8, 4. 6. 8. Nec minus confusae sunt 8, 13 sq., inter quas certo a recto ordine abhorret 8, 21, id quod haud parvi momenti esse

1) Aliena non est 3, 45, nam *abnugat* est pro *abiugat*.

postea [1]) videbimus; praecedit enim perspicuae seriei *Adn*.

7) Adn: 8, 22—8, 28; al.: 8, 23. 27.
8) Ado: 8, 29—8, 40; al.: 8, 36. 38.
9) Adp: 8, 41—8, 55.
10) Adq: 8, 56—9, 1.
11) Adr: 9, 2.
12) Ads: 9, 3—9, 45; al.: 9, 16—18. 36—42.
13) Adt: 9, 46—9, 51.
14) Adu: 9, 52—10, 16; al.: 10, 17.
15) Adg: 10, 18—10, 25. [2])
16) Adh: 10, 26—10, 30.
17) Adi: 10, 31—10, 45.
18) Adl: 10, 46—10, 54.
19) Adm: 10, 55—11, 14.

III) Ag: 11, 15—11, 43.

1) Aga: 11, 15.
2) Age: 11, 16—11, 21.
3) Agg: 11, 22—11, 23.
4) Agi: 11, 24—11, 27.
5) Agm: 11, 28.
6) Agn: 11, 29. In sequentibus glossis confusis videtur inesse series
7) Ago: 11, 36—11, 37 [3]); al.: 11, 30—34. 38.
8) Agr: 11, 39—11, 43; al.: 11, 41. 42.

IV) Ae: 11, 44—12, 36.

1) Aed: 11, 45—11, 49; al.: 11, 44.
2) Aeg: 11, 50—11, 54; al.: 11, 53.
3) Aem: 11, 55—12, 1.
4) Aen: 12, 2—12, 4.
5) Aeq: 12, 5—12, 18 [4]); al.: 12, 7.
6) Aer: 12, 19—12, 26.
7) Aes: 12, 27—12, 31.
8) Aet: 12, 32.
9) Aeu: 12, 33—12, 34; al.: 12, 35. 36.

1) Cf. p. 26 et part. II § 3.
2) Vide confusionem lemmatum et interpretamentorum extantem in glossis 10, 20—10, 28.
3) *aglonia* pro *agonia*.
4) 12, 16 *aquor* pro *aequor*.

V) Ac: 12, 37—14, 16.
1) Ac: 12, 37.
2) Acc: 12, 38—13,30; al.: 12, 46—48. 51. 52. 13, 9.[1])
3) Ace: 13, 31[2]) —13, 42.
4) Aci: 13, 43—13, 48.
5) Acl: 13, 49; al.: 13, 50.
6) Acr: 13, 51—14, 3; al.: 13, 53.
7) Acs: 14, 4—14, 5.
8) Act: 14, 6—14, 11.
9) Acu: 14, 12—14, 16; al.: 14, 14.
VI) Ai: 14, 17.
VII) Al: 14, 18—15, 44.
1) Ala: 14, 18—14, 23; al.: 14, 24.[3])
2) Alb: 14, 25—14, 27.
3) Alg: 14, 28—14, 31.
4) Ale: 14, 32—14, 36.
5) Ali: 14, 37—15, 1; al.: 14, 57.
6) All: 15, 2—15, 11.
7) Alm: 15, 12—15, 16.
8) Aln: 15, 17.
9) Alp: 15, 18.
10) Alt: 15, 19—15, 36.
11) Alu: 15, 37—15, 43; al.: 15, 44.
VIII) Am: 15, 45—16, 51.
1) Am: 15, 45.
2) Ama: 15, 46—16, 1.
3) Amb: 16, 2—16, 18.
4) Ame: 16, 19.
5) Ami: 16, 20—16, 26; al.: 16, 27. 28.
6) Amm: 16, 29.
7) Amn: 16, 30.
8) Amo: 16, 31—16, 39; al.: 16, 33—35.
9) Amp: 16, 40—16, 50.
10) Amu: 16, 51.
IX) An: 16, 52—18, 24 + 20, 39—21, 37. Sane in dubio relinquitur huius seriei rectum initium, nisi ex consuetudine aliarum incipiendum est a 17, 10, ita ut 16, 52—17, 9 alienas habeamus. Vnde erunt series:

1) *acceres* pro *acieris*: cf. part. II § 5.
2) *ager* pro *acer*.
3) *alatiles* pro *altiles*: cf. 15, 31 et 15, 33.

1) An: 17, 10.
2) Ana: 17, 11—17, 14; al.: 17, 12.
3) Anc: 17, 16—17, 27; al.: 17, 15. 22. 28, 29.
4) Ang: 17, 30—17, 52; al.: 17, 34[1])—36. 38. 40—43.
5) Anh: 17, 53.
6) Ani: 17, 54—18, 5.
7) Ann: 18, 6—18, 15.
8) Ans: 18, 16—18, 19; al.: 18, 17.
9) Ant: 18, 20—18, 24; confusa sunt 18, 25 — 18, 42, cf. infra sub X, 6. Haec series *Ant* continuatur 20, 39—21, 22.
10) Anu: 21, 23—21, 24; al.: 21, 25—32 (?).
11) Anx: 21, 33—21, 36.[2])

X) Ap: 18, 30—18, 42 + 19, 27—20, 22.+ 21, 38—21, 50.
1) Ape: 21, 38—21, 50; al.: 21, 42. 43.
2) Api: 19, 29—19, 42; al.: 19, 34. 35. 37. 39.
3) Apl: 19, 43.
4) Apn: 19, 44.
5) App: 19, 45—20, 10. Ex glossis sequentibus 20, 11 —20, 18 nihil certi potest erui. Videtur autem certa esse series
6) Apt: 20, 19—20, 22. Neque quidquam apparet ex glossis 18, 25—18, 42 partim unam partim duas litteras servantibus. Fortasse inter se cohaerent 18, 39; 18, 40; 18, 27; 18, 25; 18, 41. Quae num expleant seriem quandam *Apu* plus quam incertum est.

XI) Aqu: 18, 43—18, 48 + 20, 23—20, 38.
1) Aqua: 20, 23—20, 30.
2) Aqui: 20, 31—20, 38; continuatur 18, 43—18, 47.
3) Aquo: 18, 48.

XII) Ar: 18, 49—19, 26 + 23, 14—23, 52 + 24, 22—25, 38.
1) Ara: 18, 49—18, 55.
2) Arb: 18, 56—19, 14.
3) Arg: 19, 15—19, 26.
4) Ard: 24, 22—24, 30.
5) Are: 24, 31—24, 34. Sequentium glossarum satis permixtarum pars prior videtur exhibere seriem

1) *angla oyες* pro *anclabres*: cf. part. II § 4.
2) 21, 37 *anxilites* corruptum.

6) Ari: 24, 36—24, 45, posterior
7) Arc: 24, 46—25, 18; alienae permultae.
8) Arm: 25, 19—25, 38; continuatur 23, 15—23, 21; al.: 23, 14. 18.
9) Aro: 23, 22.
10) Arp: 23, 23—23, 24; al.: 23, 25. 26.
11) Arr: 23, 27—23, 30.
12) Ars: 23, 31 (?).
13) Art: 23, 32—23, 49; al.: 23, 37. 40—43.
14) Aru: 23, 50—23, 52.

XIII) As: 21, 51—22, 21 + 23, 53—24, 21. Incertum est initium 23, 53—23, 57, certior series
1) Asc: 23, 58—24, 3; al.: 24, 1.
2) Ase: 24, 4.
3) Asi: 24, 5—24, 11; al.: 24, 7. 8.
4) Asp: 24, 12—24, 21; continuatur 21, 51—22, 2.
5) Ass: 22, 3—22, 9; al.: 22, 8.[1])
6) Ast: 22, 10—22, 21; al.: 22, 14. 18. 20.

XIV) At: 22, 22—23, 13.
1) At: 22, 22.
2) Ate: 22, 23—22, 24; al.: 22, 25.[2]) 26.
3) Ath: 22, 27 (cf. 23, 13).
4) Atq: 22, 28.
5) Atr: 22, 29—22, 42; al.: 22, 37. 38. 40.
6) Att: 22, 43—23, 13; al.: 22, 47[3]); 23, 8. 13.

XV) Au: 25, 40—27, 48.
1) Aua: 25, 40; al.: 25 41.
2) Auc: 25, 42—26, 5; al.: 25, 46[4])—48. 53. 54; 26, 2. 3.
3) Aud: 26, 6—26, 13; al.: 26, 14—16.
4) Aue: 26, 17—26, 18.
5) Auf: 26, 19.
6) Aug: 26, 20—26, 29; al.: 26, 22.
7) Aui: 26, 30—26, 33.
8) Aul: 26, 34—26, 36.
9) Aur: 26, 37—27, 19; al.: 26, 43. 50.
10) Aus: 27, 20—27, 34.

1) *ασιρα* pro *astra*: cf. 23, 25 *αρεα*; 8, 21 *αδορ* alia

2) *atena* corruptum.

3) *atnanulus* corruptum; item 23, 13, cf. 22, 27; pro *atubernalis* 22, 48 legendum *attubernalis*.

4) *auclator* pro *anclator*.

11) Aut: 27, 35—27, 41; al.: 27, 38. 39.
12) Auu: 27, 42.
13) Aux: 27, 43—27, 48; al.: 27, 47.[1])

XVI) Ax: 27, 49.
XVII) Az: 27, 50; al.: 27, 51.

Ex eis, quae attuli, satis apparet auctorem in glossis collocandis tres litteras respexisse. Quod factum esse non solum in litteris F et A verum etiam in ceteris omnibus facile tibi persuadebis ipso libro inspecto. Iam vero cum multae glossae discrepent huic ordini, totum corpus divido in partes duas; unam (A) amplexam eas glossas, quae tres litteras servant, alteram (B) continentem ceteras omnes. Partis autem B glossas, ut vel unam vel duas litteras servantes, puto cum parte A commixtas esse ab auctore quodam, qui partis A habitum ac condicionem non penitus perspexerit. Nihilo minus, id quod facile fieri potuit et persaepe factum esse verisimile est, nonnullae glossae ad partem B spectantes tamen ita insertae sunt parti A, ut suo loco nunc inveniantur. Quam ob rem neque duas illas partes certo possumus disiungere neque hanc et illam glossam aut huic aut alteri parti confidenter attribuere.

Sequitur autem partem A iam fuisse corpus quoddam perfectum et absolutum, priusquam pars B adiecta est. Atque huic sententiae assentiri videntur multa. Ac primum quidem glossa 27, 50 optime concludit seriem lemmatum tres litteras servantium sub A congestam; itaque si recte explicavi signum illud $\varepsilon\widetilde{\chi\varrho}$ = *explicit* (cf. p. 4), probabile fit hanc ipsam glossam 27, 50 ultimam fuisse earum, quae sunt partis A. Deinde multae glossae bis extant sive prorsus eaedem, sive paulo diversae, quarum aut altera in parte A, altera in B occurrit, aut utraque in A. Sin autem qui totum corpus composuit is partem A confecisset, verisimile est eundem glossas bis extantes aut semel scripturum aut in unius formam fuisse redacturum, praesertim cum in parte A permultae glossae inveniantur, quae sine dubio ex duabus vel compluribus in unam contractae sunt (cf. p. 16).

At dicat quispiam auctorem glossarii fortasse morte prohibitum esse, quominus opus suum susceptum et incohatum ad certum finem perduceret, utpote cum in litterae A tot series sint interruptae. Quod factum esse velim negare. Primum enim non improbabile est inter fontes ad Pseudo-Philoxeni corpus componendum adhibitos unum fuisse qui tres litteras servaret; deinde illae serierum interruptiones aliunde videntur mihi posse explicari. Nam adspice haec:

1) *auxis* pro *axis*.

I) Optime etiam nunc deinceps secuntur series hae:
1) acu 14, 12 sq. — ai 14, 17 — ala 14, 18 sq.
2) alu 15, 37 sq. — am 15, 45 — ama 15, 46 sq.
3) aquo 18, 48 — ara 18, 49 sq.
4) apt 20, 19 sq. — aqua 20, 23 sq.
5) anx 21, 33 sq. — ape 21, 38 sq.
6) ast 22, 10 sq. — at 22, 22 — ate 22, 23 sq.
7) aru 23, 50 sq. — as 23, 54 sq.

II) Non minus bene continuantur series interruptae locis his:
1) adf 7, 4 sq. — adf 10, 17 — adg 10, 18 sq.
2) ant 18, 20 sq. — ant 20, 39 sq.
3) ape 21, 38 sq. — ape 19, 27 — api 19, 29 sq.
4) aqui 20, 31 sq. — aqui 18, 43 sq.
5) arm 25, 19 sq. — arm 23, 15 sq.
6) asp 24, 12 sq. — asp 21, 50 sq.
7) att 22, 43 sq. — atu 25, 39 — aua 25, 40 sq.

Itaque, cum harum serierum continuationes satis multis locis haud dubie possint indagari, concludo illas ipsas series, nunc quidem interruptas, olim sine interruptione fuisse uno tenore deinceps continuatas, postea esse turbatas et confusas nescio quomodo, sed ut videtur per librarium sive unum sive plures.

§ 2. De glossis bis extantibus.

Iam supra[1]) commemoravimus glossas quasdam in Pseudo-Philoxeni glossario bis inveniri. Cuius rei explicandae causa breviter perlustrabimus huius modi glossas, quales sint et quid sit de eis iudicandum, non quidem allatis omnibus, sed tot quot videntur satis esse, ex quibus aliquid certi possit concludi. Ac primum quidem adspice glossas prorsus easdem has:

3, 23 abducit : ἀπάγει	9, 39 abducit : ἀπάγει
7, 17 adflictantur : καμμοῦσιν	7, 34 adflictantur : καμμοῦσιν
9, 1 adquisitionis : προσποιήσεως	9, 16 adquisitionis : προσποιήσεως
11, 20 agens in rebus : μαγιστριανός	12, 7 idem
15, 31 altiles : σιτισταί	14, 24 alatiles : σιτισταί
19, 6 arbipendium : σχοῖνος γεωμετρικός	23, 52 aruipendium : σχ. γ.

1) p. 11. Cf. Loewe prodr. p. 190 sq.

21, 39 apet : αποσοβεῖ	21, 46 idem
24, 35 arcilla : πηλὸς λευκή	25, 1 idem
34, 45 goruthum : λοηκη	36, 53 goruthum : βελοθήκη
34, 47 goreo : αναμφηβολος	36, 51 goreo : ἀναμφιβόλως
34, 48 gorgi : ἀναμφίβολοι	36, 52 idem
35, 17 grauidae : γυναῖκες βαρεῖαι	35, 58 idem
37, 41 dantur : διδωσιν	37, 45 idem
48, 3 dialis : ὁ τοῦ Διὸς ἱρεύς	48, 26 idem
57, 21 dumeta : λοχμώδης ἢ θαμνώδης τόπος	57, 33 idem
75, 19 im : αὐτὸν, εἰς, αὐτόν	77, 21 idem
76, 35 ignarures : ἀγνοοῦντες	79, 33 idem
76, 36 ignauatis : αδρανισθοντων	79, 34 ignauatis : ἀδρανισθεντον
76, 37 ignarus : ἄγνωστος	79, 35 ignarus : αγνοστος
76, 40 igniscit : πυροῦται	79, 43 idem
76, 41 ignia : νοτία, φυκίασις	79, 44 ignia : νοτία, φοκιασις
76, 42 ignis : πῦρ	79, 46 idem
76, 43 ignes : πυρσοί	79, 56 ignist : πυρσοί
76, 45 ignos : γνωστους	79, 58 idem
76, 47 ignorauilior : ἀγνωστότερος	79, 49 ignorauilior : αγνοστοτερος
76, 48 ignotus : αγνοστος	79, 59 ignotus : ἄγνωστος
76, 49 ignorat : ἀγνοεῖ	79, 60 idem
76, 50 ignitabulum : δαδος ῥαβδίον πυροστρόφον	79, 45 ignitauulum : δαδος ῥαβδίον πυροστρόφον
76, 51 ignis sacer : ἐρυσίπελας	176, 50 sacer ignis : ἐρυσίπελας
76, 52 ignominia : ἀτιμία	79, 48 idem
76, 54 ignorantia : ἄγνοια, συγνωμη	79, 36 idem
76, 55 ignoscit : συνγινώσκει	79, 51 ignoscit : συγνοσκει
87, 26 insipti : αὐτοί	87, 44 idem
190, 13 subdisiunctiue : παρασυνημμένα	190, 36 idem
190, 38 subla : υπητιον, περόνη	191, 29 subula : υπητιον, περόνη.

Sequitur nunc genus glossarum, quarum alterae videntur inesse in alteris. Sunt tales:

10, 13 aduena : μέτοικος	10, 2 aduena : μέτοικος, ἔπηλυς
10, 10 aduocatus : παράκλητος	10, 16 aduocatus : παρακλιτος ἢ δικολόγος

19, 36 apiastrum : μελισσόφυλλον	19, 42 apiastrum : μελισσόφυλλον, ἐρύσαιθρον, ἱπποσέλινον
31, 55 ganeo : λιγνος	32, 15 ganeo : λίχνος, καταφαγᾶς, λωποδύτης, λιμβός, λεμαργος
85, 5 inpetigo : λιχήν	85, 9 inpetigo : λιχήν, λέπρα
111, 20 conpilat : συλοι	105, 1 compilat : συλοι, μαδίζει
125, 38 luxum : στρέμμα	125, 40 luxum : στρέμμα ἢ αὐγισμὸς ἢ ἀσωτία
136, 1 obices : ἀντέριδες	135, 52 obices : ἀντέριδες, ἀντιθέσεις
152, 2 plantae : μόσχοι	151, 43 plantae : μόσχοι, τὰ φυτὰ καὶ αἱ φυτιαι
160, 24 producit : εκτινει, ἐξάγει, προάγει	160, 25 producit : εκτινει, ἐξάγει, προάγει καὶ ἐλαύνει σίδηρον ἢ χαλκόν
172, 25 repagulum : κόραξ	173, 45 repagulum : κόραξ, κλιθρον, μήτρα θύρας, μανδαλον
177, 43 salius : ἱερεὺς ὁ τὰ διοπετῆ ὅπλα θεραπεύων	177, 36 salior : ἱερεὺς ὁ τὰ διοπετῆ ὅπλα θεραπεύων, υμνωδος, πρύτανις
190, 24 subflamen : τροχῶν ἀγκύριον	191, 61 subflamen : τροχῶν ἀγκύριον, βοήθεια, κούφισμα ἁμάξης
6, 7 ad : πρός, ἐπί	7, 16 ad : παρά, εἰς, πρός, ἐπει
7, 37 adfirmatio : διαβεβαίωσις	7, 38 adfirmatio : επιδιξις, κατάθεσις, διαβεβαίωσις
26, 4 auctor : ἀρχηγός, αὐθέντης	26, 5 auctor : μάρτυς, συγγραφεύς, ὑπηρέτης, αὐθέντης. ἀρχηγός
26, 21 augustus : ἱερός, σεβάσμιος	26, 25 augustus : σεβαστός, ἱερός, σεβάσμιος
98, 38 caulae : μάνδραι	98, 50 caulae : περίβολοι, μάνδραι
123, 4 licitatio : ὑπερθεματισμός	123, 7 licitatio : διακήρυξις, καὶ ὑπερθεματισμός
151, 35 plagae : κυνηγετικὰ λίνα	151, 52 plagae : πληγαί, λίνα κυνηγετικά.

Est denique species, cuius alterae ex alteris videntur fluxisse, ut hae:

18, 56 arbina : λίπος ἄνευ σαρκός	19, 8 arbina : κρέως λίπος ἄνευ σαρκός

24, 56 arbutus : ἄρκευθος	19, 11 arbustus : κόμαρος ὅ ἐστιν δένδρον ἡ καλουμένη ἄρκευθος
25, 34 armentum : ἅμμα το ακοντιον	16, 29 ammentum : ἅμμα λόγχης αωρον ἐστιν [ὅθεν [1]) κατεκεται ἡ λόγχη]
18, 29 antes : στίχοι ἀμπέλων	21, 12 antes : οἱ τον ἀμπέλων στίχοι
20, 55 antilena : ἱμὰς ἵππων	21, 26 antelena : διεριστηρ ὅ ἐστιν ἱμὰς ἵππων περὶ τὸ στῆθος
75, 24 ir : θέναρ	92, 51 ir : θέναρ, τὸ κοῖλον τῆς χειρός
141, 27 paleta : σφενδόνη δακτυλων	141, 10 paleta : σφενδόνη δακτυλίου ὡς Ὑγῖνος ἐν τῶι
141, 3 palmes : κλῆμα βότρυς ἔχον	141, 31 palmes : κλῆμα τὸ τοὺς βότρυας ἔχον συνεκκοπέντας
173, 27 reserat : αποιγει	173, 26 reserat : αποιγει κυρίως μοχλόν
175, 45 rudes : ῥάβδος ἐπιστάτου μονομάχου	175, 46 rudis : ῥάβδος ἡ τῶν ἐπιστατῶν τῶν μονομάχων
185, 22 soblices : καταπιγες οἱ ἐν τω ποταμο	190, 46 subliges : καταπῆγες οἱ ἐν ποταμων τὴν γέφυραν ὑποβαστάζοντες
210, 23 uiuices : μώλωπες	210, 22 uiuices : μοολωπες ἀπὸ πλιγων.

Attuli igitur glossarum iteratarum genera tria; unum, cuius alterae prorsus pares sunt alteris; alterum, cuius alterae in alteris videntur inesse; tertium denique, cuius alteras probabile est ex alteris fluxisse. Quid ergo? Primo genere videtur demonstrari unum ex fontibus ad Pseudo-Philoxeni corpus componendum adhibitis bis usu venisse. Nam cum antiqui homines docti glossaria, quae maioris erant ambitus, ex compluribus glossariolis congerere solerent, non habemus, cur Pseudo-Philoxeniani glossarii compilatorem et ipsum complura glossariola admisisse negemus. Quae inter glossaria erant duo satis congruentia, id quod sequitur ex glossis ad primum genus spectantibus. At, dicat quispiam, qui fieri potuit, ut compilator hunc rerum statum non perspiceret? Adspice haec:

1) Verba: ὅθεν κατέχεται ἡ λόγχη huc refert Melchior Haiminsfeldensis Goldastus (cf. Goetz. in praef. vol. II p. XX) ex 16, 51. Cf. 17, 16 *ancilla* : διοπετῆ + 17, 24 *ancilla* : ὅπλα ἢ δοράτια = *ancilia* : διοπετῆ ὅπλα ἢ δοράτια; cf. 177, 43 *salius* : ἱερεὺς ὁ τὰ διοπετῆ ὅπλα θεραπεύων.

glossariolum illud, quod bis usu venisse dixi, breviter voco *α*. Atque transiit *α* in aliam glossarum collectionem vel corpus, quod *β* voco. Cuius corporis *β* auctor in suo opere conficiendo id videtur mihi egisse, ut glossas, quarum lemmata et in *α* et in *β* occurrere animadvertebat, eas in unius formam redigeret sc. sub uno lemmate duarum glossarum interpretamentis collocatis. Quae ratio respondet glossis ad alterum genus spectantibus. Iam porro videamus. Tertii enim generis glossae minores eae, quae ex alteris maioribus fluxerunt, omnes videntur spectare ad glossarii partem B, ad quam certe spectant 24, 56; 25, 34; 75, 24 aliae. Qua de causa arbitror huius (sc. tertii) generis glossas pleniores a compilatore glossarioli *β* integras receptas esse in ipsum *β*. Itaque in *β* inest totum glossariolum *α*. Postea Pseudo-Philoxeniani corporis auctor ad suam collectionem instituendam adhibuit et *β* et *α* atque ita, ut aut corporis *α* glossas ad tertium genus spectantes non plenis atque integris formis transcriberet, sed plane redactas in formam breviorem, aut non ipso *α* uteretur, sed epitoma quadam indidem petita. Quod quidem in dubio relinquam oportet. De his autem glossis bis extantibus haec hactenus.

§ 3. De glossis contractis.

Pseudo-Phil. 63, 31 est *exacta*: ἀνυσθέντα επαλλω ἀνυσθείσης. Sive legis ἐπ' ἄλλῳ sive cum Stephano scribis ἐν ἄλλῳ, hoc certe negare nullo modo poteris lemma *exacta* utique bis ponendum esse in hunc modum: *exacta* (nom. vel acc. pl.) : ἀνυσθέντα; *exacta* (abl. sing. in abl. abs.) : ἀνυσθείσης. Primo igitur optutu apparet sub lemma unum duo interpretamenta congesta esse a compilatore, qui praeterea compilationis testimonium adiecit hoc: ἐπ' ἄλλῳ. Cui glossae simillima est 10, 46 *adlata* : προσενεχθέντα, ἐνεχθεῖσα, omisso quidem testimonio, quo res confirmetur. Videas hanc quoque (203, 49): *uacua* : κοῦφα καὶ σχολάζοντα καὶ σχολάζουσα. Iam aliis huiusmodi multis praetermissis proferam hanc (182, 46): *seria necessaria* : σπουδεα, ἀναγκαῖα, πρίων καὶ μοχλὸς θυρα καὶ ριματικως πρῖσον. Cum neque πρίων neque μοχλὸς θύρας neque πρῖσον significent *seria*, sed πρίων = *serra*, μοχλὸς θύρας = *sera*, πρῖσον = *serra*, aperte haec glossa in quatuor disiungenda est has: *seria* [1]) : *necessaria* : σπουδαῖα, ἀναγκαῖα; *sera* : μοχλὸς θύρας [2]); *serra* : πρίων; *serra* : ῥηματικῶς πρῖσον. Nec

1) Cf. p. 21.
2) Cf. 182, 30 ad partem B spectantem hanc: *seria* : μοχλὸς θύρας.

minus valet 10, 6 *aduenit* : *κατακομίζει καὶ παρεγένετο*. Certo recte legitur *aduenit* : *παρεγένετο*. Sed quid sibi vult *κατακομίζει*? Puto restituendum esse *aduehit* : *κατακομίζει*. Compilator igitur, sive hoc mendum in fonte invenit sive non penitus perspexit id quod scriptum erat, duas glossas in unam contraxit interpretamentis per *καὶ* coniunctis. Res illustratur exemplo hoc. Est enim 125, 1 *lucet* : *τίσει* (lege: *luet*); 125, 2 *lucet* : *πενθεῖ, ἀνιᾶται* (lege: *luget*). Quid Stephanus in editione sua? En habes: *lucet* : *τίσει. καὶ πενθεῖ, ἀνιᾶται*. Vnde sequitur omnes glossas, quarum interpretamenta per *καὶ* coniuncta sunt, ex compluribus potuisse componi. Sed non semper additum est tale compilationis testimonium ut in hac: 12, 57 *acceptor* : *ἱέραξ, δοχεύς*; lege *accipiter* : *ἱέραξ* et *acceptor* : *δοχεύς*.[1]) Similiter 13, 48 *acies* : *ἀκμή, αἰχμή, τάξις, ὀξυδορκία, ὀξύτης, ῥάμμα*; *ῥάμμα* autem non *aciem* sed *aciam* significat. Item 42, 24 *deliquit*[2])*: *ἥμαρτεν, διύλισεν*; lege *deliquit* : *ἥμαρτεν* et *deliquauit* : *διύλισεν*. Item 4, 53 *abscidit* : *ἀποτέμνει, ἀποκόπτει, ἀπέκοψεν*; lege *abscidit* (praes.) : *ἀποτέμνει, ἀποκόπτει* et *abscidit* (perf.) : *ἀπέκοψεν*, aliae multae. — Ex glossis autem tractatis satis apparet extare apud Pseudo-Philoxenum glossas ex duabus vel compluribus contractas et contaminatas.

§ 4. De glossis mere latinis.

Omnes Pseudo-Philoxeni glossae dividi possunt in genera tria, unum latino-graecarum, alterum latino-latino-graecarum, ut ita dicam, tertium denique mere latinarum. Vt autem de tertio genere initium capiam, glossae mere latinae longe plurimae spectant

1) ad Horatium (cf. Loewe prodr. p. 188 sq.). Sunt hae:

27, 25 auspice : euctore[3]), fauctrice = Ep. I 3, 13 ... aptare modos studet auspice Musa ...

29, 32 bibulum : ebriosum = Ep. I 14, 34 ... bibulum liquidi ... Falerni ...

Quae mirabili quodam modo exhibet idem mendum, quod 182, 46; in utraque enim pro *seria* legendum *sera*. Ex tali autem mendorum similitudine nescio an liceat concludere glossam 182, 30 esse partem glossae 182, 46. cf. § 2.

1) Cf. Goetz vol. II 564, 16 *acceptor* : *auis et homo sapiens* sc. *accipiter* : *auis* et *acceptor* : *homo capiens*.

2) Cf. 42, 1 *deliquit* : *διηυλισεν*; 42, 2 *deliquit liquefecit* : *ἥμαρτεν*; lege *deliquit* : *ἥμαρτεν* et *deliquauit* : *liquefecit* : *διύλισεν*.

3) *auctore*, (Steph.) *fautrice*.



47, 26 deterreret[1]) : detraheret = Sat. I 4, 112 A turpi meretricis amore Cum deterreret . . .
49, 23 diffingit[2]) : describit = Sat. I 10, 37 . . . dumque Diffingit Rheni luteum caput . . .
67, 6 extricat : patendo[3]) colligit et parat = Sat. I 3, 88 Qui nisi . . . Mercedem aut nummos unde unde extricat . . .
70, 44 fastu : superbia = Ep. II 2, 93 Adspice primum, Quanto cum fastu . . . spectemus . . . aedem.
80, 44 indictis : constitutis = Ep. I 7, 76 . . . indictis . . . Latinis.
87, 58 instar : similitudo = C. IV 5, 6 Instar ueris enim uoltus ubi tuus Adfulsit populo . . .
88, 11 instillare : ενισερε[4]) = Ep. I 8, 16 . . . Praeceptum auriculis hoc instillare memento . . .
100, 26 circumlita : circumdata = Ep. I 10, 7 . . . musco circumlita saxa . . .
100, 30 ciniflones : ornatrices = Sat. I 2, 98 . . . multae tibi tunc officient res, Custodes, lectica, ciniflones, parasitae . . .
105, 42 compescet[5]) : temperat = C. II 14, 9 . . . qui . . . Tityonque tristi Compescit unda . . .
123, 28 limis : obliquis oculis = Sat. II 5, 53 . . . Sic tamen, ut limis rapias, quid prima secundo Cera uelit uersu.
125, 21 lurida : nigra [ludus palestris][6]) = E. 17, 22 . . . et uerecundus color Reliquit ora pelle amicta lurida . . .
135, 41 obdit : coniungit, obicit = Sat. I 3, 59 . . . nullique malo latus obdit apertum.
136, 3 obiciebat : proferebat = Sat. I 4, 123 Vnum ex iudicibus selectis obiciebat.
175, 11 rodunt : lacerant, inuident = Sat. I 6, 46 . . . Quem rodunt omnes . . .
179, 47 scaueret[7]) : frigaret = Sat. I 10, 71 . . . Saepe caput scaberet . . .
188,33 stimulos : incitamenta = Sat. II 7,94 . . . et acres Subiectat lasso stimulos . . .

1) An *detereret?* Sat. I 10, 69 sed ille . . Detereret sibi multa . . .

2) Haec glossa confirmat Kiesslingii lectionem huius loci Horatiani. Porphyrio: *„diffingit" autem figurat ac per hoc „describit" significat.* Ceterum haec glossa ad Porphyrionem redire non videtur.

3) *petendo.*

4) *inicere.*

5) *compescit* (Steph.).

6) Duae glossae in unam coaluerunt.

7) *scaberet* : *fricaret.*

191, 9 substringe : praebe = Sat. II 5, 95 aurem substringe loquaci.
192, 47 suppeta[1]) : suffititas sumministras = E. 17, 64 ... Nouis ut usque suppetas laboribus.
197, 17 termes : termes dicitur proprie caulis olearum amborum[2]) = E. 16, 45 Germinat et numquam fallentis termes oliuae.
202, 15 tritum : perfectum = Sat. I 3, 91 ... catillum Euandri manibus tritum deiecit.
203, 23 turgidus : inflatus = Sat. I 10, 36 Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona ...

Compluribus locis Horatianis occurrunt lemmata glossarum harum:
70, 49 fastidis : contemnis = Sat. I 2, 115; Ep. I 14, 2.
87, 18 insignis : nobilis uel magnus seu ornatus = (Sat. II 1, 46); Ep. II 3, 401.
89, 43 interdicta : prohibita = Sat. I 2, 96; Ep. I 6, 64.
161, 24 proles : suboles = Ep. I 7, 40; C. III 6, 38; IV 6, 1.
164, 49 pulla : nigra = C. I 25, 18; E. 16, 46.
170, 54 referre : interse[3]) = Sat. I 6, 7; I 2, 77.
180, 44 scurrae : uili = Sat. I 8, 11; Ep. I 18, 4.
185, 56 sollicitum : conturbatum = Sat. I 2, 3; II 7, 51; C. I 14, 17.

Etsi non certum, tamen verisimillimum est ad Horatium redire 175, 2 *rictum* : *mensura*[4]) *oris* = Sat. I 10, 7 ... *risu diducere rictum Auditoris.*

Dubitanter Horatio tribuo has:
138, 16 officio : *voσεο*[5]) = Sat. I 2, 61 et I 9, 50 ... officit; I 2, 97 ... officient.
198, 39 titillare : fatigare = Sat. II 3, 179 ... ne uos titillet gloria ...
200, 17 trames : uia angusta = Sat. II 3, 49 ... Palantes error de certo tramite pellit ...

Glossae igitur adhuc allatae sive certissime sive minus certo ex Horatio fluxerunt.

2) Ex reliquis glossis mere latinis duae hae 21, 51 *aspernanda* : *contempnenda*[6]) et 21, 54 *aspernandia*[7]) : *neganda* vi-

1) *suppetas* : *sufficias, sumministres* (Steph.).
2) *arborum* (Steph.).
3) *interesse* (Steph.).
4) Fortasse scriptum fuit: *mensurā.*
5) *noceo* (Steph.).
6) *contemnenda* (Steph.).
7) *aspernandu* (Steph.).

dentur spectare ad **Martialem**, quippe apud quem miro quodam modo forma *aspernanda* neque rarius neque saepius quam bis occurrat locis his: IV 19, 3 ... *sed gelido non aspernanda Decembri Dona* ... et V 30, 5 *Sed lege fumoso non aspernanda Decembri Carmina* ...

3) Glossa 66, 46, quae in codice talis est: *extar ulla ubi exta quebantur* originem videtur duxisse a **Plauti** fabulis. Est enim Rud. 135 *Aut aulam extarem* ... Ex huius loci Plautini auctoritate glossam ita restituo: *extaris aulla* : *ubi exta coquebantur*. Ad eundem redire puto 188, 30 *stimulant* : *commouent*. Plaut. Capt. 598 *Iam deliramenta loquitur, laruae stimulant uirum*.

4) Ad **Vergilium** refero 199, 59 *tractimque* : *iugiter, continuatim* = Georg. IV 260 *Tum sonus auditur grauior, tractimque susurrant*.

Iam restant hae: 21, 2 anticipiatam[1] : sociatam; 59, 26 elicit : enocat[2]), inducat; 59, 28 elegans : formosus, speciosus; 62, 10 eolus : uarius; 65, 48 expetides[3]) : ignari; 65, 49 exertas[4]) : peritas; 83, 11 inhibit[5]) : incipiet; 90, 28 inter[6]) : prohibet; 126, 19 magnus socer : uxorum aui[7]); 161, 57 propagare : producere; 162, 23 promptum : facilem; 189, 27 stringentia : attingentia; 202, 23 tropeoforum : quo tropeum portant; 204, 52 uastrapes : φιμιναλια[8]); 206, 18 uerbenna[9]) : terra proscissa aratro, id est uomere actum; 210, 27 uiuacis : diu uiuentis.

§ 5. De glossis latino-latino-graecis.

Iam scimus[10]) inter glossas latino-graecas esse, quae antea fuerint mere latinae. Demonstrari autem potest satis multas latino-latino-graecas graecis partibus caruisse, reliquas videri caruisse.

1) *anticipatam* (Steph.).
2) *euocat* (Steph.), *inducit*.
3) *expertes* (Scal.).
4) *expertas* (Steph.).
5) *inibit* (Steph.).
6) An *interpellet* : *prohibeat*? cf. Hor. Sat. I 6, 127 *Pransus non auide, quantum interpellet inani Ventre diem durare* ... cf. 90, 27 *interpellat* : *εντιγχανει* (*ἐντυγχάνει*). Puto glossam unam in duas (90, 27 et 28) corruptam esse.
7) Cf. Paul. ex Festo 126, 14.
8) *feminalia* (mg. cod.).
9) Ex glossa antecedenti falso huc translatum. Lege: *ueruactum* (Scal.).
10) Loewe gloss. nom. p. 67 sq. et prodr. p. 191.

Rei illustrandae gratia primum tractabo 9, 5 *adsciscet* : *euocauit* : *ἐκάλεσεν*. Latinum enim interpretamentum legendum est *euocabit* pro *euocauit.*[1]) Ergo falsum est *ἐκάλεσεν*, atque aperte is, qui finxit et adiecit hoc graecum interpretamentum, pependit ex forma *euocauit*, quam ipso lemmate neglecto temere perfecto tempori attribuit. Similis ratio est in 123, 24 *limatur* : *rimatur*, *terit* : *ζητεῖ*. Quam glossam emendabo in hunc modum. Verbum enim *rimari* cum regulariter significet *rimam efficere*, hoc quoque loco sensum activum praebere non habemus cur negemus. Quae sententia probatur vocabulo *terit*. Itaque duobus interpretamentis latinis nisus non dubito in lemmate scribere *limat* pro *limatur*. Vnde sequitur iterum falsum esse *ζητεῖ*, id quod non nisi ex vocabulo *rimatur* potest pendere. Affero denique 143, 36 *pauet* : *pauescit* : *πτοεῖ*, in qua erratum esse nemo non videt. Si vero 9, 5 tuo iure[2]) refers ad Hor. Ep. II 2, 119 *Adsciscet noua* (sc. vocabula) . . ., 123, 24 ad Hor. Ep. I 14, 38 *Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam Limat* . . ., 143, 36 ad Hor. E. 12, 25 . . . *ut pauet acres Agna lupos* . . ., vix negare poteris harum quas attuli glossarum interpretamenta graeca cum falsa tum postea addita esse, h. e. glossas ipsas olim fuisse mere latinas.

Videamus nunc 182, 46 *seria* : *necessaria* : *σπουδαῖα*, *ἀναγκαῖα*, *πρίων καὶ μοχλὸς θύρας καὶ ῥηματικῶς πρῖσον*. Cuius glossae ex quatuor partibus constantis[3]) verba haec *seria* : *necessaria* : *σπουδαῖα*, *ἀναγκαῖα* sine dubio efficiunt glossam unam integram, quae fluxit ex Hor. Sat. I 1, 27 *Sed tamen amoto quaeramus seria ludo.* Quodsi sublatis verbis graecis relinquitur glossa latina tam plena, in qua omnino nihil desideretur, concludere licet hanc quoque glossam non aliter quam quas modo tractavimus a prima origine latinam fuisse, praesertim cum graecum interpretamentum nihil sit nisi mera versio ad verba latina ita accommodata, ut *σπουδαῖα* respondeat voci *seria*, *ἀναγκαῖα* voci *necessaria*. Ratio prorsus eadem apparet ex talibus: 82, 59 *informe* : *maleforme* : *ἄμορφον*, *δύσμορφον*; 116, 49 *cornus* : *arbor* : *κρανέα*, *εἶδος δένδρον*; 108, 18 *confert* : *congerit* : *συνεισφέρει*, *σωρεύει*; 150, 4 *pestilentia* : *lues* : *λοιμός*, *φθορά* aliis. Nec quidquam valent verba graeca in talibus: 3, 29 *abemit ab eam*[4]) *accepit* :

1) *u* pro *b*; cf. 76, 47; 37, 32; 179, 25 al.

2) Permultas Horatianas esse postea videbimus.

3) Cf. p. 16.

4) Litterae *ab eam* videntur esse mendosa repetitio lemmatis. Cf. p. 20 adn. 6. Lege *abemit* : *accepit*.

ἔλαβεν; 15, 27 *altercante : contendente : φιλονικητεως*[1]); 28, 46 *baubant : latrant : ὑλακτοῦσ[ε]ιν*; 86, 31 *inritabile : litigosum, iracundum* : *ὀξύχολον* aliis. Quid ergo? Cum interpretamenta graeca in tribus glossis exhibeant apertum hominis graeculi errorem, in aliis nihil sint nisi mera versio graeca latinorum verborum, in ceteris denique omnibus possint tolli relictis integris glossis latinis, non dubito in medium proferre hanc sententiam: omnes huius generis glossas initio mere latinas fuisse (cf. Loewe prodr. p. 189 adn. 2). Vt autem ipse de hac re certius iudicare possis, afferam omnes glossas huc spectantes, ac primum eas, quae

1) ad Horatium redeunt. Sunt hae:

9, 5 adsciscet : euocabit[2]) : ἐκάλεσεν = Ep. II 2, 119 Adsciscet noua (sc. vocabula)...

15, 27 altercante : contendente : φιλονεικοῦντος[3]) = Sat. II 7, 57 Metuens induceris atque Altercante libidinibus tremis ossa pauore.

50, 40 diruit : demolit[4]) : κατέστρεψεν, κατέβαλεν οἰκοδομάς = Ep. I 1, 100 ... Diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis.

86, 31 inritabile : litigosum; iracundum : ὀξύχολον = Ep. II 2, 102 ... ut placem genus inritabile uatum ...

110, 52 conparat : confer⟨t⟩ : συγκρίνει = E. 2, 30 At cum tonantis annus hibernus Iouis Imbres niuesque comparat ...

114, 43 contristat : tristem facit : λυπη[5]) = Sat. I 1, 36 ... simul inuersum contristat Aquarius annum ...

122, 52 libidinosus : flagitiosus : ἀκόλαστος, ἡδυπαθής, ἀσελγής = E. 10, 23 Libidinosus immolabitur caper ...

123, 24 limat[6]) : rimatur, terit : ζητεῖ = Ep. I 14, 38 Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam Limat ...

127, 36 marita : nurus : νύμφη = E. 8, 13 ... Nec sit marita ...

143, 36 pauet : pauescit : πτοεῖ = E.[7]) 12, 25 ... ut pauet acres Agna lupos ...

151, 57 plane : profecto : σαφῶς, μέντοι, ὄντως, τῷ οντοι[8]) = Sat. I 3, 66 Communi sensu plane caret ...

151, 50 planum : fallacem : ἀπὸ τοῦ πλανᾶν = Ep. I 17, 59 Nec ... attollere curat Fracto crure planum ...

1) φιλονεικοῦντος (Steph.).
2) Cf. p. 21. 3) Cf. supra.
4) An graeculus olim invenit *demoliuit*? cf. Hor. C. IV 14, 30.
5) λυπεῖ. 6) Cf. p. 21.
7) Cf. Martial. XI 39, 6. 8) ὄντι (Steph.).

167, 54 quoad : quam diu : ἕως τίνος = Sat. II 3, 91 Quoad uixit, credidit . . .
182, 46 seria [1]) : necessaria : σπουδαῖα, ἀναγκαῖα = Sat. I 1, 27 Sed tamen amoto quaeramus seria ludo.
201, 20 trepidat : festinat : περιδεησμαι [2]) = Ep. I 10, 21 . . . aqua . . . quae per pronum trepidat cum murmure riuum?

Saepius apud Horatium occurrunt hae: 12, 32 aetas : aeuitas : ἡλικία, χρόνος; 24, 45 aridum : siccum : ξηρόν; 26, 47 auriga : agitur [3]) : ἡνίοχος, ἐλάτης; 52, 17 dissertus : eloquens : λόγιος; 53, 6 disipit [4]) : dirigit : παραφρονεῖ; 69, 16 honus [5]) : honor : τιμὴ θεῶν, τιμὴ ἀνθρώπων; 70, 45 fasces : honores : τιμάς, σύμβολα; 92, 57 iste : is : οὗτος; 103, 47 colonus : cultor : γεωργός; 114, 23 continuo : statim : εὐθέως, εξαυτης [6]); 123, 40 linire [7]) : mulcere, mitigare : πραΰνειν; 181, 30 sedulus : efficiolus [8]) : μόνιμος καὶ σπουδαῖος; 201, 21 trepidat : titubat : σφάλλεται, πταίει, βαμβαίνει; 205, 26 uehemens : alacer : σφοδρός, γενναῖος, δυνατός; 212, 28 uti : ut : ὅπως.

Dubitanter Horatio tribuo has:
112, 23 consentit : inuicem uidetur : συνευδοκεῖ = C. II 17, 22 . . . Vtrumque nostrum incredibili modo Consentit astrum.
123, 32 linea : funis [9]) : γραμμή, σειρά = Ep. I 16, 79 Mors ultima linea rerum est.
108, 6 condere : conponere : ποιῆσαι = C. I 10, 8 . . . Callidum, quidquid placuit, iocoso Condere furto.

2) Ad Martialem referri possunt hae:
148, 52 percisus : perdicatus [10]) : πεπυγισμένος = IV 48, 1 Percidi gaudes, percisus, Papile, ploras.
50, 55 discidium : diuortium diecit [11]) : διάλυσις γαμοι = X 41, 8 Discidium non est hoc, Proculeia . . .

1) Cf. p. 16 et 21.
2) Litterae πε ex antecedenti glossa transtulit Steph. Simili modo in 7, 8 et 9 (*adfatim* et *adfatio*) litterae νως πλουσιος post εκτε ponendae sunt: *adfatim* . . . ἐκτενῶς πλουσίως; cf. p. 4 adn. 3. Vana igitur coniectura, quam Klein protulit in Mus. Rh. 24 p. 295.
3) *agitator* (mg. cod. et Iunius).
4) *decipit* (Scal.) : *delirat*; cf. 45, 30.
5) *honos.*
6) ἐξαῦτις (Steph.).
7) *lenire.*
8) *officiosus.*
9) Puto *finis.*
10) *paedicatus* (Steph.).
11) δίεσις (mg. ed. Steph. bibl. nat. Paris. X 942); γάμου (Steph.).

98, 22 castigat : obiurgat : ἐπιπλήττει = X 104,17 Iam tumidus uocat magister Castigatque moras.

114, 2 contaminat : polluit : μιαίνει, συγκόπτει = I 53,4 Sic interpositus uillo contaminat uncto ...

126, 45 mamma : ruma : θηλή = I 100, 2 ... Dici .... maxima mamma potest.

Sequantur denique ceterae huius generis glossae numeris tantum allatis: 3, 29; 3, 38; 4, 20; 11, 43; 17, 27; 24, 24; 25, 51; 26, 51; 27, 31; 28, 46; 34, 38; 42, 1; 43, 23; 59, 50; 69, 12; 77, 23; 82, 59; 83, 46; 84, 58; 89, 4; 90, 49; 100, 18; 101, 12; 101, 31; 102, 54; 103, 10; 108, 14; 108, 18; 109, 23; 109, 34; 114, 39; 116, 49; 119, 43; 119, 48; 127, 45; 133, 14; 141, 42; 144, 33; 149, 36; 150, 4; 160, 27; 164, 51; 172, 38; 176, 3; 178, 30; 179, 10; 182, 16; 184, 36; 185, 27; 188, 12; 198, 8; 204, 6; 206, 8; 212, 41.

§ 6. De glossis quibusdam Horatianis.[1])

Postquam §§ 4 et 5 glossarum mere latinarum partem maiorem, latino-latino-graecarum magnum numerum redire ad Horatium vidimus, inter latino-graecas quoque esse, quae ad eundem referantur, testatur 46, 30 *desurgit* : *ἐφοδεύει ὡς ωρατιος*; spectat enim ad Hor. Sat. II 2, 77 *vides ut pallidus omnis Cena desurgat dubia*. Vnde legenda est *desurgat* : *ἀφοδεύῃ, ὡς Ὁράτιος*[2]); cf. Klein Rh. Mus. 24 p. 291. Quam ad glossam unam Horatianam accedunt aliae plurimae, ex quibus tamen paucas exquisitiores nunc afferam has:

22, 46 attat[3]) : ὁ τοῖς ποσὶν ἀρχόμενος περιπατεῖν = Ep. II 1, 79 Recte necne crocum floresque perambulet Attae Fabula si dubitem ...

61, 52 enuipater[4]) : Ἔννιος πατήρ = Ep. I 19, 7 Ennius ipse pater ...

1) De glossis Ciceronianis et Vergilianis vide Loewe prodr. p. 186 sq.

2) Ὁράτιος scripsi pro Ὡράτιος. Dubius ille Pseudo-Philoxeni locus, quem affert Rudorffius (Abh. d. Berl. Ak. d.W. 1865 p. 230), 93, 34 *iugula* : *ἄστρον Ὠρίωνος Ὁράτιος ὥς φησι*, aut nihil valet si ὁ Ἄττιος legendum est (Scaliger in castig. p. 75, 36; cf. Varro d. l. l. VII 50), aut, si laudandus est, veram servavit nominis scripturam.

3) Lege *atta*. Cf. Loewe prodr. p. 389.

4) *Ennius pater* (Scal.).

121, 52 Lauerna : Πραξιδίκη = Ep. I 16, 60 ... Pulchra Lauerna, Da mihi fallere ...
189, 56 Suadela : Πειθώ, ἡ θεός = Ep. I 6, 38 ... Ac bene nummatum decorat Suadela Venusque.
120, 43 laemures[1]) : νυκτερινοὶ δαίμονες = Ep. II 2, 209 ... Nocturnos lemures portentaque Thessala rides?
28, 32 Bachos[2]) : οἶνος = C. III 16, 34 ... Nec Laestrygonia Bacchus in amphora Languescit mihi ...
9, 35 ad summam : πρὸς τὸ πέρας = Ep. I 1, 106 Ad summam: sapiens ...
14, 5 ac si quis : ἐὰν δέ τις = Sat. I 10, 59 ... ac si quis pedibus quid claudere senis ...
22, 19 ast ego : ἐγὼ δή[3]) = E. 15, 24 Ast ego uicissim risero.
121, 59 lectus genialis : κλίνη συμποσίου[4]) = Ep. I 1, 87 Lectus genialis in aula est.
162, 43 [prosa] pexa tunica : πεξον ειματιον[5]) = Ep. I 1, 95 ... si forte subucula pexae Trita subest tunicae ...
13, 35 acescit : ὀξίζει = Ep. I 2, 54 Sincerum est nisi uas, quodcumque infundis acescit.
28, 9 balbuttit : νηπιω προσπαιζο τραυλίζει[6]) = Sat. I 3, 48 ... illum Balbutit scaurum ...
60, 28 emetat : θερίσει[7]) = Ep. I 6, 21 ... Ne plus frumenti dotalibus emetat agris ...
120, 40 lambit : λάπτει = C. I 22, 8 ... Lambit Hydaspes.
196, 48 tentigine : τῇ διατάσει = Sat. I 2, 118 ... malis tentigine rumpi?
151, 59 plagosus : δάρτης = Ep. II 1, 70 ... memini quae plagosum mihi paruo Orbilium dictare.
54, 12 diota : ἀμφόριον, οἰνοφόριον = C. I 9, 8 ... Deprome quadrimum Sabina, O Thaliarche, merum diota.
96, 20 caliendrum : κοσμίον καιφιλης[8]) = Sat. I 8, 48 ... altum Saganae caliendrum Excidere ...

1) *lĕmures* (Steph.).
2) *Bacchus* (mg. cod.).
3) δέ (Steph.).
4) Prava haec graeculi explicatio abhorret a Pauli loco 94, 11 *genialis lectus, qui nuptiis sternitur in honorem genii, unde et appellatus.*
5) *prosa* ex glossa antecedenti huc aberravit; πεκτόν; ἱμάτιον (Steph.).
6) *balbutit* (Steph.): νηπίῳ προσπαίζων τραυλίζει.
7) θερίσῃ.
8) κεφαλῆς (Steph.).

PARS II.

DE FESTO PSEVDO-PHILOXENI AVCTORE.

---

§ 1. De Pseudo-Phil. 8, 21.

Pseudo-Philoxeni glossa 8, 21 haec est: *adoriosus* : ενδοξος ασπομπιῖος αδορνικηας πεμπιος. De qua Scaliger in castig. p. 7, 23 in hunc modum disseruit: 'Lege *adoriosus* : ἔνδοξος ὡς Πομπήϊος, *ador* : νίκη ὡς Πομπήϊος. Quin intellegat nostrum Pompeium Festum, dubitandum non est.' Paulus autem nihil nobis tradidit nisi haec: 3, 10 *ador farris genus, edor quondam appellatum ab edendo uel quod aduratur, ut fiat tostum, unde in sacrificio mola salsa efficitur* et 3, 12 *adoriam*[1]) *laudem siue gloriam dicebant, quia gloriosum eum putabant esse, qui farris copia abundaret.* Suo igitur iure Scaliger pergit: 'Hinc, quam multa ad arbitrium suum mutaverit, mutilaverit, perverterit Longobardus iste, facile adverti potest. Nam quae glossarius ille annotat, ex hoc integro loco deprompta fuerunt sine ullo dubio sq.' Itaque cum ex ipsius Scaligeri sententia dubitari nullo modo possit neque quisquam adhuc dubitaverit, quin ille Πομπήϊος idem sit, qui Pompeius Festus, assentimur Muellero, qui (ad Paul. 3, 12) dicit: 'Apparet glossarii auctorem ipsum Festum tractasse.' Nam si una vel potius duae glossae extant in glossario ex Festi libro depromptae, etiam plures extare est verisimile. Itaque nostro iure Festi vestigia apud Pseudo-Philoxenum indagare conabimur.

Sed priusquam quaestionem tractare pergamus, de rationibus, quas Verrius Flaccus in componendis, Festus, Paulus, Pseudo-Philoxenus in exscribendis glossis, quod ad lemmatum formas attinet, sive secuti sint sive videantur secuti esse, quam brevissime ac tangentes magis rem quam plene explicantes disseremus.[2]) Ac primum quidem Verrius Flaccus ad componendum librum suum amplissimum[3]), quem inscripsit *de significatu uerborum*, testantibus Festo et Paulo duo admisit glossarum genera, unum brevissimarum, in quibus verbum verbo reddidit, alterum earum, in quibus usus

1) Scal. *adoream.* Cf. Hor. carm. IV 4, 41 et Muelleri adn. cr.

2) Ab alia parte Festum et Paulum tractavit Neff: *de Paulo Diacono Festi epitomatore.* (Programm der k. Studienanstalt Kaiserslautern 1890/91.)

3) Cf. Fest. 218, 3 sub *Porriciam.*

est pluribus verbis. Atque in priore genere ubi lemmata propter formam inusitatam explicanda erant, adiecta recentiore semper eam servavit lemmatis formam, quam in scriptoris contextu inveniebat, id quod ipsa res postulabat; huc spectant tales: Paul. 27, 14 *addues* : *addideris,* Paul. 68, 12 *danunt* : *dant,* Fest. 310, 8 *suopte* : *suo ipsius, ut meopte meo ipsius, tuopte tuo ipsius*; ubi propter significationem lemmata erant difficilia, aut servavit formam raro ut in hac: Fest. 282, 33 *remanant* : *repetunt. Ennius l. I: 'destituunt riuos camposque remanant'*, aut lemmatis formam simpliciorem reddidit ut in his: Fest. 281, 28 *reluere* : *resoluere, repignerare. Caecilius in Carine: 'ut aurum et uestem, quod matris fuit, reluat, quod uiua ipsa opposiuit pignori'*, Fest. 281, 15 *repedare* : *recedere. Pacuuius: 'paulum repeda gnate a uestibulo gradum.'*

In posteriore genere glossarum, ad quarum lemmata propter significationem maxime explicanda adhibuit orationem, Verrius Flaccus rarissime formam servavit ut in his: Fest. 218, 25 *porriciam*: *porro iaciam, maxime de extis dicebant antiqui. Plautus in Pseudolo: 'atque in manibus exta teneam ut porriciam interea loci'*..., Fest. 253, 12 *proculiunt* : *promittunt ait significare Antistius de iure pontificali l. IX*; plerumque lemmatis formam simpliciorem redditam ex orationis habitu pendere iussit ut in his: Fest. 273, 4 *rediuiuum est ex uetusto renouatum. Cicero l. I in Verrem: 'utrum existimatis minus operis esse unam columnam efficere ab integro nouam nullo lapide rediuiuo'*, Fest. 294, 33 *sublesta antiqui dicebant infirma et tenuia. Plautus in Persa: 'ad paupertatem si immigrant infamiae, grauior paupertas fit, fides sublestior', id est infirmior. Idem in Neruolaria uinum ait 'sublestissimum', quia infirmos faciat uel corpore uel animo.*

Haec de Verrio Flacco. Quid Festus? Qui num formas lemmatum, quales apud Verrium inveniebat, tales servaverit aut quomodo mutaverit, vix certo potest effici. Integra procul dubio reliquit ea lemmata, quorum pretium positum est in ipsa forma. Nec non servavisse videtur Verrii formam in tali glossa: Fest. 281, 6 *repagula sunt, ut Verrius ait, quae patefaciundi gratia ita figuntur, ut ex contrario quae oppangantur. Cicero in Verrem l. IV: 'postea conuolsis repagulis effractisque ualuis demoliri signum ac uectibus labefactare conantur.' Quae poetae interdum repages appellant;* verisimile autem est vel nonnullas vel etiam permultas formas aut simpliciores reddidisse Festum aut mutasse, ut postulabat orationis admissae constructio e. g. in Fest. 309, 5 *suburam Verrius alio libro a pago Succusano dictam ait* sq.

Magis perspicua quam Festi est Pauli ratio excerpendi. Is in nominibus id egit, ut simpliciores redderet formas sive levi mutatione usus ut in hac: Paul. 308, 9 *subactus modo significat mollitus* sq. = Fest. 309, 3 *subacti : molliti* sq. sive, id quod saepissime fecit, nominativo allato pro casu eo, qui apud Festum pendet ex oratione ut in his: Paul. 308, 6 *subucula et genus libi dicitur* sq. = Fest. 309, 25 *subuculam Aelius Stilo et Cloatius isdem fere uerbis demonstrant uocari* sq., Paul. 271, 11 *rediuia siue reluuium dicitur* sq. = Fest. 270, 17 *rediuiam quidam, alii reluuiam appellant* sq.; attamen interdum Festi formam integram reliquit in talibus: Paul. 252, 6 *properam celerem strenuamque significat* = Fest. 253, 31 *properam pro celeri ac strenua dixisse antiquos testimonio est Cato, cum ait in libro de re militari: 'tertia e castris eductio celeris properaque est'*, Paul. 251, 11 *pacionem antiqui dicebant* sq. = Fest. 250, 23 *pacionem antiqui dicebant* sq.; in verbis Paulus solet Festi formas retinere e. g. in Paul. 252, 3 *proculiunt : promittunt* = Fest. 253, 12 *proculiunt, promittunt ait significare Antistius* sq.; rarissime infinitivum posuit ut in hac: Paul. 180, 2 *occentare dicebant pro conuicium facere* sq. = Fest. 181, 12 *occentassint antiqui dicebant, quod nunc conuicium fecerint* sq. Quantum autem ad arbitrium suum mutaverit, agnoscere licet ex talibus glossis: Paul. 308, 9 *subactus modo significat mollitus, modo uictus, modo compulsus, ut cum dicimus, pecus sub arborem subactum; modo coactus* = Fest. 309, 3 *subacti : molliti. Alias compulsi et coacti, ut cum dicimus pecus sub arbore subactum. Alias uicti*, Paul. 248, 1 *procare poscere est, unde et proci et meretrices procaces et uerbum procas id est poscis* = Fest. 249, 1 *procum patricium in descriptione classium, quam fecit Seruius Tullius, significat procerum. I enim sunt principes. Nam proci dicuntur, qui poscunt aliquam in matrimonium, graece μνηστῆρες. Est enim procare poscere, ut cum dicitur in iudice collocando 'si alium procas niue eum procas' hoc est poscis; unde etiam meretrices procaces.*

Paucissima denique verba de Pseudo-Philoxeno facienda sunt. Atque ex ipsa re apparet eum quoque lemmata Festina propter formam notabilia reliquisse integra, propter significationem autem digna, quae exscriberentur, vel integra talia, qualia erant apud Festum, transtulisse vel etiam in simpliciorem formam redacta in usum suum convertisse, id quod minime abhorret a ratione glossariorum latino-graecorum.

Qua ex brevi disputatione secuntur haec:

I. Eae glossae Pseudo-Philoxenianae, quas ad Festum redire volumus, 1) aut eandem lemmatis formam, quam Festus, aut simpliciorem exhibeant oportet, 2) aut eandem, quam Paulus, aut simpliciorem possunt exhibere aut etiam flexurae formam quandam, cum Paulus tradiderit simpliciorem.

II. Cum Paulus multas glossas, quae apud Festum extabant, in suum corpus non receperit, etiam quidam loci Pseudo-Philoxeniani, qui apud Paulum non inveniuntur, ad Festum referri possunt.

III. Si denique respicimus Pseudo-Philoxeni glossam 8, 21 re vera duas esse atque in unam falso conscriptam propterea, quod magna cum probabilitate, ne dicam certo, is, qui Festinas glossas Pseudo-Philoxeniano corpori inseruit, manu tenebat perfectam collectionem glossarum ex Festo petitarum et in charta deinceps sequentium, si hoc, inquam, respicimus, nonnullas glossas Pseudo-Philoxenianas apud Paulum omissas aliqua cum probabilitate ad Festum possumus referre, dummodo collocatae sint prope eas glossas Pseudo-Philoxenianas, quae ad Festum redeunt.

§ 2. De glossis, quas ad Festum redire potest demonstrari.

At dicat quispiam Pseudo-Phil. 8, 21 singularem glossam Festinam nescio quomodo in Pseudo-Philoxeni glossarium aberravisse. Quod etsi per se fieri potuit, tamen factum esse neque probabile est et alias plures extare, quas ad Festum recte referamus, demonstrari potest argumentis satis certis. De quibus nunc nobis est disserendum. Ac primum quidem tractabimus duas glossas, quarum lemmata non nisi apud Paulum et Pseudo-Philoxenum extant, alio loco inveniuntur nullo. Sunt Pseudo-Phil. 30, 20 = Paul. 33, 12 et Pseudo-Phil. 56, 6 = Paul. 67, 7.

I. Pseudo-Phil. 30, 20 *bisaenus* : χοῖρος εξαμηνιεος = Paul. 33, 12 *biseta porca dicitur, cuius a ceruice setae bifariam diuiduntur, cum iam esse incipit maior sex mensium.* Scaliger in cast. p. 32, 2 ad Pauli locum adnotat haec: 'Bisaenum vocari glossarium: *bisaenus* : χοῖρος ἑξαμηνιαῖος. Et tamen non video, quomodo *bisaenus* vel *bisenus* sit ἑξαμηνιαῖος' sq. Quae suo iure Scaliger. Nam *bisaenus* neque ἑξαμηνιαῖος significat neque quidquam aliud. Ergo inest mendum in Pseudo-Philoxeni glossa. Coniecit Vulcanius *bisetus.* Sed ne *bisetus* quidem significat ἑξαμηνιαῖος. Teste enim Paulo *biseta porca dicitur, cuius a ceruice setae bifariam diuiduntur;* atqui bifariam dividuntur, *cum iam esse incipit maior sex mensium;* ergo *biseta porca est maior sex mensium.* Qua ratio-

cinatione efficitur et Pseudo-Philoxeni glossam, si legitur *bisetus*: *χοῖρος ἑξαμηνιαῖος*, exhibere sensum bonum et Vulcanium recte coniecisse *bisetus*. Quodsi auctor Pseudo-Philoxenianae glossae ad explicandum lemma *bisetus* non propriam huius vocabuli significationem [1]) adhibuit, sed eam potissimum, quam concludendo enucleavimus (sc. *ἑξαμηνιαῖος*), sequitur et ipsum percurrisse nostram rationis conclusionem. At qua tandem re permotus est, ut tali circuitu usus significationem tam absconditam atque occultam arcesseret? Huc accedunt aliae condiciones duae. Primum enim Pseudo-Philoxeni glossa non quidem grave mendum attamen leviorem errorem exhibet, cum *biseta porca* non *ἑξαμηνιαῖος* sit, sed *maior sex mensium*; deinde sine dubio aut ipsa fuit mere latina aut fluxit ex alia mere latina, quia non *bisetus* sed *biseta porca* est *χοῖρος ἑξαμηνιαῖος*; invenit igitur auctor in fonte suo substantivum *porca* post *biseta* positum. Iam satis praeparavisse mihi videor, quod nunc concludam. Ex Pseudo-Phil. 8, 21 enim apparet auctorem glossarii tractasse Festum. Nunc lege Pauli locum in hunc modum: *biseta porca dicitur maior sex mensium, quia hoc tempore a ceruice eius setae bifariam diuidi incipiuntur*. Quid ergo? Puto hanc ipsam Pseudo-Philoxeni glossam ex hoc Pauli vel rectius Festi loco esse depromptam. Quod si censemus, sublata etiam est Scaligeri dubitatio.

II. Transeo ad alteram glossam. Est Pseudo-Phil. 56, 6 *dubius*: *δεσπότης* = Paul. 67, 7 *dubenus apud antiquos dicebatur, qui nunc dominus*. Initium capio a Pseudo-Phil. 55, 62 *dubinus* : **διϭϭός**. Quam sine dubio emendavit Scaliger (cast. p. 57, 35), cum scripsit *dubienus* : **διϭϭός**. Nam (ib. p. 5, 14) 'ut ab alio alienus, a socio socienus, sic a dubio dubienus'. Nunc adspice Pauli locum 67, 7 *dubenus apud antiquos dicebatur, qui nunc dominus*. Adnotat Scaliger (ib. p. 57, 35): 'Locus mendosus. Procul dubio ita legendus est *dubienus apud antiquos dicebatur, qui nunc dubius*.' Profecto haec Scaligeri ratio, ex qua *dubenus* corruptum sit e *dubienus*, tam probabilis est, de qua non possit dubitari. Quod si concedimus, iam cogimur hoc quoque concedere pro *dominus* scribendum esse *dubius*. Vnde Pauli locus a Scaligero emendatus optime respondet glossae Pseudo-Philoxenianae 55, 62 *dubienus* : **διϭϭός**. Pergit Scaliger (ib. p. 57, 35): 'Et tamen mirum, quod in eodem glossario (sc. Pseudo-Phil. 55, 6) legitur *dubius* : **δεϭπότης**. Videtur enim vulgatae lectioni huius loci favere.' Quam glossam a Scali-

1) Vel *διχαίτης* (cf. Pseudo-Phil. 53, 8) vel tale quid.

gero modo allatam mendosam esse nemo non intellegit, quia *dubius* nullo modo significat δεσπότης. Corruptum igitur est aut δεσπότης, id quod minus videtur, aut *dubius*. Potuit autem *dubius* corrumpi aut ex *dominus*, quae ratio tamen non ita placet, quod vocabulum *dominus* omnibus tam notum usitatumque erat, ut non facile tam graviter corrumperetur, aut ex *dubi[en]us*, id quod cum propter significationem satis obscuram tum propter scripturam verisimillimum est. Itaque non sine probabilitate Pseudo-Philoxeni glossam refingo in hunc modum: *dubienus* : δεσπότης. Nunc confer Pauli locum talem, qualis traditus est *dub⟨i⟩enus apud antiquos dicebatur, qui nunc dominus*. Quid? Aperte in utraque glossa idem inest mendum; falsa enim sunt δεσπότης et *dominus*. Quid sequitur? Repeto conclusionem iam supra allatam hanc: ex Pseudo-Phil. 8,21 scimus, glossarii auctorem tractasse Festi librum. Atqui et Paulus et Pseudo-Philoxenus mirum in modum prorsus idem exhibent mendum. Ergo Pseudo-Philoxeni glossam refero ad Festum. Quem rerum statum Scaliger non perspexit, quia suam rationem in cast. p. 7, 23 prolatam hoc loco neglexit. Vnde neque quidquam valent eius verba illa: 'Et tamen mirum, quod in eodem glossario legitur *dubius* : δεσπότης. Videtur enim vulgatae lectioni huius loci favere' et contra Muellerum (ad Paul. 67, 7) apud Paulum Scaligero auctore lego *dubius* pro *dominus*.[1])

1) Iam oportet tractemus glossam aliam et ipsam non nisi apud Paulum et Pseudo-Philoxenum extantem. Est enim Pseudo-Phil. 41, 27 *degunere* : ἀπογεύσασθαι καὶ συγγνῶσαι = Paul. 71, 21 *degunere* : *degustare*. In coniect. p. 186, 21 Scaliger monet apud Paulum legendum esse *degumiare* (in cast. p. 56, 3 *degumare*). Quod Scaligerum recte coniecisse si censes, apud Pseudo-Philoxenum quoque restitues *degumiare* et, cum Pseudo-Philoxenus eandem huius loci corruptelam exhibeat quam Paulus, concludes glossarium hausisse ex Festo. Sed Scaligeri sententiae duae res obstant. Ac primum Mueller (ad Paul. 71,21) ita: 'Apparet voc. *gustus* participium esse antiquioris verbi *guno* (Georgesius sub Degunere *degusno*). Frustra A. Aug. in mg. coni. *degumare* et Scal. in coniect. in Varr. de L. L. (p. 186, 21) *degumiare*, quod si fuisset verbum, non *degustare* sed *devorare* significare debebat.' Deinde Scaliger memoria non tenuisse videtur glossam hanc Pseudo-Philoxenianam, quippe cuius neque in coniect. neque in cast. fiat mentio. Itaque ad Muelleri argumentum accedit res alia. Est enim propter particulam καὶ inter ἀπογεύσασθαι et συγγνῶσαι positam (cf. p. 17) plus quam verisimile hanc glossam ex duabus in unius formam redactam esse. Quod arbitranti mihi assentitur Stephanus, qui in editione interpretamentis puncto disiunctis profert suam sententiam glossarum ex compluribus contractarum. Exhibet e. g. *defensa* : λήιον. ἐκδικηθέν = *defrensa* : λήιον et *defensa* : ἐκδικηθέν; item *lucet* : τίσει. καὶ πενθεῖ, ἀνιᾶται, de qua cf. p. 17.

Venio ad glossas tractandas eas, quarum lemmata saepius occurrunt.

III. Pseudo-Phil. 53, 16 *dium* : *ἀστραπή* = Paul. 75, 14 *dium fulgur appellabant diurnum, quod putabant Iouis, ut nocturnum Summani.* Pseudo-Philoxeni glossa falsa est, cum *dium* neque *ἀστραπή* significet et regulariter sit adiectivum. Sin autem graecum interpretamentum latine scribis *fulgur* ita, ut *dium fulgur* bonum sensum habeat, statim haec duo vocabula quando mere latina artissime coniuncta fuisse suspicaberis. Quodsi Pauli locum *dium fulgur appellabant diurnum* respicis, perspicuum tibi fit Pseudo-Philoxeni glossam excerptam esse ex Festi loco male intellecto. Melius Cyrill. 348, 10 *κεραυνοβόλιον ἡμερινόν* : *fulgur dium*; ib. 348, 11 *κεραυνοβόλιον ἀπὸ πρωὶ ἢ νυκτερινόν* : *fulgur submanum.*

IV. Pseudo-Phil. 186, 6 *solox* : *ἱερὸν καὶ παχύς* = Fest. 301, 6 *solox lana crassa et pecus quod passim pascitur non tectum. Titinius in Barbato: 'ego ab lana soloci ad purpuram data' et Lucilius: 'pascali pecore ac montano hirto atque soloce'.* Pseudo-Philoxeni glossam, quam Scaliger (cast. p. 191, 5) legere vult *solox* : *ἔριον παχύ* scilicet respecto Festi loco, in duas disiungenda est has: *solox* : *ἱερόν* et *solox* : *παχύς*.[1]) Atque in posteriore parte non habemus, quod vituperemus, habemus in priore. Nam ut concedamus *ἱερόν* olim potuisse significare idem quod *παχύ*, tamen non video, cur huius glossae auctor lemma interpretatus sit eo vocabulo, quod antiquissimis temporibus fortasse hunc sensum praebuerat, tunc nihil significabat nisi *sacrum.* Itaque non errare mihi videor, quod *ἱερόν* falsum esse ratus cum Scaligero scribo *ἔριον.* Qua coniectura efficitur, ut in hac glossa *solox* : *ἔριον* eaedem rationes valeant, quae in glossa *dium* : *ἀστραπή* sub III modo tractata. Aperte enim epitomator in Festi glossa vocem *solox* perperam pro substantivo intellexit, cum ex auctoritate duorum exemplorum a Festo allatorum sine dubio sit adiectivum.

V. Pseudo-Phil. 70, 18 *falcones* : *δάκτυλοι ποδῶν ἔσω βλέποντες* = Paul. 88, 8 *falcones dicuntur, quorum digiti pollices in*

Vnde cum magna cum probabilitate haec, de qua nunc est sermo, glossa in duas has *degunere* : *ἀπογεύσασθαι* et *degunere* : *συγγεῦσαι* (ita corr. Muell. ad Paul. 71, 21) dividenda sit, tria habemus formae *degunere* testimonia. Quorum ex auctoritate assumpto Muelleri argumento censeo et *degunere* bonam esse formam neque Pseudo-Philoxeni glossam ea de causa, quia idem quod Pauli locus mendum exhibeat, ad Festum referri posse.

1) Cf. adn. antecedentem.

pedibus intro sunt curuati, a similitudine falcis. Mendosae glossae Pseudo-Philoxenianae sensum rectum sane restituit Loewe (prodr. praef. p. XV) ita: *falcones* : *δακτύλους ποδῶν ἔσω βλέπ[οντας ἔχ]οντες.* Sed etsi fieri potuit, ut litterae *οντας εχ* deinceps sequentes exciderent, tamen accusativum *δακτύλους* quoque in nominativum aut corruptum aut correctum esse satis mirabile videtur. Quodcirca puto hanc glossam latino-graecam numquam usam esse forma recta sed iam inde ab initio semper mendosa ea qua nunc. Vnde porro concludo eandem glossam non propriam originem in se ipsa positam duxisse, cum quod de homine propter pollices dicitur id de ipsis pollicibus intellexit glossae auctor, sed aliunde petitam esse. Itaque si verba illa graeca obliquum sensum praebentia videmus esse prorsus eadem, quae Paulus adhibuit ad suum locum recte explicandum, eo adducimur, ut Pseudo-Philoxeni glossam ex Festina neglegenter exscriptam esse censeamus.

VI. Pseudo-Phil. 174, 2 *restibulis* : *ἀγρὸς δὶς τοῦ ἔτους αποτριωμενος* = Fest. 281, 15 *restibilis ager dicitur, qui biennio continuo seritur farreo spico, id est aristato; quod ne fiat, solent, qui praedia locant, excipere.* Varro in libro, quem scripsit de re rustica, II 7, 11 de equis locutus ita: 'alternis qui admittant, diuturnos equos, meliores pullos fieri dicunt, itaque ut restibiles segetes esse exuctores (?) sic quotannis quae praegnates fiant.' Quo ex loco si colligimus *restibilem segetem* esse eam, quae in eodem agro duobus annis deinceps sequentibus bis seritur bisque metitur, assentitur nobis Festus, qui dicit: *restibilis ager dicitur qui biennio continuo seritur farreo spico*; discrepat Pseudo-Philoxenus, qui tradit: *restibilis* : *ἀγρὸς δὶς τοῦ ἔτους αποτριωμενος* (Scal. *ἀροτριώμενος*, Steph. *ἠροτριωμένος*). Potuit autem Festi vocabulum *biennio* ab homine minus sive diligenti sive intellegenti facile detorqueri in Pseudo-Philoxeni sententiam *bis anno* = *δὶς τοῦ ἔτους.* Deinde primo optutu apparet Pseudo-Philoxeni glossam antea fuisse mere latinam, cum legenda sit *restibilis ager* : *ἀγρὸς*... Quibus de causis hunc quoque Pseudo-Philoxeni locum male ex Festino depromptum esse putem.

VII. Item mere latina fuit Pseudo-Phil. 53, 8 *disulcis* : *χυρος διχαίτης διαῦλαξ* (Scal. cast. p. 57, 22: *χοῖρος διχαίτης, διαῦλαξ*); nam legenda est *disulcus porcus* : *χοῖρος* ... Quae et ipsa ad Festum videtur mihi redire collato Pauli loco 72, 14 *dissulcus porcus dicitur, cum in ceruice setas diuidit.* (Cf. *biseta* sub I.) Aliae.

§ 3. De lemmatis non nisi apud Festum et Philoxenum extantibus.

Ex disputatione § 2 habita sequitur Pseudo-Philoxeni glossam 8, 21 non singularem aut casu in glossarium incidisse, cum praeter unam hanc viderimus alias septem partim certissime ex Festo depromptas esse partim videri inde fluxisse. Itaque cum praeter eas satis multae apud Pseudo-Philoxenum extent cum Festi locis ita congruentes, ut facile eodem possint referri, conicimus corpus quoddam glossarum Festinarum intextum esse Pseudo-Philoxenianae collectioni. In quibus investigandis etsi non habemus argumenta certissima, quibus nisi unamquamque omni dubitatione sublata ad Festum referamus, tamen rationes extant, quibus haud mediocriter adiuvemur. Ac primum quidem cum Pseudo-Phil. 8, 21[1]) in glossarii parte B[2]) extet, eae inprimis glossae ad quaestionem nostram spectant, quae huius partis B sunt. Deinde ceteris nunc praetermissis triginta, quod sciam, glossae occurrunt non nisi apud Pseudo-Philoxenum et Festum (vel Paulum) traditae[3]), quas, quoniam Festi libros a glossarii auctore tractatos esse constat, probabile fit ante alias ad Festum redire. Sin autem est, quae non ita congruat cum Pauli loco, ut planissime ad Festum referatur, et memineris nos tractare priscae latinitatis vocabula difficilia neque raro corruptissima et in memoriam revocabis Scaligeri verba illa: 'Hinc, quam multa ad arbitrium suum mutaverit, mutilaverit, perverterit Longobardus iste, facile adverti potest.' Glossas autem apud solum Festum et Pseudo-Philoxenum traditas divido in partes duas, unam complexam certiores (a), alteram continentem minus certas sive coniectura ad Festum referendas (b). Atque in utraque parte locum priorem obtinebunt, quae (B) ad glossarii partem B, posteriorem, quae (A) ad partem A vel dubie ad B spectant. Sunt autem hae:

ad aB:

1) Pseudo-Phil. 48, 27 dicassit[4]) : *ἐπαγορεύει* = Paul. 75, 15 dicassit : dixerit.

1) Item Pseudo-Phil. 56, 6 (cf. § 2, II), dubie 30, 20 (cf. § 2, I) et 53, 8 (cf. § 2, VII).

2) Cf. p. 11.

3) Velut Pseudo-Phil. 30, 20 (cf. § 2, I) et 56, 6 (cf. § 2, II).

4) Steph. minus bene *dicasset*. Pseudo-Phil. 48, 35 *dicassit* : *συνεχῶς λέγει*. De talibus glossis bis extantibus vide p. 41 adn. 8.

2) Pseudo-Phil. 35, 11 gnetonsum : *αμαιρον σκοτινον* [1]) = Paul. 95, 12 gnephosum : obscurum, uidelicet ex graeco, quod est *κνέφας*. (Cf. Paul. 51, 9).

3) Pseudo-Phil. 35, 3 gnotu [2]) : *γνῶσιν, διάγνωσιν* = Paul. 96, 12 gnotu : cognitu.

ad a A:

4) Pseudo-Phil. 21, 41 ape : *κώλυσον* = Paul. 22, 17 ape apud antiquos dicebatur prohibe, compesce.

5) Pseudo-Phil. 18, 44 aquipenser [3]) : *εἶδος ἰχθύος* = Paul. 22, 13 aquipenser : genus piscis.

6) Pseudo-Phil. 41, 27 degunere [4]) : *ἀπογεύσασθαι καὶ συγγεῦσαι* = Paul. 71, 21 degunere : degustare.

7) Pseudo-Phil. 88,34 insuasum : *εἶδος* [5]) *δοκαριο καπνισμενων* = Paul. 111, 9 insuasum appellabant colorem similem luteo, qui fiebat ex fumoso stillicidio.

8) Pseudo-Phil. 125, 11 lumbaga [6]) : *ισχεια σομματα* = Paul. 120, 16 lumbago : uitium et debilitas crurum.

9) Pseudo-Phil. 130, 34 monitor : *ὑποβολεύς* = Fest. 138, 29 monitores appellantur non solum homines, qui monent histriones, sed etiam libri dicuntur commentarii.

10) Pseudo-Phil. 144, 39 pedem struit : *φεύγει* = Fest. 210, 26 pedem struit in XII. significat fugit, ut ait Ser. Sulpicius.

Si hanc glossam ex Festo petitam esse conceditur, ceterae quoque ad XII tabulas spectantes facile eodem redeunt, quas tractavit Goetzius in ind. Ien. sch. aest. 1889 VI. Affero has: Pseudo-Phil. 56, 4 *duicensus* [7]) : *διταβ δεύτερον ἀπογραμμενος* = Paul. 66,14 *duicensus dicebatur cum altero, id est cum filio census.* — Pseud.-Phil. 61, 39 *endoplorato* : *ἐπικάλεσον* = Paul. 77, 1 *endoplorato : implorato, quod est cum questione inclamare* .... — Pseud.-Phil. 186, 20 *sonticus morbus* : *ἱερὰ νόσος* = Fest. 290, 24

1) Scal. p. 68, 2 *gnefonsum* : *ἀμαυρόν, σκοτεινόν*. Iunius *gnephonsum*.

2) Scal. p. 68, 7 invenit *gnotum*; perperam.

3) Alias *acipenser*.

4) Cf. p. 31 adn.

5) Scal. p. 74, 21: 'lege *εἶδος δοκαρίου κεκαπνισμένου*. Et sane hoc vult Festus esse colorem similem illi, qui est in illis trabibus, quas diutinus fumus infecit.' De Plauti loco Truc. II 2, 16 cf. Fest. 302, 12 et Loewe prodr. p. 277, qui h. l. legit *δοκαρίων κεκαπνισμένων*.

6) Scal. *lumbago* : *ἰσχιάς, ἅμματα*.

7) Goetz ib. sub III emendavit *duicensus XII tab.* : *δεύτερον ἀπογεγραμμένος*.

sonticum morbum in XII. significare ait Aelius Stilo certum cum iusta causa, quem nonnulli putant esse, qui noceat, quod sontes significat nocentes .... — Pseudo-Phil. 77, 21 *im* : *αὐτόν, εἰς, αὐτόν* (= Pseudo-Phil. 75, 19) = Paul. 103, 10 *im ponebant pro eum, a nominatiuo is.* — Cui glossae simillima est Pseudo-Phil. 77, 23 *im* : *eum* : *τὸν αὐτόν*. Atque ex eis, quae part. I § 5 disputavi, legenda est *im* : *eum* ut mere latina. Nunc adspice obscuram illam Pseudo-Phil. 77, 22 *imemo* : *δηηβον*. Quodsi respicimus et Pseudo-Phil. 56, 4 *duicensus* : *διταβ* sq. (= *XII tab.*) et Pseudo-Phil. 11, 16 *agear* : *παραμενων* cum sequenti Pseudo-Phil. 11, 17 *agear* : *πάροδος πλοίου*, quas Scaliger (cast. p. 11, 28) emendans contraxit in unam hanc: *agea* : *παρὰ Ἐννίῳ πάροδος πλοίου*, admodum probabiliter emendabimus Pseudo-Phil. 77, 22 et 77, 23 contractas ita: *im* : *eum XII tab.* [: *τὸν αὐτόν*]. Ex eadem ratione tractandae videntur mihi esse tres hae: Pseudo-Phil. 57, 9 *dupliones* : *διπλοῖ*, Pseudo-Phil. 57, 10 *duplum* : *διπλοῦν*, Pseudo-Phil. 57, 11 *duodecim* : *ταβ, δυοκαίδεκα*. Nam conferenti mihi Paul. 66, 13 *duplionem antiqui dicebant, quod nos duplum. Venit autem a graeco διπλοῦν*, plus quam verisimile fit tres has Pseudo-Philoxeni glossas in unam contrahendas esse hanc: *duplionem* : *duplum duodecim tabulis* [1]), quam ad Festum referre omnino non dubito. Cf. Schoell (legis XII tab. reliquiae) p. 161 (XII 4), 147 (VIII 16), 144 (VIII 8).

11) Pseudo-Phil. 207, 45 ueterina uestia [2]) : ὑποζύγιον = Paul. 369, 12 ueterinam bestiam iumentum Cato appellauit a uehendo . . .

ad bB:

12) Pseudo-Phil. 24, 38 arina [3]) : *μήτηρ κατὰ βάρρωνα* = Paul. 20, 15 arnae caput : agni caput.

13) Pseudo-Phil. 26, 22 axmenta [4]) : *στίχοι ἐπὶ τυσιων Ἡρακλέους* = Paul. 3, 6 axamenta dicebantur carmina Saliaria, quae a Saliis sacerdotibus canebantur in uniuersos ho-

1) Haec glossa demonstrat vanitatem interpretamentorum graecorum, quae sunt in glossis latino-latino-graecis. Cf. part. I. § 5.

2) Scal. p. 214, 4 *bestia* invenit.

3) Scal p. 24, 17 *arna* : *ὄις μήτηρ κατὰ Βάρρωνα*. Mueller adnotat: 'ex eodem Festi articulo a Paulo misere truncato ductum illud apud Labb....'

4) Scal. p. 27, 33 invenit *axamenta* : *στίχοι ἐπὶ θυσιῶν Ἡρακλέους*. Goetz (ind. Ien. 1887 p. III) probavit formam *anxamenta*. Apud Paulum Mueller pro *homines* coni. *deos*; fortasse *heroes* legendum. Sane Pauli locus mutilatus est. De Saliis vide Scaligeri locum.

mines composita. Nam in deos singulos uersus facti a nominibus eorum appellabantur, ut Ianuli, Iunonii, Mineruii.

14) Pseudo-Phil. 27, 58 bauar[1]) : *εἶδος ἀγγ⟨ε⟩ίου* = Paul. 31, 2 bacar : uas uinarium simile bacrioni.

15) Pseudo-Phil. 61, 15 endo[2]) : *ἐζωσμένοι ἐν πολεμω* = Paul. 77, 3 endo procinctu : in procinctu; significat autem, cum ex castris in proelium exitum est, procinctos, quasi praecinctos atque expeditos . . .

16) Pseudo-Phil. 47, 19 detudes : *μιανθέντες*[3]) = Paul. 73, 11 detudes esse detunsos, deminutos.

17) Pseudo-Phil. 17, 38 andruare : *ἀνδρίζεσθαι*[4]) = Paul. 9, 11 andruare id est recurrere a graeco uerbo *ἀναδραμεῖν* uenit . . .

18) Pseudo-Phil. 37, 42 daunum[5]) : *ἄφρονα* = Paul. 68, 1 daliuum supinum ait esse Aurelius, Aelius stultum. Oscorum quoque lingua significat insanum . . .

19) Pseudo-Phil. 61, 21 enibrum[6]) : *πραγματιος ἐπὶ βλάβης* = Paul. 76, 16 enubro : inhibenti.

20) Pseudo-Phil. 33, 55 gingriunt[7]) : *χῆνες ἐκβοῶσιν* = Paul. 95, 5 gingrire anserum uocis proprium est, unde genus quoddam tibiarum exiguarum gingrinae.

21) Pseudo-Phil. 87, 26 insipti[8]) : *αὐτοί* (idem 87, 44) = Paul. 105, 9 ipsippe : ipsi neque alii.

22) Pseudo-Phil. 6, 10 aduores[9]) : *ἐναντίοι* = Paul. 25, 17 aduosem : aduersarium, hostem.

1) Scal. p. 28, 26 *baccar.*

2) Scal. p. 58, 30 *endo procinctu* : *ἐζωσμένοι ἐν πολέμῳ.*

3) Scal. *μειωθέντες.*

4) Lege *ἀναδιδράσκειν.* Cf. Scal. p. 19, 15.

5) Scal. p. 55, 17: 'manifesto legendum *daliuum*; sinceriora vestigia apud eundem scriptorem (37, 12) in illo *dauus* : *ἄφρων, ἄπειρος*; *daliuus* enim legendum.' *Dauus* saepius apud Terentium.

6) Alias *inebrum.* Interpretamenti emendationes (Goetz in app. cr.) incertae; scripturae maxime respondet *πρᾶγμά τι ὡς ἐπὶ βλάβης.* Pseudo-Phil. 61, 22 *enibra* : *ἐναντία.*

7) De lemmatis forma cf. Loewe gl. nom. p. 248.

8) Scal. p. 74, 34: 'glossarii auctor non bene legit, unde accepit *ipsipti* : *αὐτοί.* Legendum enim *ipsipe.* Sed et *ipsipte* potest legi. Ita enim vitiose ut pronuntiabant et scribebant veteres . . .' Mueller vult *ipsippe.* Cf. etiam Neue (Formenlehre d. lat. Spr. II 203). Pseudo-Phil. 91, 35 *iosipse* : *αὐτός*, de qua Loewe in act. soc. phil. Lips. II 471 sq.

9) Mueller: 'quod *aduores* quin ex hoc *aduoses* corruptum sit non dubito.' Tamen concedendum est bonam formam esse *aduores.*

ad bA:

23) Pseudo-Phil. 82, 6 infendere[1]) : *ἐπιτεῖναι, ἐνκληματίσαι* = Paul. 112, 4 infindere : intercipere, interponere.

24) Pseudo-Phil. 208, 6 uibrucae[2]) : *τρίχες ῥ[ε]ινός* = Paul. 370, 1 uibrissae : pili in naribus hominum . . .

25) Pseudo-Phil. 103, 14 colla[3]) : *θυσία ἱερέων* = Paul. 37, 13 collatiuum sacrificium dicitur, quod ex collatione offertur.

26) Pseudo-Phil. 34, 33 gloditatus[4]) : *ἡδύς* = Paul. 98, 10 glucidatum : suaue et iucundum. Graeci enim *γλυκύν* dulcem dicunt.

27) Pseudo-Phil. 91, 66 ipsiplices : *αὐτόπτυκτα φύλλα* = Paul. 105, 14 ipsullices[5]) : bracteae in uirilem muliebremque speciem expressae.

28) Pseudo-Phil. 13, 49 aclassi[6]) : *λώματα* = Paul. 20, 11 aclassis : tunica ab humeris non consuta.

29) Pseudo-Phil. 17, 20 ancodata[7]) : *περιορασθεῖσα* = Paul. 11, 12 ancunulentae feminae menstruo tempore appellantur; unde trahitur inquinamentum.

30) Pseudo-Phil. 84, 49 inpenetrabile : *ἀδύνατον, ὅπου τις οὐκ ἄφιετε*[8]) *εἰσελθεῖν, ἀνόδευτον* = Paul. 109, 9 inpenetrale : cuius ultimum penetrale intrare non licet.

1) Scal. 73, 35: 'lege *infindere*. Metaphora a surculis, qui infissis truncis arborum inseruntur. Quod eleganter vertitur *ἐνκληματίσαι; κλῆμα*: surculus, sarmentum.' Sed aliud est rimam efficere in trunco (= infindere), aliud rimae effectae vel trunco infisso surculum inserere. Itaque cum Pseudo-Philoxeni formam probo, tum scribo *infendere* apud Paulum cum Forcellino; item pro *intercipere* conicio *intericere*. Ceterum Pseudo-Philoxeni glossa disiungenda mihi videtur in duas *infendere* : *ἐνκληματίσαι* et *intendere* : *ἐπιτεῖναι*; cf. Cyrill. 311, 42 *ἐπιτείνω* : *intendo, intento*. Certe Pauli locus, qualis nunc legitur, satis lubricus est.

2) Goetz in app. cr. '*uibrissae* ut videtur c' (= Scal.). Sed Scal. in cast. p. 214, 15 nihil nisi glossae formam affert hanc *uibrucae* : *τρίχες ῥινός*.

3) Haec glossa videtur mere latina fuisse et restituenda hoc modo *collatiuum sacrificium* (= *θυσία*) : *ἱερεῖον*. Aliter Goetz in comment. Wölfflin. p. 128.

4) Scal. p. 67, 29 *glocidatus*. Alias *clocidatus*. De Varronis loco, qui est in libro d. L. L. scripto VII 107 cf. quae Forcell. sub Candatus et Spengel in editione.

5) Scal. p. 74, 39 apud Paulum restituere vult *ipsiplices* ex auctoritate glossarii. Cui non assentitur Mueller.

6) Scal. p. 4, 22 *acclassis*.

7) Scal. p. 19, 7: 'perperam in glossario *ancodata* : *περιορασθεῖσα*. Manifesto legendum *ancunulenta*.'

8) Steph. *ἀφίεται*; puto *ἐφίεται*. Quae glossa videtur mihi legenda

§ 4. De lemmatis rarissime occurrentibus praeter Festi et Pseudo-Philoxeni locos.

Pergo nunc ad seriem glossarum earum, quae praetermissis Festi et Pseudo-Philoxeni locis rarissime occurrunt. Afferentur autem eodem ordine, quo in § 3 usus sum. Sunt hae:

ad aB:

1) Pseudo-Phil. 166, 44 quasat[1]) : ὅταν φωνεῖ βάτραχος = Fest. 258, 27 quaxare ranae dicuntur, cum uocem mittunt.

ad aA:

2) Pseudo-Phil. 34, 30 gluttit : κροκκα[2]) ὄρνις = Paul. 98, 6 gluttire et glocidare gallinarum proprium est, cum ouis incubiturae sunt.

3) Pseudo-Phil. 176, 49 sacrim<a> : ἀπαρχὴ γλεύκους = Fest. 318, 23 sacrima est, ut . . . et Cloatius dicunt, mustum inditum in amphoram Meditrinalibus sacrifici causa pro uineis uasisque et uino, quae quasi sacra ea re fiunt: quod Libero fit, ut praemetium[3]) quod Cereri.

4) Pseudo-Phil. 29, 7 beluius[4]) : θηρίου ὅμοιος = Paul. 34, 13 belutus : bestiae similis.

5) Pseudo-Phil. 56, 56 duonus : ἀγαθός = Paul. 67, 1 duonum : bonum.

6) Pseudo-Phil. 34, 31 gluma[5]) : λεπυρὸν κριθῆς = Paul. 98, 8 gluma : hordei tunicula; dictum quod glubatur id granum . . .

7) Pseudo-Phil. 191, 30 subulo : αὐλητής = Fest. 309, 2 subulo[6]) Tusce tibicen dicitur. Itaque Ennius: 'subulo quondam marinas propter adstabat plagas.'

8) Pseudo-Phil. 23, 33 artitus : πάντεχνος δωδαλος[7]) = Paul. 20, 14 artitus : bonis instructus artibus.

esse *inpenetrabile* : *ἀδύνατον* (?) et *inpenetrabile* : *ὅπου τις οὐκ ἐφίεται εἰσελθεῖν*, *ἀνόδευτον*. Atque posterioris glossae verba *ὅπου τις οὐκ ἐφίεται εἰσελθεῖν* facta videntur esse ad exemplar eorum, quae Paulus exhibet. Itaque fortasse apud Pseudo-Philoxenum restitui potest *inpenetrale,* si quidem omnino viget hoc vocabulum; aut etiam apud Paulum *inpenetrabile* legendum. Sane haec sunt lubrica.

1) Scal. p. 157, 29 invenit *quassat*; lege *quaxat*. Gloss. Mon. *quaxat* : *rana clamat* (teste De-Vito). Alias *coaxare*.

2) *κροκᾷ* Vulc. Pseudo-Phil. 34, 35 *gluttit* : *ἐγκαμπτει*. Muell. *ἐγκάπτει*.

3) Cf. p. 40 Praemetium.

4) Lege *belutus*.

5) Varro d. R. R. I 48, 1—2; idem apud Nonium p. 118 (M.).

6) Varro d. L. L. VII 35.

7) Steph. *δαίδαλος*. Cf. Plaut. Asin. 565.

9) Pseudo-Phil. 31, 22 bruttiani : o⟨ἱ⟩ *δουλικὰς τάξεις χρεωστοῦντες* = Paul. 31, 12 brutiani[1]) dicebantur, qui officia seruilia magistratibus praestabant...

ad bB:

10) Pseudo-Phil. 17, 34 angla[2]) : *ογεστραπεζαι τρίγωνοι ὡς νεβιος* = Paul. 11, 11 anclabris mensa : ministeriis diuinis aptata. Vasa quoque in ea, quibus sacerdotes utuntur, anclabria appellabantur.

11) Pseudo-Phil. 37, 23 damium : *θυσίαι*[3]) *ὑπαίθριον γινόμενον* = Paul. 68, 8 damium sacrificium, quod fiebat in operto in honorem Bonae Deae, dictum a contrarietate, quod minime esset *δαμόσιον*, id est publicum...

ad bA:

12) Pseudo-Phil. 72, 64 forba[4]) : *θυσία εγκυμωνος βοός* = Paul. 83, 13 fordicidis boues fordae, id est grauidae, immolabantur, dictae a fetu.

13) Pseudo-Phil. 76, 41 ignia : *νοτία, φυκίασις*[5]) = Paul. 105, 8 ignia : uitium uasorum fictilium.

14) Pseudo-Phil. 126, 19 magnus socer : uxorum aui = Paul. 126, 14 magnum socerum appellat uir uxoris suae auum.

15) Pseudo-Phil. 157, 4 praemetium : *ἡ πρὸ θερισμοῦ Δημήτρας θυσία* = Fest. 234, 23 praemetium dicitur, quod ante metitur quasi praemessum praelibationis causa. Fest. 318, 23 sacrima.... quod Libero fit, ut praemetium, quod Cereri. (Cf. p. 39 sacrima.)

1) Cato apud Gell. N. A. X 3, 17—19.

2) Mueller restituere voluit *anclabres* : *τράπεζαι τρίγωνοι ὡς Ναίβιος*. Sed haec glossa sine dubio mere latina fuit (Loewe prodr. p. 191), quia *anclabris* est adiectivum; quare legenda *anclabres mensae* : *τράπεζαι τρίγωνοι* sc. male tractato Festi loco.

3) Iunius *θυσία ἀνυπαίθριος γινομένη*. Cf. Pseudo-Phil. 37, 26. Contra Scaligerum (p. 55, 21) est Placidi glossa (Deuerl. p. 30) *damium sacrificium, quod in operto fit, quod Bonae Deae mulieres faciunt*, quae non ad Festum vel Verrium redit, sed ad eundem fontem, quo Verrius usus est. Item Plac. p. 33 *damium* : *Bonae Deae sacrum*. Quibus ex Placidi locis arbitror 1) *damium* esse adiectivum, 2) Pseudo-Philoxeni glossam fuisse mere latinam atque restituendam sic: *damium sacrificium* etc.

4) Scal. *fordicidia*. Steph. *ἐγκύμονος*. Varro d. L. L. VI 15: *fordicidia a fordis bubus. Bos forda, quae fert in uentre. Quod eo die publice immolabantur boues praegnantes in curiis compluris, a fordis caedendis fordicidia dicta.*

5) Cf. Pseudo-Phil. 79, 44.

§ 5. De lemmatis etiam in aliis glossariis extantibus.

Tractantur nunc glossae eae, quarum lemmata etiam in aliis glossariis occurrunt, non quidem omnes sed exquisitiores tantum hae:

ad B:

1) Pseudo-Phil. 13, 9 acceres[1]) : *αξειν ἱεροφάντου ὡς Πλαῦτος* = Paul. 10, 1 acieris : securis aerea, qua in sacrificiis utebantur sacerdotes.

2) Pseudo-Phil. 31, 42 burrum[2]) : *ξανθὸν πυῤῥόν* = Paul. 31, 6 burrum dicebant antiqui, quod nunc dicimus rufum sq.

3) Pseudo-Phil. 102, 11 clira[3]) : *ομοια* = Paul. 55, 9 cluras simias a clunibus tritis dictas existimant.

ad A:

4) Pseudo-Phil. 11, 16 agea[4]) : *παρὰ Ἐννίῳ πάροδος πλοίου* = Paul. 10, 10 agea uia in naui dicta, quod in ea maxime quaeque res agi solet.

5) Pseudo-Phil. 12, 1 aemidus : *πεφυσημένος* = Paul. 24, 4 aemidum : tumidum. (Cf. II p. 565, 12.)

6) Pseudo-Phil. 16, 23 amicinus : *ἀσκοῦ στόμα* = Paul. 15, 2 amicinum : utris pediculum, ex quo uinum defunditur.

7) Pseudo-Phil. 16, 3 ambactus : *δοῦλος μισθωτὸς ὡς Ἔννιος* = Paul. 4, 13 ambactus[5]) apud Ennium lingua gallica seruus appellatur.

8) Pseudo-Phil. 16, 56 anglare[6]) : *ἀντλῆσαι* = Paul. 11, 10 anclare : haurire a graeco descendit. Livius: ‘florem anclabant Liberi ex carchesiis.’

9) Pseudo-Phil. 17, 19 ancrae : *ἄγκεα, αὐλῶνες* = Paul. 11, 13 ancras[7]) : conualles uel arborum interualla.

10) Pseudo-Phil. 29, 50 bilbit[8]) : *βομβύζει* = Paul. 34, 5 bilbit

1) Scal. 4, 19 affert *acieris* : *ἀξίνη ἱεροφάντου ὡς Πλαῦτος*; quam formam *acieris* probavit Buecheler in Mus. Rhen. 1891 p. 233 sq. Cf. quae Loewe in prodr. p. 257.

2) Alias *birrum*. Loewe prodr. p. 74. Cf. Pseudo-Phil. 28, 33.

3) Loewe gl. nom. p. 67 sq. restituit *clura* : *simia* probavitque formam *clura*, quam apud Paulum substitui pro *clunas*. Pseudo-Phil. 102, 14 *clura* : *πίθηκος*.

4) Ita Scal. p. 11, 28 restituit Pseudo-Phil. 11, 16 et 11, 47.

5) Scal. p. 15, 22.

6) Phil. 17, 21 *ancl[e]at* : *ἀρύεται*.

7) Ita cum Muellero scripsi.

8) Cf. Pseudo-Phil. 29, 38 *bilibit* : *ἐπισκιασμὸς φωνῆς*. Iam compluribus huius disputationis locis occurrebant glossae apud Pseudo-Philoxenum bis traditae, quarum alteras (e. g. 56, 6 *dubius*, 186, 6 *solox* al.)

factum est a similitudine sonitus, qui fit in uase. Naeuius: 'bilbit amphora inquit.'

11) Pseudo-Phil. 95, 20 cacula : δοῦλος στρατιώτου = Paul. 45, 16 cacula : seruus militis. Plautus ...

12) Pseudo-Phil. 96, 32 calcar[1]) : θυσία[ι] ἀπαρχῶν οἴνου = Paul. 65, 13 calpar : uinum nouum, quod ex dolio demitur sacrificii causa, antequam gustetur ...

13) Pseudo-Phil. 118, 46 culigna : σκεῦος οἴνου = Paul. 65, 2 culigna : uas uinarium ...

14) Pseudo-Phil. 119, 57 currilis[2]) aequus : σὺν ἅρματι ἀγωνιζόμενος ἵππος = Paul. 49, 14 curules equi : quadrigales.

15) Pseudo-Phil. 62,14 epicrocum : ἐσθῆτος εἶδος[3]) [ἢ σχοινίου ἀρμένου κατώτερον] = Paul. 82, 13 epicrocum : genus amiculi croco tinctum tenue et pellucidum.

16) Pseudo-Phil. 72, 36 flator : αὐλητής = Paul. 89, 7 flator : tibicen.

17) Pseudo-Phil. 68, 12 hallus : ποδὸς μέγας δάκτυλος = Paul. 102, 3 hallus : pollex pedis scandens super proximum...

18) Pseudo-Phil. 86, 53 inseque : εἰπέ = Paul. 111, 12 inseque apud Ennium[4]) dic.

19) Pseudo-Phil. 122, 24 lepistra[5]) : εἶδος χύτρας = Paul. 115, 6 lepista : genus uasis aquarii.

ex Festo fluxisse probabile fecimus, alterae unde originem duxerint nescimus. Ex Festo autem certo non petitam esse Pseudo-Phil. 29, 38 *bilibit* : ἐπισκιασμὸς φωνῆς (= *adumbratio uocis aquae scaturientis*) ostendit Loewe in prodr. p. 191; quae quin ad eundem Naevii locum spectet ad quem Pseudo-Phil. 29, 50 *bilbit* : βομβύζει tamen non dubito. Vnde verisimile videtur esse alteras talium glossarum bis extantium suam vim et auctoritatem habere neque quidquam cum Festo commune nisi quod ad eundem scriptoris locum redeunt. Confirmatur fortasse haec sententia paucis glossis exquisitioribus, quae apud Pseudo-Philoxenum pristinam formam servaverunt, apud Festum (Paulum) exhibent simpliciorem. Huc spectant e. g. tales: Pseudo-Phil. 48, 24 *diesuatur* : βοηθεῖται (Scal. 56, 29 *desiuatur*, Muell. ad Paul. 72, 18 οὐ βοηθεῖται). Paul. 72, 18 *desiuare* : *desinere*. — Pseudo-Phil. 17, 2 *anaxant* : ὀνομάζουσιν. Paul. 8, 9 *axare* : *nominare* (Goetz in ind. Ien. 1887 p. III probavit formam *anxare*).

1) Scal. p. 37, 12 *calpar*; Pseudo-Phil. 96, 34 *calpar* : οἶνος ἐν θυσίᾳ.

2) Lege *currulis equus*, apud Paulum *currules*.

3) Cf. Pseudo-Phil. 62, 16 *epicrocum* : τηλαυγές (ita Steph.).

4) Enni locus apud Gell. N. A. XVIII 9, 3 et Livi Andronici apud eundem XVIII 9, 5.

5) Lege *lepista*.

20) Pseudo-Phil. 120, 23 laeuir : ἀνδράδελφος = Paul. 115, 12 leuir est uxori meae frater meus.

21) Pseudo-Phil. 129, 24 metellus : μίσθιος = Fest. 146, 30 metelli dicuntur in lege militari quasi mercenarii....

22) Pseudo-Phil. 150, 10 petumen : κτήνους ἕλκος = Fest. 209, 1 petimina in humeris iumentorum ulcera...

23) Pseudo-Phil. 153, 55 porta [1]) : τὸ μεταξὺ τῶν αὐλάκων ὕψος = Fest. 238, 7 porcas, quae inter duos sulcos fiunt, ait Varro dici, quod porrigant (?) frumentum.

24) Pseudo-Phil. 191, 47 sucerda : χοιρ⟨ε⟩ία κόπρος = Fest. 302, 8 sucerdae stercus suillum dicitur...

§ 6. De reliquis glossis.

Relinquitur denique ingens copia earum glossarum, quarum lemmata aut saepius aut saepissime occurrunt et in glossariis et apud scriptores. Quas omnes tractare minime mihi est propositum sed certiores tantum has:

ad B:

1) Pseudo-Phil. 18, 33 aplustra [2]) : πτερὸν πλοίου ὡς Ἔννιος = Paul. 10, 2 aplustria : nauium ornamenta....

2) Pseudo-Phil. 103, 11 colector : ὀρνιθοκρίτης [3]) = Paul. 60, 4 coniector : interpres somniorum.

3) Pseudo-Phil. 53, 14 diouolares : δυοβουλου [4]) = Paul. 74, 6 diobolares meretrices dicuntur, quae duobus obolis ducuntur.

4) Pseudo-Phil. 48, 28 dianunt : διδωσιν [5]) = Paul. 68, 12 danunt : dant.

5) Pseudo-Phil. 90, 49 intit [6]) : incipit [: ἄρχεται] = Paul. 112, 9 infit : incipit...

1) Scal. p. 137, 36 *porca*. Cf. Pseudo-Phil. 154, 3 *porca* : τὸ μεταξὺ τῶν κυμάτων — Fest. 218, 16 *porcae appellantur rari sulci, qui ducuntur aquae deriuandae gratia*... Varro de L. L. V 39.

2) Pseudo-Phil. 19, 43 *aplustra* : ἀσφαλτος καὶ τὸ ἄκρον τῆς πρώ⟨ρ⟩ας. Puto *aplustra* : ἄφλαστον (Scal.) et *aplustra* : τὸ ἄκρον τῆς πρώρας (?). Goetz in ind. Ien. 1885/86 § 6.

3) Scal. *coniector* : ὀνειροκρίτης; Pseudo-Phil. 109, 30 *coniector* : ὀν⟨ε⟩ιροκρίτης.

4) *diobolares* : διωβολιαῖοι.

5) *danunt* (Scal.) : διδόασιν. Pseudo-Phil. 37, 41 = 37, 45 *dantur* : διδωσιν; lege *danunt* (?) : διδόασιν.

6) *infit* margo cod. Paris. lat. 7652; cf. Pseudo-Phil. 82, 44; 82, 45 *infit* : ἄρχει λέγειν = Placid. 55, 27 *infit* : *incipit fari*.

6) Pseudo-Phil. 148, 2 perpetrat : *κατορθοῖ* = Fest. 217, 29 perpetrat : peragit, perficit . . .

ad A:

7) Pseudo-Phil. 21, 22 antide [1]) : *κόμαι αἱ διὰ τῶν κροτάφων κρεμάμεναι γυνεκειαι* = Paul. 17, 5 antiae : muliebres capilli demissi in frontem . . .

8) Pseudo-Phil. 20, 37 aquilum : *μέλαν[ον] ὡ⟨ς⟩ Λουκίλλιος* [2]) = Paul. 22, 2 aquilus color est fuscus et subniger . . .

9) Pseudo-Phil. 16, 29 ammentum : *ἅμμα λογχης, λῶρόν ἐστιν, ὅθεν* [3]) *κατέχεται ἡ λόγχη* = Paul. 12, 1 amenta, quibus, ut mitti possint, uinciuntur iacula . . .

10) Pseudo-Phil. 16, 24 amitta [4]) : *θεῖα πρὸς πατρός* = Paul. 14, 4 amita : patris mei soror . . .

11) Pseudo-Phil. 21, 12 antes : *οἱ τον* [5]) *ἀμπέλων στίχοι* = Paul. 16, 15 antes sunt extremi ordines uinearum . . .

12) Pseudo-Phil. 16, 26 amitet [6]) : *ιξευτικον κάλαμοι* = Paul. 21, 5 amites : perticae aucupales.

13) Pseudo-Phil. 19, 15 argiarra [7]) : *ἀφιδρύματα* = Paul. 15, 12 argeos uocabant scirpeas effigies, quae per uirgines Vestales annis singulis iaciebantur in Tiberim.

14) Pseudo-Phil. 31, 52 buteo : *ὀρνέου εἶδος* = Paul. 32, 7 buteo : genus auis . . . .

15) Pseudo-Phil. 28, 7 ballo [8]) : *θηρίον θαλάσσιον* = Paul. 30, 8 balaenam : beluam marinam . . .

16) Pseudo-Phil. 98, 29 Catamitus : *Γανυμήδης* = Paul. 44, 6 Catamitum pro Ganymede dixerunt . . .

17) Pseudo-Phil. 95, 42 calatores [9]) : *δοῦλοι δημόσιοι, περίπολοι* = Paul. 38, 13 calatores dicebantur serui *ἀπὸ τοῦ καλεῖν* . . .

18) Pseudo-Phil. 107, 25 conciliatrix : *προξενήτρια* = Paul. 62, 13 conciliatrix dicitur, quae uiris conciliat uxores et uxoribus uiros.

1) Scal. 20, 23 *antiae* — *γυναικεῖαι.*
2) Ita legit Scal. p. 22, 26.
3) Cf. p. 15 adn.
4) Lege *amita.*
5) Steph. *τῶν*; cf. p. 15.
6) Scal. p. 17, 28 invenit *amites* : *στάλικες, ἰξευτικοὶ κάλαμοι.* Pseud.-Phil. 16, 25 *amites* : *στάλικες.*
7) Scal. p. 23, 11 legere vult *argei ara.* Mueller (ad Paul. 19, 10) putat *arra* corruptum esse ex *XXVII.* Cf. Varro d. L. L. VII 44.
8) Scal. *balaena.*
9) Cf. Pseudo-Phil. 96, 3 et 96, 1.

19) Pseudo-Phil. 118, 15 crumina : *θύλακος* = Paul. 60, 10 crumina : sacculi genus ...

20) Pseudo-Phil. 58, 6 eccer : *κατὰ τῆς Δήμητρος* = Paul. 78, 5 eccere iurisiurandi est, ac si dicatur per Cererem ut ecastor ...

21) Pseudo-Phil. 59, 42 elix [1]) : *ἀναπνοὴ ὀχετοῦ* = Paul. 76, 2 elices : sulci aquarii, per quos aqua collecta educitur e liris.

22) Pseudo-Phil. 33, 32 gerrae : *πλεκτά τινα* = Paul. 94, 4 gerrae : crates uimineae. Athenienses cum Syracusas obsiderent et crebro gerras poscerent, irridentes Siculi gerras clamitabant. Vnde factum est, ut gerrae pro nugis [2]) et contemptu dicantur.

23) Pseudo-Phil. 34, 29 glos : *ἡ τοῦ ἀνδρὸς ἀδελφὴ γάλως παρὰ Πλαύτῳ* [3]) = Paul. 98, 5 glos : uiri soror, a graeco *γαλόως*.

24) Pseudo-Phil. 34, 54 Gradibus [4]) : *τακτικὸς Ἄρης* = Paul. 97, 7 Gradiuus Mars appellatus est a gradiendo in bello ultro citroque ...

25) Pseudo-Phil. 78, 1 immusulus [5]) : *εἶδος ὀρνέου* = Paul. 112, 3 immusulus : auis genus, quem alii regulum, alii ossifragam dicunt.

26) Pseudo-Phil. 89, 57 intergeries [6]) paries : *τυχος ὁ δύο κτήσεις διορίζων* = Paul. 110, 21 intergeriui parietes dicuntur, qui inter confines struuntur et quasi intergeruntur.

27) Pseudo-Phil. 82, 60 infulae : *στέμματα* = Paul. 113, 1 infulae sunt filamenta lanea, quibus sacerdotes et hostiae templaque uelantur.

1) Cf. Pseudo-Phil. 68, 5 et 68, 27.

2) Pseudo-Phil. 33, 27 *gerra* : *οὐδαμινός*.

3) Steph. puncto disiungens *ἀδελφή* et *γάλως* legendum putat *glos* : *ἡ ἀνδρος ἀδελφή* et *glos* : *γάλως παρὰ Πλαύτῳ* (ita legit Scalig. p. 67, 31; cod. *πλευτω*). Cf. Pseudo-Phil. 34, 32 *glumea* : *χλωρας ἀδελφὴ γαμετὴ ὡς Πλαῦτος*, cuius lemma ex glossa antecedenti huc aberravit; eodem spectare videtur *χλωρας*, nisi forte corruptum est ex *glos*, id quod Iunius recte adiecit. Cyrill. 261, 26 *γαμετὴ τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ ἀνδρός* : *glos*; idem 225, 21 *ἀνδρὸς ἀδελφή* : *glos*.

4) Steph. *Gradiuus*.

5) Pseudo-Phil. 81, 25 *inemistulus* (sc. *immusulus*) : *ὄρνεον βασιλικόν, ὄρνις βασιλικός*. Cf. Paul. 113, 16.

6) Scal. *intergeriuus*. Steph. *τοῖχος*.

28) Pseudo-Phil. 89, 25 intercapedo [1]) : *διάστημα χρόνου* = Paul. 111, 3 intercapedo : tempus interceptum, cum scilicet mora est ad capiendum.
29) Pseudo-Phil. 121, 9 lapidicina [2]) : *λατομία* = Paul. 118, 13 lapidicinae : ubi exciduntur lapides.
30) Pseudo-Phil. 130, 35 monile : *ὅρμος γυναικεῖος* = Fest. 138, 31 monile dictum est ornatus muliebris, qualem habuisse Eriphylam fabulae ferunt. Ex eo etiam equis praependens a collo ornamentum monile appellant.
31) Pseudo-Phil. 131, 16 Mulciber : *Ἥφαιστος, αμφιγυνεις* [3]) = Paul. 144, 2 Mulciber : Vulcanus . . .
32) Pseudo-Phil. 133, 28 nenia : *ἐπιτάφιος ωδη* [4]) = Fest. 161, 13 naenia est carmen, quod in funere... cantabatur...
33) Pseudo-Phil. 132, 32 nassa : *κύρτος ἁλιευτικός* = Fest. 169, 19 nassa est piscatorii uasis genus, quo cum intrauit piscis, exire non potest . . .
34) Pseudo-Phil. 154, 13 Portunus [5]) : *Παλαίμων, δαίμων θαλάσσιος* = Fest. 242, 1 Portunus, qui et Palaemon alio nomine dicitur, inter deos, qui mari praesunt, a Romanis colebatur.
35) Pseudo-Phil. 170, 43 reduuia [6]) : *παρωνυχίς* = Fest. 270, 17 rediuiam quidam, alii reluuium appellant, cum circa unguis cutis se resoluit, quia luere est soluere . . .
36) Pseudo-Phil. 182, 37 sequester : *μεσίτης, ἔντριτος, συνθηκοφύλαξ* = Fest. 339, 21 sequester is dicitur, qui inter aliquos, qui certant, medius, ut inter eos conuenerit, ita tenet depositum aliquid . . .
37) Pseudo-Phil. 186, 1 solitaurilia : *θυσία ἐκτος* [7]) *κριοῦ κταυρουκαι* = Fest. 293, 10 solitaurilia hostiarum trium diuersi generis immolationem significant, tauri, arietis, uerris . . .

Iam ad finem pervenimus. Totius autem quaestionis summa est haec: Scaligerum secuti *Πομπήϊον* illum, qui Pseudo-Phil. 8, 21 bis affertur, censuimus esse Pompeium Festum (§ 1). Vnde

1) Pseudo-Phil. 90, 6 *intercapedo* : *διάστασις* [α]*καιροῦ*.
2) Alias *lapicidina*.
3) Steph. *Ἀμφιγυήεις*. Ceterum hanc glossam compilatam esse concludo ex Pseudo-Phil. 130, 20 *Mulciber* : *ἀμφιγυνης* (sc. *Ἀμφιγυήεις*).
4) Steph. *ᾠδή*.
5) Portunus et Palaemon duo sunt apud Appul. metam. IV 31.
6) Lege *rediuia*; cod. *παρονυχις*.
7) Scal. p. 190, 38 restituit *θυσία ἐκ συος, κριοῦ καὶ ταύρου*.

rati sumus praeter unam hanc glossam etiam alias plures ex eodem fonte in Pseudo-Philoxeni collectionem fluxisse. Quae coniectura stabilita est rationibus duabus. Primum enim inde explicavimus complurium glossarum Pseudo-Philoxeniarum miram naturam, quam aliter explicare adhuc non potuimus (§ 2); deinde satis multae glossae cum eis, quas Festus et Paulus tradiderunt, ita congruunt, ut non sit, cur eas ex Festo petitas esse negemus (§§ 3—6). Sic multarum glossarum emendationi firma fundamenta nobis videmur iecisse.

INDEX LEMMATVM FESTINORVM.

DE

MEGALOPOLITARVM REBVS GESTIS

ET DE

COMMVNI ARCADVM REPVBLICA

SCRIPSIT

PAVLVS HERTHVM

CAP I.

DE REBVS A MEGALOPOLI CONDITA VSQVE AD EPAMINONDAE MORTEM GESTIS.

Iam satis inter omnes constat Spartiatas Tegeatis potissimum Croesi aetate sub Anaxandrida, Leontis filio et Aristone, Agasicle nato conciliatis principatum in Peloponneso obtinuisse, cum reliqui quoque Arcades in eandem foederis condicionem pervenissent tota regione in multos pagos haud arcto vinculo coniunctos divisa. Etsi non nunquam pars Arcadum velut Tegeatae temporibus proelii Dipaeensis et Mantinenses bello Peloponnesiaco a Lacedaemoniis dissenserunt, tamen rebus bene gestis potentia illorum permansit, atque Mantinea post pacem Antalcidae ab Agesipolide rege humillime depressa Spartiatae summum potentiae gradum ascenderunt. Sed cum quattuordecim annis post accidisset eis illa calamitas apud Leuctra, confestim in Peloponneso magna rerum commutatio facta est, atque Arcades quidem principatu Lacedaemoniorum usque ad illam aetatem praegravati tum occasionem sui liberandi non omiserunt. Quanquam initio Tegeatae et Mantinenses Archidamum secuti in fide manserunt optimatium potentia nondum sublata[1]), tamen postquam Athenas legati totius fere Graeciae convenerunt et pacis regiae ratione habita eis propositum fuit, singula oppida sui iuris esse, Mantinenses populi potentia crescente omnes curas et cogitationes in urbem denuo constituendam contulerunt. Hoc nuntio Spartam allato Agesilaus Mantineam profectus, ut consilium Lacedaemoniis invitis initum impediret, re infecta revertit, quo factum est, ut aliis Arcadibus adiuvantibus et Eleis tria talenta

1) Xenophon h. g. VI 4, 18 sq.: *προθύμως αὐτῷ συνεστρατεύοντο Τεγεᾶται. ἔτι γὰρ ἔζων οἱ περὶ Στάσιππον, λακωνίζοντες καὶ οὐκ ἐλάχιστον δυνάμενοι ἐν τῇ πόλει. ἐῤῥωμένως δὲ καὶ οἱ Μαντινεῖς ἐκ τῶν κωμῶν συνεστρατεύοντο· ἀριστοκρατούμενοι γὰρ ἐτύγχανον.*

praebentibus propositum assequerentur. Sic a Mantinea restituta seditio Arcadum initium cepit.

Eodem tempore viri exstiterunt, qui id spectabant, ut tota Arcadia in unam civitatem arcte coniungeretur, et quod plerique iussissent, singula oppida teneret, quod consilium a popularibus potissimum captum est, cum ei, qui resistebant, optimates essent, qui nisi auxilio Lacedaemoniorum potentiam suam retinere non potuerunt. Principes et auctores illius consilii teste Xenophonte Callibius et Proxenus Tegeatae fuerunt[1]), cum Diodorus Lycomedis Tegeatae mentionem faciat[2]), de patria errans, quia Lycomedes Mantinensis secundum alios locos molitor rerum novarum fuit.

Sed defuit oppidum, quod universae Arcadiae caput deligeretur, cum civitates ampliores adeo antiquitus inter se obtrectarent.

Quam ob rem ad novam urbem constituendam omni ferebantur cogitatione et undique Aseam, in oppidulum ad Alpheum superiorem haud longe a Laconicae finibus situm, copias contraxerunt, quia ab Oeo et Belmina castellis periculum imminebat.

Decem viri ab Arcadibus urbi condendae creati sunt, quae Spartiatis quasi propugnaculum totius regionis opponeretur: Lycomedes et Hopoleas Mantinenses, Timon et Proxenus Tegeatae (quorum alter paullo post mortem oppetivit), Cleolaus et Acriphius Clitorii, Eucampidas et Hieronymus Maenalii, Possicrates et Theoxenus Parrhasii.[3])

At inter Arcadas ipsos erat magnae molis novam urbem condere primum Tegeae controversiis ortis. Cum in senatu, cuius delecti '*θεαροί*' videntur fuisse, sententia inclinaret ad illud consilium reiciendum[4]), Callibius et Proxenus fiduciam in populo posuerunt — a quo senatu invito alterum oppido constituendo creatum esse apparet — atque arma ceperunt. Postquam in tumultu Proxenus occisus est a Stasippo aliisque, qui statum a patribus relictum non esse mutandum censebant, Callibius et ceteri Mantineam confugerunt, ubi populares gubernacula rei publicae iam tenuerunt, atque ab illis adiuti Tegeam invaserunt. Stasippi

1) Xenophon h. g. VI 5, 6: *τῶν Τεγεατῶν οἱ μὲν περὶ τὸν Καλλίβιον καὶ Πρόξενον συνῆγον ἐπὶ τὸ συνιέναι τε πᾶν τὸ Ἀρκαδικόν, καὶ ὅ,τι νικῴη ἐν τῷ κοινῷ τοῦτο κύριον εἶναι καὶ τῶν πόλεων.*

2) Diodorus XV 59: *Λυκομήδης* [*ὁ Τεγεάτης*] *ἔπεισε τοὺς Ἀρκάδας εἰς μίαν συντέλειαν ταχθῆναι* . . .

3) Pausanias VIII 27.

4) Xenophon ibidem: *οἱ δὲ περὶ τὸν Στάσιππον ἔπραττον ἐᾶν τε κατὰ χώραν τὴν πόλιν καὶ τοῖς πατρίοις νόμοις χρῆσθαι.*

fautores, cum Pallantium versus in templum Dianae confugissent, Tegeae capitis damnati sunt. Exsulum precibus Agesilaus adductus in Arcadiam irrupit (uno anno post pugnam Leuctricam iam peracto), quo facto Arcades ab Atheniensibus auxilio petito reiecti societatem cum Thebanis inierunt.[1])

Orchomenii et Heraeenses autem, qui sub optimatium dominatu fuerunt, a Spartiatis non defecerunt.

Agesilaus primum Eutaeam, Maenaliorum oppidulum, cuius cives paullo post Megalopolim transmigraverunt, ab Heraeensibus et Lepreatis adiutus cepit, atque etsi ii, qui arma ferre poterant, Aseam se contulerunt, tamen ceteris summa cum diligentia pepercit.

Interim Mantinenses Lycomede imperatore cum quinque milibus copiarum ex tota Arcadia foederata electarum, quae '*ἐπίλεκτοι*'[2]) vel '*ἐπάριτοι*' vocabantur, ab Orchomeno oppugnando repulsi et apud Elymiam vicum in angustias adducti Polytropo, Lacedaemoniorum duce, occiso victoriam reportaverunt. Media demum hieme Thebanis iam appropinquantibus Agesilaus Spartam revertit.

Dum haec geruntur, in ea parte Arcadiae, quae spectat inter meridiem et occasum solis ad Helissontis fluminis utramque ripam non longe a Laconicae finibus et vetustissimo Iovis Lycaei sacro Megalopolis (*Μεγάλη πόλις*) surgere coepit, atque is quidem locus delectus est, qui paribus spatiis a radicibus Eutresiorum et Maenaliorum montium et a confluente Helissontis et Alphei abest, ubi Maenalii et Parrhasii inter se contingunt et fertilissimi agri late porrigebantur, ut spes esset, fore ut Arcades, homines agrestes, eo facilius sedes eodem transferre animum inducerent. Pagi circumiacentes praeter linguam et sacra nullo arcto vinculo usque ad illam aetatem coniuncti se Spartiatis non semel in clientelam dicaverant.

Megalopolis condendae Orchomenii et Heraeenses omnino non participes fuerunt, quorum alteri eodem tempore Lacedaemoniorum auxilio in unam civitatem ex novem pagis videntur coniuncti esse, ut Megalopolitis insidias struerent.[3])

1) Diodorus XV 62. — Demosthenes pro Megalop. 12 p. 205: *ἔπεισαν ὑμᾶς* (Spartiatarum fautores velut Callistratus) *πάντων Πελοποννησίων ἐλθόντων ὡς ὑμᾶς καὶ μεθ' ὑμῶν ἀξιούντων ἐπὶ τοὺς Λακεδαιμονίους ἰέναι, τούτους μὴ προσδέξασθαι (καὶ διὰ τοῦθ', ὅπερ ἦν ὑπόλοιπον αὐτοῖς, ἐπὶ Θηβαίους ἦλθον)*. ibid. 19 p. 207.

2) Diod. XV 62.

3) Strabo quidem exposuit (p. 337): *ἐξ 'ἐννέα' δήμων Ἡραία ὑπὸ Κλεομβρότου ἢ ὑπὸ Κλεωνύμου 'συνῳκίσθη'*, sed Boeckhio auctore fortasse '*ἢ ὑπὸ Κλεομένους*' legendum est, qui successit Cleombroto

Praeterea incolae Phigaleae et pagorum longe remotorum, velut Pheneatae, Stymphalii, Psophidii, Cynaethenses, Thelpusii non commemorantur. Sed cum Aeneae Stymphalii, Arcadum imperatoris, nonnullis annis post mentio fiat[1]), fortasse pauci cives in novam urbem transmigraverunt; numerum quoque Tegeatarum, Mantinensium, Clitoriorum haud exiguum fuisse, qui communi consilio obtemperaverit, apparet ex illis decem viris urbi constituendae creatis.

Secundum Pausaniam[2]) quadraginta fere vici oppidulaque in novam urbem contributa sunt. Fuerunt decem Maenaliorum: Alea longe remota et a ceteris Mantinensium et Orchomeniorum finibus seiuncta, Pallantium, Eutaea, Sumateum, Asea[3]), Helisson, Oresthasium (vel Orestheum), Dipaea, Lycaea, '*Περαιθεῖς*', accesserunt sex Eutresiorum: Tricoloni, Zoetium, Charisia, Ptolederma, Cnausum, Parorea; totidem Aegytarum Aegys[4]), Scirtonium, Malaea[5]), Cromi[6]), Belmina[7]), Leuctrum.

Ex Parrhasia sedes transtulerunt Lycosurenses, Thocnenses, [Trapezuntii], Prosenses (*Προσεῖς*), cives Acacesii, Acontii, Macariae, Daseae.

Ex Cynuria transmigrarunt Gortynii, Alipherenses[8]), Lycoatae, habitatores Thisoae Lycaeo monti subiectae.

patri in pugna Leuctrica occiso et ab anno trecentesimo septuagesimo usque ad trecentesimum nonum regnavit: Diod. XX 29 *Κλεομένης ὁ τῶν Λακεδαιμονίων βασιλεὺς ἐτελεύτησεν ἄρξας ἔτη ἑξήκοντα καὶ μῆνας δέκα.* Cum Cleonymus, filius Cleomenis, nunquam regnaverit, Strabonem nomina confudisse verisimillimum est.

1) Xenophon VII 3, 1: *Αἰνέας Στυμφάλιος στρατηγὸς τῶν Ἀρκάδων γεγενημένος* . .

2) Pausanias VIII 27.

3) Sic Curtio auctore pro '*Ἰασαία*' legendum est.

4) Si cum Curtio lacunam supplemus: *παρὰ Αἰγυτῶν* '*Αἶγυς καὶ*' *Σκιρτώνιον* . .

5) Vel potius '*Μαλέα*'; regio est *Μαλεᾶτις* Xenoph. VI 5, 24 *ἐπὶ Λεύκτρῳ ὑπὲρ τῆς Μαλεάτιδος.*

6) *Κρῶμνος* Xenoph. VII 4, 20, *ἡ Κρωμῖτις* Paus. VIII 34.

7) *Βλένινα* falsa lectio est. Belbina: Plut. v. Cleom. IV *Βέλβινα*, Livius XXXVIII 34 ager Belbinates. Sicut in Tegeatide Caryatarum et Oeatarum pagi fuerunt, Caryis a Spartiatis antiquitus perdomitis et Oeo capto, ita in parte Aegytidis non subacta 'Belminam' pagum relictum esse verisimile est. (Curtius.)

8) Livius XXXII 5: Aliphera . . una ex iis, quae ad condendam Megalen polin ex concilio Arcadum contributae forent. — Etiam insequenti tempore una cum Gortyne, Dipoena, Thisoa, Methydrio, Teuthide, Calliis, Helissonte partem incolarum retinuit Pausanias VIII 27, 7.

Orchomenii porro impedire non potuerunt, quominus Thisoa, Methydrio, Teuthide, ex oppidulis antiquitus stipendiariis factis, pars incolarum emigraret.

Nec minus Tripolis, quae dicitur, Calliae, Dipoena, Nonacris desertae fiebant.[1])

Tali modo fines illorum vicorum et oppidulorum tum novae urbi addicti sunt et Megalopolitim regionem postea effecerunt, quorum incolae dicto audientes fuerunt Lycoatis, Tricolonensibus, Lycosurensibus, Trapezuntiis exceptis, qui partim ex agris demigrare coacti sunt, partim, velut Trapezuntii, ab Arcadibus odio inflammatis perierunt, quorum pars Trapezuntem Ponticam effugisse dicitur.

Lycosurensibus, etsi recusaverunt, ne sedes transferrent, tamen a ceteris vetustate et sanctitate oppidi adductis — in eo enim erat Cereris et Proserpinae '*Δεσποίνης*' celeberrimum fanum —, venia data est. Sic patria incolis concessa etiamtum, cum Pausanias oppidum visit, nondum desertum desolatumque fuit.[2]) Sed partem oppidanorum Megalopolim transmigrasse vel inde apparet, quod Leocydes, Lydiadae tyranni temporibus Megalopolitarum dux, ex Arcesilao Lycosurensi prognatus fuit.[3])

Phigalenses, quorum in civitate constituenda mentio non fit, tamen cum Megalopolitis amicitia coniunctos fuisse ex loco Diodori nobis conicere licet, ubi exsules et optimates, postquam Heraea profecti cives imprudentes oppresserunt, Spartam se receperunt.[4])

Praeterea odium Phigalensium in Spartiatas antiquitus inveteratum fuit atque intima cum Oresthasiis amicitia coniuncti fuerunt, qui Megalopolim se contulerunt.[5])

1) De horum oppidulorum situ nihil omnino constat. Nonacris in Pheneatarum finibus sita alia videtur fuisse. Secundum Pausaniae enumerationem '*ἔχουσιν οἱ Μεγαλοπολῖται κώμας, Γόρτυνα, Διποίνας, Θεισόαν τὴν πρὸς Ὀρχομενῷ, Μεθύδριον, Τεῦθιν, Καλλιάς, Ἑλισσόντα*' aliqua verisimili ratione in interiore Arcadia sita Orchomeniisque finitima fuerunt.

2) Pausan. VIII 38 sq.

3) Pausan. VIII 10, 10.

4) Ceterum cum Sternio consentio, qui id post pugnam Leuctricam accidisse censet, cum a Curtio dissentiam, qui aliam Heraeam intellegendam esse censet atque clarissimam ad Alpheum sitam. Equidem enim vocem '*χωρίον ὀχυρόν*' ad tempus referam, quo Heraeensium fines in unam civitatem coaluerunt (370). (Diod. XV 40.)

5) Pausan. VIII 39.

Haud scio an eodem tempore statua Apollinis ex templo Bassarum donum Megalopolim translata sit.[1])

Accepta antiquitus opinio est paullo post pugnam Leuctricam Arcadas ab Epaminonda in sententiam Megalopolis condendae adductos et praesidii causa Pammenem Thebanum cum mille electis in Arcadiam missum esse; quin etiam Pausanias Epaminondam verum et proprium conditorem appellat.[2])

Sed Thebanos iam anno trecentesimo septuagesimo primo subsidium misisse incredibile est: quomodo enim fieri potuit, ut Atheniensium fidem insequenti anno implorarent, si iam proximo a Thebanis adiuti essent?

Fortasse Pammenes post reditum Epaminondae ex Laconica harmosta in Arcadia relictus est, quippe cum etiam uno anno ante proelium Mantinense Tegeae harmosta fuisset, nisi coniectura probabilior est, Pausaniam Pammenis post pugnam Mantinensem expeditionem a Diodoro commemoratam[3]) in illam aetatem transtulisse et confudisse totam rem.

Accedit etiam, quod Thebani sine dubio periculis ab Iasone Pheraeo imminentibus, qui Philippi Macedonis, ut ita dicam, antecessor erat, copias suas distrahere non potuerunt. Tyranno (uno anno post) interempto Thebanis ad res civitatum extra Isthmum sitarum animos attendere licuit; quanquam dubium est, num etiamtum statim in Peloponnesum incursionem facturi fuerint, nisi Arcades ab Atheniensibus destituti se illis quasi obtrusissent.

De tempore quo Megalopolis condita sit, veterum annales non consentiunt.

Xenophon Megalopolim constitutam vel potius civium nomen leviter tantummodo perstringit, cum res paullo ante proelium Mantinense gestas describit.[4]) Eo magis auctoritas tribuenda est his verbis iam supra allatis: '*τῶν Τεγεατῶν οἱ μὲν περὶ τὸν Καλλίβιον καὶ Πρόξενον συνῆγον ἐπὶ τὸ συνιέναι τε πᾶν τὸ Ἀρκαδικόν, καὶ ὅ,τι νικῴη ἐν τῷ κοινῷ, τοῦτο κύριον εἶναι καὶ τῶν πόλεων.* Consilium totius Arcadiae in unam civitatem coniungendae certe paullo post Leuctricam pugnam captum est ob eamque rem confestim Megalopolim aedificari coeptam esse apparet.

1) Pausan. VIII 30, 3: *ἄγαλμα Ἀπόλλωνος — ἐκομίσθη δὲ ἐκ τῆς Φιγαλέων συντέλεια ἐς κόσμον τῇ Μεγάλῃ πόλει. Τὸ δὲ χωρίον, ἔνθα τὸ ἄγαλμα ἵδρυτο ἐξ ἀρχῆς ὑπὸ Φιγαλέων, ὀνομάζεται Βᾶσσαι.*

2) Pausan. VIII 27.

3) Diodor. XV 94.

4) Xenophon VII 5, 5: *Μεγαλοπολῖται.*

Tempus accuratissime definit Pausanias, secundum quem urbs paucis mensibus post cladem Lacedaemoniorum Phrasiclide archonte secundo olympiadis centesimae secundae anno constituta est.[1])

Sequentem annum marmor Parium affert[2]), quem proxime ad veritatem accedere censeo.

Diodorus quadraginta vicorum Maenaliorum et Parrhasiorum Eutresiis, Cynuriis, Aegytis omissis mentionem facit[3]): qui situm urbis potissimum respicit. Parrhasii enim dextram, Maenalii sini-

1) Pausan. VIII 27, 8: *Φρασικλείδου μὲν Ἀθήνησιν ἄρχοντος, δευτέρῳ δὲ ἔτει τῆς ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος καὶ δευτέρας* (anno 371).

2) Liceat mihi ea quoque, quae Carolus Muellerus (fragm. h. G. I) supplevit, nunc proferre: [*ἀφ' οὗ ἡ ἐν Λεύκτροις μάχη ἐ*]*γένετο Θηβαίων καὶ Λακεδαιμονίων, ἣν ἐνίκων Θηβαῖοι, ἔτη* ΗΓΙΙ (est annus centesimus septimus ab anno ducentesimo sexagesimo quarto) *ἄρχοντος Ἀθήνησιν Φρασικλείδου. — Ἀφ' οὗ Στησίχορος ὁ Ἱμεραῖος ὁ δεύτερος ἐνίκησεν Ἀθήνησιν καὶ ᾠκίσθη Μεγάλη πόλι*[*ς ἐν Ἀρκαδίᾳ ἔτη* ΗΓΙ *ἄρχοντος Ἀθήνησιν Δυσκινήτου*]. cfr. etiam Chronicon Parium rec. J. Flach p. 32. (De Dyscineto archonte Paus. IV 27, 9: *κατῆλθον ἐς Πελοπόννησον οἱ Μεσσήνιοι καὶ ἀνεσώσαντο τὴν αὑτῶν . . . Δυσκινήτου μὲν Ἀθήνησιν ἄρχοντος, τρίτῳ δὲ ἔτει τῆς δευτέρας καὶ ἑκατοστῆς ὀλυμπιάδος.*)

Diodorus post cladem ad 'Mideam' (Maleam) acceptam Nausigene archonte urbem ab Arcadibus novos impetus veritis conditam esse memoriae prodidit triennio post pugnam Leuctricam (XV 72). Sed huic temporis definitioni magna auctoritas non tribuenda est, cum ille rerum scriptor persaepe in temporibus erret.

Quae Plutarchus in Pelopidae vita (cap. 24/25) exponit: *ἐν ἐκείνῃ τῇ στρατείᾳ πᾶσαν Ἀρκαδίαν εἰς μίαν δύναμιν συνέστησαν. τοῦ νόμου κελεύοντος ἐν τῷ πρώτῳ μηνὶ παραδοῦναι τὴν βοιωταρχίαν ἑτέροις ὃν Βουκάτιον ὀνομάζουσι, τέτταρας ὅλους προσεπεβάλοντο μῆνας, ἐν οἷς τὰ περὶ Μεσσήνην καὶ Ἀρκαδίαν καὶ τὴν Λακωνικὴν διῴκησαν*, ad Megalopolim conditam non referenda sunt atque ad communem Arcadum civitatem constitutam leviter tantummodo pertinent. Ceterum Plutarcho auctore haec res in annum trecentesimum undeseptuagesimum incidit, cum 'Bucatius' mensis 'Gamelioni' Attico vel Ianuarii et Februarii parti respondeat. Itaque coniecturam a nonnullis viris doctis factam, — initium aedificationis in annum trecentesimum septuagesimum primum incidisse et toto triennio urbem constitutam atque post illam stragem luctuosam ea, quae ad oppidum defendendum pertinuissent necdum plane parata fuissent, magna ex parte ad perfectionem esse perducta — violentam esse puto. Etiam his locis Megalopolis conditae auctores sunt Thebani, sicut apud Pausaniam, de qua re luculente egit E. v. Stern in libro, qui inscribitur 'die spartanische und thebanische Hegemonie vom Königsfrieden bis zur Schlacht bei Mantinea', unde ea argumenta, quae ad Arcadas urbis conditores pertinent, sumpsi.

3) Diod. XV 72.

stram ripam Helissontis incoluerunt, confinium utrorumque fuit in Oresthide regione, cuius in finibus fuit Oresthasium (Orestheum) Maenaliorum oppidulum.[1])

Accedit etiam quod Ladocea (Laodicium) Megalopolitarum suburbium in Oresthide sita erat.[2])

Situs urbis oblongam speciem videtur praebuisse atque circuitum quinquaginta stadia fuisse Polybius exponit[3]); moenia duobus stadiis Lacedaemonis circuitum superaverunt eiusdem quidem auctoris aetate. Megalopolim, etsi circuitus maior fuit, tamen et multitudine populi et spatio moenibus interiacenti Sparta inferiorem fuisse, oblonga specie ipsa demonstratur. Ceterum circuitus a Polybio commemoratus ad priora quoque tempora referendus est, urbe nondum a Cleomene diruta, cum idem minutionis post urbem restitutam mentionem non faciat.[4])

Praeterea praecepti ratio habita est etiam a Vitruvio dati, qui collocanda oppida esse non quadrata nec procurrentibus angulis, sed circuitionibus exposuit, ut hostis ex pluribus locis conspiceretur.[5])

Priusquam de Megalopolitarum rebus gestis exponam, liceat mihi de legibus et institutis universae Arcadum civitatis una cum urbe constitutae agere.

Ab ea aetate discrimen fuit inter civitates, quae in rebus interioribus sui iuris esse non desierunt (velut Tegeam, Mantineam, Clitorem) atque tantummodo res, quae ad totam regionem defendendam pertinebant, communi potestati subiecerunt, et inter Megalopolitim.

Nam Callibii et Proxeni consilia initio inita, ut singula oppida, ampliora quoque, amitterent omnem potestatem, ad finem non perducta sunt.

1) Thucydides V 64 *Ὀρέσθειον τῆς Μαιναλίας* Stephan. Byz. *Μεγάλη πόλις — πόλις Ἀρκαδίας, ἣν συνῴκισαν ἄνδρες Ἀρκάδες μετὰ τὰ Λευκτρικά· ἐκαλεῖτο δὲ κατὰ τὸ ἥμισυ μέρος Ὀρεστία ἀπὸ τῆς τοῦ Ὀρέστου παρουσίας. οἱ δὲ πολῖται Ὀρέστιοι καὶ Μεγαλοπολῖται.* Parrhasiorum igitur pars fuit vera ac propria Megalopolis.

2) *Λαοδίκιον τῆς Ὀρεσθίδος* (Thuc. IV 134). Pausanias VIII 44, 1 *κατὰ ταύτην τὴν ὁδὸν* (Megalopoli Pallantium et Tegeam versus) *Λαδόκειά σφισιν ὠνόμασται τὰ πρὸ τοῦ ἄστεως.* — Polybius II 51, 3 (55, 2) *ἐν τοῖς Λαδοκείοις καλουμένοις τῆς Μεγαλοπολίτιδος* — *'ἡ περὶ Λαδόκεια μάχη'* (in qua Cleomenes vicit).

3) Polybius IX 21.

4) Polybius V 93.

5) Vitruvius I 5. Curtius, Pelop. I p. 333.

Nomen universae Arcadum civitati inditum est 'τὸ κοινὸν τῶν Ἀρκάδων' vel 'τὸ Ἀρκαδικόν'[1]) vel 'οἱ Ἀρκάδες'.[2])

Summa potestas fuit penes conventum, qui ex delectis omnium civitatum foederatarum constabat et μύριοι vocabantur.

(Complures homines docti 'μυρίοι' suo sono enuntiandum esse censent, cum numerus sociatarum civitatum saepe mutaretur et contionem ex decem milibus civium in singulis civitatibus electorum constitisse vix credibile sit. Sed 'χίλιοι' quoque, quos in nonnullis oppidis invenimus, velut Rhegii, Cymae, Locris, numero non videntur definiti esse. Vox significat numerum omnium eorum quibus certam aetatem nanctis ius suffragii impertitum erat.[3]) Μύριοι igitur scribendum est.)

Ex locis Diodori[4]) et Harpocrationis[5]) illud concilium 'συνέδριον' et 'σύνοδον' quoque appellatum esse intellegitur, quod Nepos in Epaminondae vita[6]) 'conventum' vocat.

Primum dilucide conveniendi locus Megalopolis commemoratur in Demosthenis oratione de falsa legatione.[7])

Pausanias eos in Thersilium convenisse memoriae prodidit.[8])

Praeter legum lationem magistratuumque creationem habuerunt ius potestatemque de bello et pace decernendi[9]), societa-

1) τὸ Ἀρκάδων κοινόν Pausan. VIII 8, 10. Rangabé 959. τὸ Ἀρκαδικόν: Xenoph. VI 5, 11: Ὀρχομενίων οὐκ ἐθελόντων κοινωνεῖν τοῦ Ἀρκαδικοῦ. VI 5, 22: οἱ Ἀρκάδες στρατεύουσιν ἐπὶ τοὺς Ἡραιέας, ὅτι οὐκ ἤθελον τοῦ Ἀρκαδικοῦ μετέχειν. VII 1, 38: ἠλαττοῦτο τὸ Ἀρκαδικόν. VII 4, 12: Λασιῶνα συντελοῦντα εἰς τὸ Ἀρκαδικόν. VII 4, 33: οἱ ἄρχοντες φάσκοντες 'τοὺς Μαντινέας' λυμαίνεσθαι τὸ Ἀρκαδικόν. In his locis commune concilium (οἱ μύριοι) intellegendum est: VII 4, 35: οἱ τὰ κράτιστα τῇ Πελοποννήσῳ βουλευόμενοι ἔπεισαν τὸ κοινὸν Ἀρκάδων. VII 4, 38: παρέξειν εἰς τὸ κοινὸν τῶν Ἀρκάδων, ὁπόσους τις προσκαλοῖτο. VII 5, 1: ἀπηγγέλθη πρός τε τὸ κοινὸν τῶν Ἀρκάδων καὶ κατὰ πόλεις.

2) ἔδοξεν τοῖς Ἀρκάσιν in titulo a. 369 haud multum recentiore. Dittenberger Syll. I 99.

3) Xenophon VI 5, 12: 'οἱ ἐν τῇ στρατευσίμῳ ἡλικίᾳ οἰχόμενοι' εἰς τὸ Ἀρκαδικόν.

4) Diod. XV 59: Λυκομήδης ἔπεισε τοὺς Ἀρκάδας εἰς μίαν συντέλειαν ταχθῆναι καὶ κοινὴν ἔχειν σύνοδον συνεστῶσαν ἐξ ἀνδρῶν μυρίων.

5) Harpocration: Μύριοι ἐν Μεγάλῃ πόλει· Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Αἰσχίνου (de falsa legatione 11 p. 344). Συνέδριόν ἐστι κοινὸν Ἀρκάδων ἁπάντων, οὗ πολλάκις μνημονεύουσιν οἱ ἱστορικοί. Διείλεκται δὲ περὶ αὐτῶν καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ κοινῇ Ἀρκάδων πολιτείᾳ ἀρχόμενος τοῦ βιβλίου.

6) Cornel. Nepos, Epam. VI.

7) p. 344: ἐν τοῖς μυρίοις ἐν Μεγάλῃ πόλει.

8) Pausan. VIII 32, 1.

9) Diod. XV 59: τούτους (τοὺς μυρίους) ἐξουσίαν ἔχειν περὶ πολέ-

tem foedusque porro fieri iusserunt[1]) atque legatos miserunt et dederunt eis aditum conveniendi, ut ad concilium referrent.[2]) Praeterea de delictis in societatem Arcadicam admissis ab eis iudicatum est.[3])

In medio relinquendum est, num iam paullo post civitatem legibus constitutam praeter commune concilium senatus exstiterit, qualis in titulo Tegeae invento commemoratus est[4]): inter haec duo concilia eandem rationem intercessisse atque in aliis civitatibus inter senatum et comitia apparet. Principes senatus videntur '*δαμιοργοί*' fuisse.[5]) Ceterum de hoc titulo infra uberius tractabo.

Summus magistratus fuit '*στραταγός*' qui exercitui undique ex civitatibus foederatis coacto[6]) et quinque milibus electorum praeerat, qui '*ἐπάριτοι*' vocabantur exercitumque perpetuum efficiebant atque accipiebant initio stipendium; neque dubitandum est, quin '*ἐπίλεκτοι*' illi a Diodoro commemorati iidem sint.[7])

Apud Hesychium '*ἐπαρόητοι*' nobis occurrunt[8]), qui ab illis non distinguendi sunt atque fortasse per singulas civitates in pace custodes divisi et ad disciplinam conservandam destinati erant et ad imperia magistratuum exsequenda.

Praeterea a Xenophonte[9]) '*(ἐν τοῖς Ἀρκάσιν) ἄρχοντες*' commemorantur, quos eosdem atque '*δαμιοργούς*' illos fuisse Gilbertus[10])

μου καὶ εἰρήνης βουλεύεσθαι (proposita enim Callibii, Proxeni, Lycomedis aliqua ex parte ad verum perducta esse apparet).

1) Xenophon VII 4, 2: *Λυκομήδης πείθει τοὺς μυρίους πράττειν περὶ συμμαχίας πρὸς 'τοὺς Ἀθηναίους'*.

2) Xenophon VII 1, 38: *Ἀντίοχος* (una cum Pelopida Susam profectus) *ἀπήγγειλε πρὸς τοὺς μυρίους* .. VII 4, 35: *ἔπεισαν τὸ κοινὸν Ἀρκάδων πέμψαντας πρέσβεις*... Dem. d. f. l. p. 344: (*Αἰσχίνης*) *ἀπαγγέλλων* .. *λόγους, οὓς ἐν τοῖς μυρίοις ἐν Μεγάλῃ πόλει ὑπὲρ ὑμῶν ἔφη δεδημηγορηκέναι*.

3) Xenophon VII 4, 33: *οἱ ἄρχοντες φάσκοντες αὐτοὺς λυμαίνεσθαι τὸ Ἀρκαδικὸν ἀνεκαλοῦντο εἰς τοὺς μυρίους τοὺς προστάτας αὐτῶν. καὶ ἐπεὶ οὐχ ὑπήκουον, κατεδίκασαν αὐτῶν* (*τῶν Μαντινέων*).

4) Dittenberger, syll. 167. Cauer 444.

5) *ἔδοξεν τῇ βουλῇ τῶν Ἀρκάδων καὶ τοῖς μυρίοις* .. *δαμιοργοὶ οἵδε ἦσαν* (sequuntur nomina).

6) *τὸ Ἀρκαδικόν* Xenophon VI 5, 12.

7) Xenophon VII 4, 22. 33. 34. 36; 5, 3. Diod. XV 62. 67. *Λυκομήδης παραλαβὼν τοὺς καλουμένους ἐπιλέκτους ὄντας πεντακισχιλίους*.

8) *ἐπαρόητοι* .. *τάγμα Ἀρκαδικὸν μαχιμώτατον καὶ οἱ παρὰ Ἀρκάσι δημόσιοι φύλακες. ἐπ-ἀρόητοι*: vox derivanda est ab *ἄρος*, quod respondet usitato '*ὄφελος*'. Ceterum lectio in dubium vocatur. — *ἐπαρῖται* Steph. Byz. falso militum notam pro urbis nomine habens.

9) Xenophon VII 4, 33. 34. 36.

10) Gilbert, Staatsalterthümer II 134.

recte mihi videtur collegisse, cum ei 'δημιουργοί' et 'ἄρχοντες' in Achaeorum foedere promiscue commemorati ante oculos obversarentur.

Huc 'οἱ ἐν Ἀρκαδίᾳ προεστηκότες' quoque referendi sunt, quorum Demosthenes[1]) mentionem facit.

Sed ad res gestas redeamus. Postquam Thebani communi Arcadum civitate iam constituta et Megalopoli aedificari coepta autumno anni trecentesimi septuagesimi Epaminonda duce in Arcadiam advenerunt, Arcadibus, Argivis, Eleis in societatem armorum assumptis in Laconicam invaserunt. Spartiatarum dux in Oeo Sciritidis castello Ischolaus, cui clarissima Leonidae mors pro patria oppetita ante oculos versabatur, ab Arcadibus occisus castellumque expugnatum est.[2])

Eeodem tempore Leuctri, in Aegytidis oppidulo, Lacedaemoniorum praesidium relictum[3]) Eleis appropinquantibus se recepisse verisimile est.[4])

Dum ea geruntur, Caryatae, Sciritae, Sellasia a Spartiatis ad Arcadas defecerunt. Nec mirum; Caryas enim antiquitus Tegeatarum fuisse ex ipso nomine pagi Caryatarum et Photii testimonio intellegitur.[5])

Epaminondas, postquam Sparta non capta per totam regionem profectus in Arcadiam revertit, inde in Messeniam se contulit Messeniosque vindicavit in libertatem, Arcadibus Argivisque adiuvantibus.[6])

Messenia restituta, condita Megalopoli, Argivis in societatem assumptis Lacedaemonii in sempiterna obsidione teneri potuerunt, si inter illas civitates perpetuo pax et concordia constituta esset.[7])

1) Demosthenes d. f. legat 10 p. 344. Ceterum 'δημιουργοί' Thucydide auctore (V 47, 9) apud Mantinenses summi magistratus fuerunt, qui senatui videntur praefuisse.

2) Xenophon VI 5, 26. Οἰὸν τῆς Σκιρίτιδος Diod. XV 64. Σκίρος (Σκῖρος) Ἀρκαδίας κατοικία πλησίον Μαιναλέων καὶ Παῤῥασίων· οἱ κατοικοῦντες Σκιρῖται (Steph. Byz.) cf. Oeatae, pagus Tegeatarum.

3) Xenophon VI 5, 24: ἦν δὲ καὶ ἐπὶ Λεύκτρῳ ὑπὲρ τῆς Μαλεάτιδος ἄλλη φρουρά.

4) Ἠλεῖοι κατ' ἄλλους τόπους πεπταμένους διελθόντες. Diod. XV 64.

5) Photius p. 101: τὰς Καρύας Ἀρκάδων οὔσας ἀπετέμοντο Λακεδαιμόνιοι.

6) Diodorus XV 66; Pausanias IV 26, 27.

7) Polybius IV 32: ἐὰν δέ ποτε κίνησιν καὶ μετάστασιν σχῇ ταῦτα, μίαν ὁρῶ Μεσσηνίοις καὶ Μεγαλοπολίταις ἐλπίδα τοῦ δύνασθαι νέμεσθαι τὴν αὑτῶν χώραν τὸν πλείω χρόνον, ἐὰν συμφρονήσαντες κατὰ τὴν Ἐπαμεινώνδου γνώμην παντὸς καιροῦ καὶ πράγματος ἕλωνται κοινωνεῖν ἀλλήλοις ἀληθινῶς.

Insequenti anno Arcades Lycomede imperatore cum illis quinque milibus electorum Pellanae expugnatae incolas in servitutem redegerunt.[1])

Iam triennio post pugnam Leuctricam amicitia Arcadum et Thebanorum sensim dissoluta est, cum fortasse Belminatide a Thebanis non reddita offensi essent, id quod ex Pausaniae loco colligere nobis licet. Belminam enim antiquitus a Lacedaemoniis sibi ereptam esse memorabant; qua ex re Pausanias falsam coniecturam facit, illos fines nunquam Arcadum fuisse.[2])

Eodem anno Archidamus, Agesilai filius, cum Lacedaemoniis et subsidiis a Dionysio tyranno missis, velut Celtis, Caryas in potestatem redegit et in Parrhasiam profectus atque inde Arcadibus Argivisque appropinquantibus regressus apud 'Mideam' praeclarissimam victoriam nanctus est, quam Spartiatis nullo sanguine stetisse Diodorus memoriae prodidit.[3])

Vsque eo enim Arcadibus omnia prospere successerunt: Lycomedes ille Mantinensis, qui sine dubio de Megalopoli condita optime meritus est, animos eorum ad res prospere gerendas accendit eosque simul in Thebanos instigavit his fere verbis[4]): sibi solis Peloponnesum propriam patriam esse cum indigenae essent atque ipsos multitudine et corporum firmitudine reliquos Graecos praecedere; argumento huic rei esse, quod mercenarii milites undique peterentur, neque enim Lacedaemonios unquam sine Arcadibus in Atticam irrupisse neque Thebanos in Laconicam; ne Thebanorum opes augerent, se subsidiis mittendis abstinerent atque id unum agerent, ut Arcadia esset sui iuris.

Huiusmodi verbis auditis Arcades, quibus iam natura ferocitas quaedam insita erat, contumacius se gesserunt. Inde Argivos apud Epidaurum a Chabria Atheniensi in angustias adductos ab interitu retraxerunt et victoria in acie parta suburbium Asinae Laconicae diruerunt, ita, ut Xenophon exposuerit eodem tempore neque nocte neque hieme nec longitudine viarum nec montibus asperis eos impeditos esse, quominus ea exsequerentur, quae sibi proposuerant. Eo maior fuit fortunae commutatio, quae pugna 'experti luctus et lacrimarum' facta est.

1) Diodorus XV 67: *Λυκομήδης στρατηγὸς ὢν τῶν Ἀρκάδων* . . .

2) Xenophon VII 1, 22; Pausanias VIII 35, 4: *λέγειν οὐκ εἰκότα ἐφαίνοντό μοι καὶ ἄλλων ἕνεκα, καὶ μάλιστα, ὅτι μοι δοκοῦσι Θηβαῖοι μηδὲ τοῦτο ἐλασσουμένους περιιδεῖν τοὺς Ἀρκάδας, εἴ σφισιν ἔσεσθαι σὺν τῷ δικαίῳ τὸ ἐπανόρθωμα ἔμελλεν.*

3) Xenophon VII 1, 28; Diodorus XV 72.

4) Xenophon VII 1, 23 sq.

Ceterum ad illam videntur pertinere ea, quae Polyaenus[1]) narrat. Hic Archidami regis in Arcadia bellum gerentis mentionem facit, qui, ut animos suorum confirmaret, aram noctu constitutam armis splendidissimis ornavit equosque circumegit. Vbi illuxisset, eos, qui 'ταξίαρχοι' vocarentur, contuitos splendorem ornatumque et vestigia equorum per tota castra nuntiavisse Castorem et Pollucem auxilio venturos esse; quo facto Lacedaemonios alacri et erecto animo fuisse praeclarissimamque victoriam adeptos esse memoriae proditum est. (Alii ad proelium Dipaeense et Archidamum, Zeuxidami filium, haec referunt.)[2])

Nec minus Arcades Eleis infesti exstiterunt, cum Lepreatae et ceteri Triphylii usque ad Agesilai in Arcadiam incursionem Spartiatis dediti ad Arcadas defecissent eiusdem gentis esse memorantes.[3])

Thebanos Arcadibus obtrectasse vel inde apparet, quod Pelopida cum ceterarum civitatum legatis ad Persarum regem profecto, hic Eleo Archidamo favit prae Antiocho, Arcadum legato, nec dubium videtur esse, quin verba 'προὐτίμησε τὴν Ἦλιν πρὸ τῶν Ἀρκάδων' atque 'ἠλαττοῦτο τὸ Ἀρκαδικόν' significent, regem Thebanis auctoribus Triphyliam et oppida ab Arcadibus erepta Eleis concessisse et addixisse.[4])

Hoc porro argumentum afferri potest, quanta fuerit in Thebanos offensa Arcadum voluntas: cum legatos sociorum Thebas convocassent, ut epistulam Persarum regis probarent, qua Thebanis principatus Graeciae addictus est, Lycomedes postulavit, ne Thebas convocarentur, sed eo, quocunque bellum transferretur. Cum Thebani societatem ab eis laedi quererentur, recusavit, ne concilio interesset, et una cum ceteris Arcadum legatis domum se contulit.

Quadriennio post pugnam Leuctricam Epaminondas tertium in Peloponnesum invasit, — secunda expeditio fuerat biennio ante nihil ad res gestas Arcadum pertinens — ut societate cum Achaeis facta reliqui socii Thebanorum imperium magis observarent. Ac primum eis, qui nobilitate generis excellebant, civitates administrandas concessit, postea vero, cum Arcades quererentur, Thebanos Lacedaemoniis Achaiam concessisse, Boeoti et ei, qui populi cau-

1) Polyaenus I 41, 1.

2) Curtius pro 'Μιδέα' (vel Μηδέα) legendum esse censet 'Μηλέα' vel 'Μαλέα' et oppidum in Maleatide et Aegytide situm esse conicit. (Μηλέα attica forma est.)

3) Xenophon VII 1, 26: Ἀρκάδες ἔφασαν εἶναι. Polybius IV 77.

4) Grote, history of Greece VII p. 245.

sam egerunt, primores ex Achaia expulerunt atque genus rei publicae populare ubique constituerunt. Sed nobiles contra singula oppida profecti rursus potestatem populo eripuerunt Lacedaemoniisque aperte faverunt, quo factum est ut Arcades ab utraque parte in angustias adducerentur.[1])

Iisdem fere temporibus, postquam Sicyone Arcadum Argivorumque auxilio Euphron causa populari suscepta rerum potitus est, propter crudelitatem ab Aenea Stymphalio, praetore Arcadum, eiectus Thebis ab exsulibus Sicyoniis periit. Leviter tantummodo perstringam Arcadas eadem aetate non semel in Phliasiorum fines invasisse, cum illi sub optimatium dominatu Lacedaemoniorum in fide mansissent.[2])

Interim Athenienses Spartiatis non opitulantibus Oropum amiserunt. Lycomedes, postquam eos propter auxilium non missum irasci comperit, persuasit communi Arcadum concilio, ut societatem cum illis inirent. Etsi initio Athenienses dubitabant societate cum Lacedaemoniis nondum dissoluta cum illorum hostibus se coniungere, tamen inita subductaque ratione non solum sibi, sed etiam Lacedaemoniis saluti esse intellexerunt, Arcadas a Thebanorum potentia liberari, ob eamque rem foedere icto equites illis subsidio miserunt. Sed Lycomedes in patriam revertens ab exsulibus optimatibusque Arcadum trucidatus est.

Iisdem temporibus Sellasia etiamtum ab Arcadibus Thebanisque occupata auxiliaribus a Dionysio minore missis rursus in Spartiatarum potestatem venit.[3])

Quae cum ita essent, res in Peloponneso etiam magis turbatae sunt, cum propter Lasionem, Acroreae oppidum haud longe a Pholoa monte situm, quod ab Eleis ad Arcadum civitatem desciverat, bellum inter utrosque exortum est, quia per Arcadas exsules vel optimates rursus Eleis traditum erat.[4]) Postquam ad Lasionem Arcades hostium copias in fugam converterunt, Acroreorum oppidis, Marganis, Cyparissia, Coryphasio captis Olympiam versus progressi et Cronio aliisque locis superioribus apud Olympiam sitis potiti sunt.

Non multo post, cum denuo Arcades in Elidem ab hominibus

1) Xenophon VII 1, 43 sq.: *ἐπεὶ κατελθόντες οὐκέτι ἐμέσευον, ἀλλὰ προθύμως συνεμάχουν τοῖς Λακεδαιμονίοις, ἐπιέζοντο οἱ Ἀρκάδες ἔνθεν μὲν ὑπὸ Λακεδαιμονίων, ἔνθεν δὲ ὑπὸ Ἀχαιῶν.*

2) id. *πιστοὶ διέμειναν καὶ ἔχοντες πολεμίους τοὺς δυνατωτάτους τῶν ἐν Πελοποννήσῳ Ἀρκάδας καὶ Ἀργείους.*

3) Xenophon VII 4, 12 sq. (a. 366).

4) idem; Diodor. XV 77 (a. 365).

popularibus instigati invasissent, ab Achaeis impediti sunt, quominus Elidem urbem expugnarent.

Cum Arcades animadvertissent, Pellenenses auxilii causa in Elide versari, noctu Olurum, Achaeorum oppidulum, occupaverunt, ab iis, qui causam popularem defendebant, adiuti. Quanquam nobiles paullo post illud in suam potestatem redegerunt.

Proximo anno rursus in ipsam Elidem penetraverunt et inter Cyllenam portum et urbem copias Eleorum, qui iam palam foedus cum Spartiatis pepigerant, in fugam coniecerunt.

Dum ea geruntur, Archidamus in Aegytim progressus Cromno capto ibique praesidio relicto domum revertit. Quo nuntio allato Arcades Elide relicta Crômnum obsidione clauserunt atque, postquam Lacedaemonii ante oppidum gravi clade accepta Archidamoque ipso vulnerato se receperunt, ii, qui praesidii causa relicti erant, se dediderunt. Quibus rebis gestis ab Arcadia Lacedaemonii discesserunt.

Initio anni Olympiaci Arcades una cum Pisatis ludos Olympicos apparaverunt. Elei, qui impediendi causa advenerant, victoria paene parta ab Arcadibus, Pisatis, Argivis, quadringentis Atheniensium equitibus postremo fusi ac fugati sunt mediis locis sanctissimis proelio commisso.[1]) Ceterum Elei huius olympiadis rationem non habuerunt.[2])

Quo facto cum Arcadum magistratus opes templi Olympiaci ad alendos ‘eparitos’ consumerent, Mantinenses partim deorum odium veriti partim anxii, ne potentia communium magistratuum impensis ad eparitos alendos ab illis factis et popularium Thebanis deditorum adeo augeretur, pertinacissime resistebant.

Lycomede enim occiso defuit is, qui auctoritate et gratia animos in diversas partes inclinantes in officiis retinere posset. Mantinenses et Tegeatae, inter quos antiquitus conspiratio consensusque raro fuerat, tum denuo hostes mutui facti sunt. Nam Tegeatae, quorum in oppido praesidium Thebanorum collocatum erat, una cum popularibus Megalopoli multum valentibus Thebanorum in fide manserunt et societatem firmiter stabiliebant, cum dissensiones inter Arcadas Thebanosque supra commemoratae ad Lycomedem eiusque populares et cives potissimum referendae sint.

1) Xenophon VII 4, 28 sq.

2) Diodor. XV 78: *ὀλυμπιὰς ὑπὸ Πισατῶν καὶ Ἀρκάδων ἤχθη τετάρτη πρὸς ταῖς ἑκατόν.* Cfr. Euseb., chron. I 206 ed. Schoene. Diodor. l. c. *καὶ τὴν ὀλυμπιάδα ταύτην ὕστερον οὐκ ἀνέγραψαν Ἠλεῖοι διὰ τὸ δοκεῖν βίᾳ καὶ ἀδίκως διατεθῆναι.*

Contra ea Mantineae paullatim optimatium potentia crevit, qui cum illo popularis causae defensore in Thebanorum potentia coërcenda vel exstinguenda consenserunt et Arcadiam sui iuris esse voluerunt. Xenophon eos viros patriae amantissimos denotat.[1])

Quapropter Mantinenses suis eparitis — ex tota enim Arcadia foederata delecti fuerunt — ipsi stipendium persolverunt et a sacrilegio abhorruerunt.

Hac in re plane Xenophontem sequor, cum Diodorus hoc quoque loco omnia misceat ac turbet.

Cum magistratus adversarentur eosque ad rationem reddendam vocarent, dicto audientes non fuerunt et eparitis, qui vim adhiberent, portas clauserunt. Tum apparuit, quanta fuisset imbecillitas communis Arcadum civitatis: sensim Mantinenses maximam partem conventus non minus religione moti ad suam sententiam perduxerunt.[2]) Simul eparitorum ii, qui divitiarum opibus non valuerunt ac stipendii egebant, militare desierunt; quo factum est, ut locupletes et optimatium fautores magis magisque militari munere fungerentur.[3])

Quibus rebus inducti summi magistratus, qui illius consilii auctores fuerunt et verebantur, ne poenas graves darent, a Thebanis celeriter auxilium petiverunt, cum periculum esset, ne Arcades sensim cum Lacedaemoniis se coniungerent.[4]) Sed ii, qui Lycomedis exemplum secuti Peloponnesum liberam a Thebanis esse cupiebant, invitis magistratibus in communi concilio maximam potentiam nancti perfecerunt, ut controversiae sine Thebanis componerentur, atque sacris Olympiacis redditis pacem cum Eleis fecerunt. Dum ea Tegeae convenit, Thebanorum harmosta cum legatos ex tota Arcadia ad pacem conciliandam eo profectos, quorum sine dubio magna pars optimates erant, auctoribus consilii sacra diripiendi suadentibus, in vincula coniecisset, Mantinensibus intercessoribus, qui fere omnes urbem iam reliquerant, captivos

1) *οἱ τὰ κράτιστα τῇ Πελοποννήσῳ βουλευόμενοι — οἱ βέλτιστοι — Μαντινεῖς τε καὶ τῶν ἄλλων Ἀρκάδων οἱ κηδόμενοι τῆς Πελοποννήσου.* VII 4, 35; 36; VII 5, 1. Grote, VII p. 283.

2) Xenophon VII 4, 34: *ἐν τῷ κοινῷ* (= *ἐν τοῖς μυρίοις*) *ἀπέδοξε μηκέτι χρῆσθαι τοῖς ἱεροῖς χρήμασι.*

3) ibid.: *ταχὺ δὴ οἱ μὲν οὐκ ἂν δυνάμενοι ἄνευ μισθοῦ τῶν ἐπαρίτων εἶναι διεχέοντο, οἱ δὲ δυνάμενοι παρακελευσάμενοι αὑτοῖς καθίσταντο εἰς τοὺς ἐπαρίτους, ὅπως μὴ αὐτοὶ ἐπ' ἐκείνοις, ἀλλὰ ἐκεῖνοι ἐπὶ σφίσιν εἶεν.* (Diodorus falso Mantinensibus culpam tribuit.)

4) ibid.: *πέμπουσιν εἰς Θήβας καὶ διδάσκουσι τοὺς Θηβαίους, ὡς εἰ μὴ στρατεύσοιεν, κινδυνεύσοιεν οἱ Ἀρκάδες πάλιν λακωνίσαι.*

dimisit proditionis metum simulans. Sed vi legatis adhibita animi Mantinensium aliorumque Arcadum adeo offensi sunt, ut — accedentibus etiam Epaminondae minis, qui Arcadas de ingratitudine adversus Thebanos obiurgavit — societatem cum Atheniensibus redintegrarent et socios Eleos, Achaeos, Phliasios sibi assumerent.[1]) Fragmenta huius foederis[2]) (in duabus tabulis, quarum pars Athenis inventa est inter theatrum Bacchi et odeum Herodis, pars in arce effossa est) maximi ad tempus pugnae Mantinensis definiendum momenti sunt. Foedus enim secundum verborum sententiam paullo ante pugnam commissam esse ictum apparet. Cum Molon archon commemoratus in altero Iulii mensis dimidio magistratum inierit, pugnam medio fere Augusto editam esse verisimile est neque archonte Chariclide[3]) neque 'Scirophorione'[4]) mense. Cui temporis definitioni non obstat, quod Xenophon de messe[5]) exponit, quippe quae in frigidis illis Arcadiae campis hodie quoque non ante alteram Augusti partem ad finem perducatur.[6])

Inter 'Arcadas' in titulo allatos fuerunt Mantinenses, Heraeenses, Orchomenii, fortasse alii, qui in septentrionalibus pagis incolebant neque Megalopolitidi addicti erant.

Quin etiam cum Lacedaemoniis foedus inierunt, cum Epaminondae adventus, sicut promiserat, eis impenderet; qui ineunte Augusto quartum in Peloponnesum invasit, ne seditio Arcadum glisceret latiusque serperet, et cum Megalopolitis, Pallantiensibus, Aseatis, Tegeatis, Argivis, Messeniis societatem redintegravit.[7]) (Mirum est, quod Aseatae et Pallantienses nominatim commemorantur, quanquam secundum Pausaniam[8]) conicere nobis licet, illos desiisse sui iuris esse.) Plurimi Arcades Thebanos videntur secuti esse, cum Diodoro in hac re fides tribuenda sit.[9]) Etsi enim ante adventum Thebanorum maior pars communis concilii decreverat, ut controversiae sine Thebanis componerentur, tamen (periculis ab Epaminonda imminentibus) Megalopolitarum ea pars, quae antea illi sententiae faverat, ad societatem cum Thebanis

1) Xenophon VII 5, 3; Diodor. XV 82.
2) Dittenberger sylloge I p. 148.
3) Diodor. XV 82, 363/2.
4) Plutarchus, de gloria Athen. p. 350[a].
5) *σίτου συγκομιδῆς οὔσης.*
6) Dittenberger, ibidem.
7) Xenophon VII 5, 5.
8) Pausanias VIII 27, 3.
9) Diodor. XV 84: *τοῖς Τεγεάταις συνεμάχουν οἱ πλεῖστοι καὶ κράτιστοι τῶν Ἀρκάδων.*

faciendam necessitate coacta inclinavit.[1]) Praeterea si fines Tegeae et totius Megalopolitidis contemplabimur, eos magnitudine Mantinensium, Heraeensium, Orchomeniorum agros superare intellegemus, praesertim cum ante proelium nihil de defectione vicorum a Megalopolitis memoriae proditum sit.

Postquam Epaminondas Spartam opprimere non potuit, secuta est medio fere Augusto mense illa pugna ad Mantineam commissa, in qua Mantinenses secundum foederis condicionem dextrum cornu obtinuerunt, quos secuti sunt Lacedaemonii, Elei, Achaei, ceteri Arcades Megalopolitis Tegeatisque infesti, sinistrum cornu Atheniensibus obtigit. Altera ex parte Thebani in sinistro cornu cum Arcadibus foederatis steterunt, mediam aciem Euboenses, Locri, Sicyonii, Messenii, Malienses, Aenianes, Thessali aliique socii impleverunt, dextrum cornu obtinuerunt Argivi.[2])

CAP. II.

QVOMODO PAVLLATIM MACEDONVM POTENTIA IN ARCADIA CREVERIT EXPONITVR.

Satis inter omnes constat Epaminonda occiso et victoria a Thebanis parta pacem inter ceteras quidem civitates compositam esse, sed Spartiatas propter Messeniam sibi non restitutam illius participes non fuisse.

Vno anno peracto denuo in Arcadia tumultus exortus est, cum magna pars eorum, qui Megalopolim transmigraverant, tabularum pacis ratione habita in antiquas sedes redisset[3]) et iam in eo esset, ut Mantinenses Eleosque socios sibi assumeret. Contra ea factio Megalopolitarum, quae novam patriam adamaverat (fortasse a Tegeatis adiuta) a Pammene Thebano auxilium petivit, qui illos rursus sedes Megalopolim transferre coëgit.

1) Xenophon VII 5, 5: *ἦσαν οὗτοι Τεγεᾶται καὶ Μεγαλοπολῖται καὶ Ἀσεᾶται καὶ Παλλαντιεῖς καὶ εἴ τινες δὴ πόλεις διὰ τὸ μικραί τε εἶναι καὶ ἐν μέσαις ταύταις οἰκεῖν ἠναγκάζοντο* (vici Megalopolitidis intellegendi sunt). 2) Diodorus. 3) Diodor. XV 94.

Finibus Megalopolitidis restitutis Tegeatas quidem in fide mansisse colligere nobis licet, cum Mantinenses se communi Arcadum civitate abstinuisse verisimillimum sit, quia in pristina domicilia transmigrantes illis et Eleis potissimum freti erant.

Nec mirum est Eleos quoque in inimicitiis perseverasse, cum Arcades Triphyliam non reddidissent.[1]

Cum Thebani ab Onomarcho in angustias adducerentur, Spartiatae ea, quae in Peloponneso post pugnam Leuctricam constituta erant, evertebant et Archidamo duce bellum Megalopolitis Messeniisque illaturi erant, qui a Thebanis destituti Athenas legatos auxilii petendi causa miserunt. Postquam enim Lacedaemonii post proelium Mantinense Messeniorum civitatem Megalopolitis intercedentibus[2]) dissolvere non potuerunt, in illos potissimum odio inflammati erant. At 'epimachia' quae dicitur cum Atheniensibus inita et auxilio ab Arcadibus Argivisque misso Messenia potiri non valuerunt.[3])

Eo magis Megalopolitis periculum imminebat, cum Spartiatae Arcadas in diversas partes divisos esse et haud exiguum numerum invitum rursus sedes in urbem transtulisse intellegerent, ob eamque rem id agebant, ut oppidum, sicut antea Mantineam, muris dirutis in pagos singulos dissolverent. Simul pronuntiaverunt, fore ut pristinus status in Peloponneso restitueretur. Velut Eleis Triphyliam, Phliasiis Tricaranum, quin etiam Atheniensibus Oropum addixerunt, atque speraverunt Athenienses illo promisso dato non impedituros esse, quominus Megalopolim bello persequerentur. Vt brevi praecidam, id unum spectabant, ut principatum rursus in Peloponneso nanciscerentur.

Athenis fuit haud exigua factio, quae Lacedaemoniis favebat, cum non multi essent, qui inclinatione voluntatis in Megalopolitas

1) Demosthenes pro Megal. p. 206: *νῦν φασιν ἐκεῖνοι (Λακεδαιμόνιοι) δεῖν Ἠλείους τῆς Τριφυλίας τινὰ κομίσασθαι.*

2) Polybius IV 33: *ἐπὶ τοσοῦτο διέσπευσαν Μεγαλοπολῖται καὶ πάντες οἱ κοινωνοῦντες Ἀρκάδων τῆς αὐτῶν συμμαχίας* (velut Tegeatae), *ὥστε Μεσσηνίους μὲν ὑπὸ τῶν συμμάχων προσδεχθῆναι καὶ μετασχεῖν τῶν ὅρκων καὶ διαλύσεων, Λακεδαιμονίους δὲ μόνους ἐκσπόνδους γενέσθαι τῶν Ἑλλήνων.*

3) Pausanias IV 28, 2: *Μεσσήνιοι . . μετὰ Ἀργείων καὶ Ἀρκάδων ἀντεῖχον τῷ πολέμῳ καὶ Ἀθηναίων ἀμῦναί σφισιν ἐδεήθησαν· οἱ δὲ ἐς μὲν τὴν Λακωνικὴν οὔποτε μετὰ ἐκείνων ἐσβαλεῖν ἔφασαν, ἀρχόντων δὲ Λακεδαιμονίων πολέμου καὶ ἐπιστρατευόντων τῇ Μεσσηνίᾳ παρέσεσθαι καὶ αὐτοί σφισιν ἐπηγγέλλοντο.* Dem. pro Megal. p. 204: *βοηθητέον διὰ τοὺς ὅρκους, οὓς ὀμωμόκαμεν Μεσσηνίοις* a. 353/52.

propenderent, postquam foedus a Lycomede initum proelio Mantiuensi fractum est.

Legatis utrorumque demum in contionem admissis controversiae ortae sunt, cum alteri odium in Thebanos, Megalopolitarum socios, inveteratum renovarent, alteri Spartiatis maledicerent. Tum Demosthenes in contionem prodiit, cum omnia a civibus neglegi intellegeret, quae Athenis saluti essent. Hoc accidit anni trecentesimi quinquagesimi secundi[1]) prioribus mensibus, quibus Onomarchus summum potentiae gradum ascenderat. Hic fuit fere sententiarum ordo: 'Id unum agere Athenienses debere, ut et Spartiatae et Thebani nihil opibus valerent; Thebanis in angustias adductis non solum Megalopolitas, sed etiam Messenios a Lacedaemoniis vexari, quibus secundum foederis condicionem opem ferri fas esset. Foedere dissoluto omnem culpam Spartiatis novis rebus studentibus tribuendam esse; stabilitate et constantia non semper eosdem socios, sed potius eos, qui iniuste in pericula inciderent, esse sequendum, ut ceterae civitates in Atheniensibus fiduciam ponerent, siquando a potentioribus vis eis inferretur. Si pro Peloponnesiis destitutis Oropum Lacedaemoniorum auxilio recepissent, nihilo meliores Atheniensium res fore; sin autem Thebanorum socios in fidem recepissent, eos in reliquum tempus in fide mansuros verisimillimum esse; etiamsi Thebani periculis obruti se recreassent, tamen fore ut in Peloponneso nihil iam valerent et in Boeotiam tantummodo conclusi Athenis pericula non conflarent; si in interitum ruerent, saltem civitates antiquitus illorum opibus firmatas esse permansuras atque in posterum Spartiatas impedituras, quominus fines longius propagarent, id quod in utramque partem Athenis saluti esset.'

Sed Demostheni non contigit civibus persuadere, ut Megalopolitis opem ferrent, quo factum est, ut Lacedaemonii in Megalopolitim invaderent, (Aristodemo Athenis archonte, qui successit Thudemo supra commemorato[2])) sub Archidami ductu et a Phocensium tribus milibus et Thessalorum equitibus adiuti. Megalopolitis autem Thebani, qui praeter omnium exspectationem Onomarcho occiso se refecerant, cum quattuor milibus peditum et quingentis equitibus Cephisione imperatore, Argivis, Sicyoniis, Messeniisque in armorum societatem assumptis auxilio venerunt.

1) Dionysius ad Ammaeum I 4: *ἐπὶ Θουδήμου τοῦ μετὰ Διότιμον ἄρξαντος . . . ἔγραψε (λόγον) περὶ τῆς Μεγαλοπολιτῶν βοηθείας δημηγορικόν, ὃν αὐτὸς ἀπήγγειλεν.* Schäfer, Demosth. I p. 470.
2) Diodor. XVI 37; 39 (32) a. 352/1.

Spartiatae usque ad Mantineam progressi, cuius cives toto bello afuisse et neutris auxilia videntur misisse, inde Orneas, oppidum eodem tempore cum Megalopolitis foederatum, expugnaverunt.[1])

Postquam Thebani advenerunt, Lacedaemonii, cum ancipiti Marte pugnatum esset, rursus in ipsam Arcadiam penetraverunt et Helissunte oppido capto Spartam se receperunt.[2])

Paullo post rursus in illam regionem incursione facta Lacedaemonii apud Telphusam Anaxandro duce devicti et aliis duobus proeliis, cum incerto loco victoriam reportavissent, domum reverterunt et Thebani quoque ex Peloponneso abierunt, postquam illi cum Megalopolitis indutias inierunt.[3])

Vix mirum videbitur Spartiatas in intimam Arcadiam usque ad Telphusam profectos esse, si ab Orchomeniis et Heraeensibus eos etiamtum adiutos esse colligemus.

Hoc ex loco in oratione pro Megalopolitis habita enucleare possumus.[4]) Haud scio an Orchomenii Methydrium, Teuthidem, Thisoam oppidula Megalopolitidi addicta recuperare voluerint, atque in illis locis Lacedaemonii versati sint, ut sociis illam regionem restituerent. In hac expeditione igitur usque ad Telphusam eos progressos esse non sine gravi causa intellegi potest, ubi haud longe et ab Eleis, quibus Triphyliam addixerant et ab Heraeensium finibus valde deditorum aberant.

Indutias tantummodo Spartiatae fecerunt atque re vera pacem diuturnam non compositam esse paullo infra videbimus.

Praeter Diodorum Pausanias[5]) quoque hanc expeditionem Lacedaemoniorum leviter tantummodo perstringit, sed Thebanorum adventus mentionem non facit.

Cephisionis expeditio fuit extrema Thebanorum in Peloponnesum suscepta, quae aliqua ex parte irrita erat, cum secundum Polybium Spartiatas Megalopolitidis partem retinuisse conicere nobis liceat.[6])

1) *Ὀρνεὰς ἐκπολιορκήσαντες οὖσαν σύμμαχον τῶν Μεγαλοπολιτῶν.*

2) *πόλιν Ελισσοῦντα . . ἑλόντες ἐπανῆλθον εἰς τὴν Σπάρτην.* Ceterum censeo "*Ελισσοῦντα*" eandem urbem esse atque "*Ελισσόντα*" Maenaliorum Megalopolitidi addictam et Pausaniae etiam aetate vicum nondum desertum (VIII 27, 3, 7).

3) *ἔπειτα τῶν Λακεδαιμονίων ποιησαμένων ἀνοχὰς πρὸς τοὺς Μεγαλοπολίτας, ἐπανῆλθον εἰς τὴν Βοιωτίαν οἱ Θηβαῖοι* (Diod. ibid.).

4) *νῦν φασιν ἐκεῖνοι* (Lacedaemonii) *δεῖν Ἠλείους μὲν τῆς Τριφυλίας τινὰ κομίσασθαι, ἄλλους δέ τινας τῶν Ἀρκάδων τὴν αὐτῶν* 16 p. 206.

5) Pausanias VIII 27, 9, 10.

6) Nomina vicorum non traduntur. Polybius XVIII 14, 7: *τὴν χώραν ἀνακομισάμενοι* (Cercidas, Hieronymus, Eucampidas infra comme-

De turbatione porro omnium in Peloponneso rerum Demosthenes optime exponit[1]; quo factum est, ut Megalopolitae, Messenii, Argivi oculos converterent ad Philippum Macedonem, qui eadem aetate in magnas opes crescebat, praesertim cum Athenienses post tempus, quo Demosthenes orationem pro Megalopolitis habuerat, denuo Spartiatis reconciliati essent.[2]

Praeterea Thebanorum opes magis magisque debilitabantur.

Neque suspicio abest, quin re vera Philippus, sicut Aeschines exposuit, cum nondum regi deditus erat, nonnullos magistratus Arcadum donis ad suam causam perduxerit.[3]

Olyntho excisa Aeschines Eubulo suasore legatus Megalopolim profectus[4] in concilio de societate facienda egit, sed infecta re revertit, cum iam summae potentiae factio esset, quae ad Philippum inclinabat. Regis causam egit Hieronymus ille[5], qui a Maenaliis Megalopoli condendae creatus erat.

Praeter Hieronymum a Demosthene etiam Eucampidae et Cercidae mentio fit, quorum alter ex Maenalia oriundus Megalopoli conditae operam dedit.[6]

morandi) *καὶ τὰς πόλεις, ἃς παρῄρηντο Λακεδαιμόνιοι κατὰ τὴν εὐκαιρίαν Μεσσηνίων, Μεγαλοπολιτῶν, Τεγεατῶν.*

1) De corona 18 p. 231: *ἡ Πελοπόννησος ἅπασα διειστήκει, καὶ οὔθ' οἱ μισοῦντες Λακεδαιμονίους οὕτως ἴσχυον, ὥστ' ἀνελεῖν αὐτούς, οὔθ' οἱ πρότερον δι' ἐκείνων ἄρχοντες κύριοι τῶν πόλεων ἦσαν, ἀλλά τις ἦν ἄκριτος . . . ἔρις καὶ ταραχή.*

2) Demosthenes de pace § 18: . . . *Ἀργεῖοι καὶ Μεσσήνιοι καὶ Μεγαλοπολῖται καί τινες τῶν λοιπῶν Πελοποννησίων, ὅσοι ταὐτὰ τούτοις φρονοῦσιν, διὰ τὴν πρὸς Λακεδαιμονίους ἡμῖν ἐπικηρυκείαν ἐχθρῶς σχήσουσιν.* (Harpocration: *ἐπικηρυκεία τὸ περὶ φιλίας καὶ διαλλαγῶν κήρυκας πέμπειν.*) iam ante a. 346.

3) Dem. d. f. leg. 10 p. 344: *ἔστι τοίνυν οὗτος ὁ πρῶτος Ἀθηναίων αἰσθόμενος Φίλιππον, ὥς τότε δημηγορῶν ἔφη . . . διαφθείροντά τινας τῶν ἐν Ἀρκαδίᾳ προεστηκότων* (ante a. 346).

4) Dem. d. f. leg. p. 438.

5) ibid. p. 344: *ἀπαγγέλλων μετὰ ταῦθ' ἥκων ἐξ Ἀρκαδίας τοὺς καλοὺς . . . λόγους, οὓς ἐν τοῖς μυρίοις ἐν Μεγάλῃ πόλει πρὸς Ἱερώνυμον τὸν ὑπὲρ Φιλίππου λέγονθ' ὑπὲρ ὑμῶν ἔφη δεδημηγορηκέναι.*

Aeschines, d. f. leg. § 79: *'ἡ ἐν τοῖς μυρίοις ἐν Ἀρκαδίᾳ δημηγορία καὶ πρεσβεία' . . . ἐγὼ δ' ἐν μὲν τῷ πολέμῳ συνίστην, καθ' ὅσον ἦν δυνατός, Ἀρκάδας καὶ τοὺς ἄλλους Ἕλληνας ἐπὶ Φίλιππον.* ibid. 157: *ὁ τοὺς μυρίους Ἀρκάδων νουθετῶν.*

Ceterum factio etiamtum Atheniensibus dedita Megalopoli fuit: Dem. d. f. leg. p. 439.

6) *Εὐκαμπίδας καὶ Ἱερώνυμος ἐκ Μαινάλου* (Pausanias VIII 27).

Demosth. d. cor. p. 324: *τῆς ἰδίας ἕνεκ' αἰσχροκερδείας τὰ κοινῇ*

Iam ea aetate, qua Alexander natus est, Chaeronem Megalopolitam apud Philippum esse versatum Plutarchus memoriae prodidit.[1]) Atrestidas quoque fuit fortasse ex eadem urbe oriundus, cui a rege Olyntho diruta captivi donati sunt.[2])

Ceterum Polybius[3]) aliter de illis Macedonum fautoribus sentit atque Demosthenem multis in rebus summa laude dignum reprehendendum esse censet, quod viris totius Graeciae celeberrimis temere notam inusserit; illos enim id effecisse, ut Peloponnesus a Lacedaemoniorum insidiis in libertatem vindicaretur, et agris oppidulisque recuperatis, quae antea Spartiatae Messeniis, Megalopolitis, Tegeatis, Argivis superatis in suam potestatem redegissent, suae quemque patriae maximae saluti fuisse. Polybii enim animi inclinatio est eadem ac civium Demosthenis temporibus, id quod apparet etiam ex Isocratis 'Philippo'; qui tum odio in Spartiatas inflammati[4]) communem Graeciae salutem neglexerunt, atque ab Atheniensibus ipsis repulsi aliqua ex parte iure defendendi sunt.

Triennio fere post pacem Philocrateam Arcades Eleis opem tulerunt contra mercenarios Phocenses, qui Phalaeco in Cydonia oppugnanda occiso ab exsulibus arcessiti erant, quo factum est,

συμφέροντα προΐεντο, τοὺς ὑπάρχοντας ἕκαστοι πολίτας ἐξαπατῶντες καὶ διαφθείροντες, ἕως δούλους ἐποίησαν . . . Ἀρκάδας Κερκιδᾶς, Ἱερώνυμος, Εὐκαμπίδας. Harpocration: *ἐστὶν Ἱερώνυμος Μεγαλοπολίτης, οὗ μνημονεύει Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Αἰσχίνου. ὅτι δ' οὗτος ἦν τῶν μακεδονιζόντων μάλιστα καὶ Θεόπομπος εἴρηκεν ἐν τῇ να'.*

Κερκιδᾶς. Δημοσθένης ἐν τῷ ὑπὲρ Κτησιφῶντος τοὺς προδότας καταλέγων φησὶν 'Ἀρκάδας Κερκιδᾶς'. ὅτι δ' οὗτος τῶν τὰ Μακεδονικὰ φρονούντων ἦν, εἴρηκε καὶ Θεόπομπος ἐν ιε' Φιλιππικῶν.

Idem Cercidas legis lator et poëta commemoratur, cuius fragmenta exstant, cf. Athenaeus XII 554 d; Steph. Byz. s. v. *Μεγάλη πόλις . . . ἀφ' ἧς Κερκιδᾶς, ἄριστος νομοθέτης καὶ μελιάμβων ποιητής.* Eustathius ad Iliadem II 268, 35: *Κερκιδᾶς* (sic pro *Κερδίας* legendum est) *ὁ νομοθετῶν τῇ πατρίδι.*

Praeterea Hieronymus Isocratis discipulus fuit: Schol. ad Dem. 344, 8; 18; id quod optime ad utriusque inclinationem voluntatis quadrat, cum Isocrates quoque Philippo faverit.

1) Plut. Alex. III.

2) Demosth. d. f. leg. p. 439: *Ἀτρεστίδας παρὰ Φιλίππου τῶν Ὀλυνθίων αἰχμάλωτα δωρειὰν . . ἔχων*, ubi scholia adiciunt: *οὗτος ὁ Ἀτρεστίδας προδότης ἦν Ἀρκάς.* Haud scio an Atrestidas Megalopolita in titulo commemoratus ab illo oriundus fuerit. (Dittenberger I p. 262; Cauer 290.)

3) Polybius XVIII 14.

4) Isocr. Philippus 74: *ὑπάρχουσι σοὶ . . . Ἀργεῖοι καὶ Μεσσήνιοι καὶ Μεγαλοπολῖται . . συμπολεμεῖν καὶ ποιεῖν ἀναστάτους Λακεδαιμονίους.*

ut Phocenses ad internicionem redigerentur et factio Philippo dedita reipublicae gubernacula retineret.[1])

Tales fuerunt res ea aetate, qua Demosthenes orationem de falsa legatione habuit. Philippus apud Arcades in summo honore fuit, cum eius statuae aëneae constituerentur et darentur ei coronae, atque in eius adventu in Peloponnesum magnam spem collocaverunt.[2]) Inde haec inclinatio Megalopolitarum permansit et a Philippi domo ad Antigonidas est translata, ut iam hic commemorem.

CAP. III.

DE PRINCIPATV MACEDONVM IN ARCADIA VSQVE AD ALEXANDRI MORTEM.

Sequitur Chaeronensis illa pugna qua factum est, ut Philippus ipse in Peloponnesum invaderet. Arcadum Megalopolitis et Tegeatis — de ceteris nihil constat — Argivis Messeniisque in armorum societatem coniunctis in ipsam Laconicam penetravit et Spartiatas coëgit, ut Belminatim Megalopolitis concederent totamque regionem Eurotae fontibus circumiacentem, qua occupata aditus in intimam Laconicam haud difficilis fuit.[3]) Tali modo Megalopolitidis fines propagati sunt, postquam Belmina temporibus Thebanorum principatus in potestate Lacedaemoniorum relicta est.

1) Diodorus XVI 63.

2) Demosth. d. f. leg. 261 p. 424: *εἰς Ἀρκαδίαν εἰσελθὸν* (*νόσημα*) *πάντ᾽ ἄνω καὶ κάτω τἀκεῖ πεποίηκε καὶ νῦν Ἀρκάδων πολλοὶ . . . Φίλιππον θαυμάζουσι καὶ χαλκοῦν ἱστᾶσι καὶ στεφανοῦσι, καὶ τὸ τελευταῖον, ἂν εἰς Πελοπόννησον ἴῃ, δέχεσθαι ταῖς πόλεσιν εἰσὶν ἐψηφισμένοι.* Praeterea in honorem regis porticus aedificata est: Pausan. VIII 30, 6 *Στοὰν τῆς ἀγορᾶς ὀνομαζομένην Φιλίππειον οὐ Φίλιππος ἐποίησεν, ὁ Ἀμύντου, χαριζόμενοι δὲ οἱ Μεγαλοπολῖται τὴν ἐπωνυμίαν διδόασιν αὐτῷ τοῦ οἰκοδομήματος.*

3) Polybius IX 28, 7: *τὴν χώραν* (*προσένειμε*) *Τεγεάταις καὶ Μεγαλοπολίταις.*

Livius XXXVIII 34: ager Belbinates . . . restitutus eidem civitati (Megalopoli) ex decreto vetere Achaeorum, quod factum erat Philippo Amyntae filio regnante. — Tegeatis Sciritim et Caryas (ab Archidamo rursus perdomitas) esse addictas summa cum probabilitate conicere nobis licet.

Nunc de finibus universae Arcadum civitatis pauca exponam, quales fuerint Philippi aetate. Agros de Megalopolitide a ceteris civitatibus vicinis detractos esse nihil accepimus. Hanc regionem, Tegeatim, Triphyliam vel potius partem (Lepreo non excepto) illius civitatis participes fuisse illis temporibus censeo. De Tegeatarum enim defectione nihil memoriae proditum est atque illos Megalopolitasque plane inter se consensisse apparet ex utrorumque foedere cum Macedonibus icto. A Mantinensibus pacem quidem cum Philippo conservatam esse apparet, atque inde a pugna Mantinensi nihil de bello inter illos et Megalopolim Tegeamque proditum est, sed eos etiam postea se arctiore societate cum illis civitatibus abstinuisse pro certo affirmem. De Orchomeniis et Heraeensibus idem contendere atque asseverare nobis licet. Contra ea Lepreum et Triphyliae partem etiamtum et usque ad Lydiadae tyranni aetatem cum Megalopolitis foedere coniunctam fuisse nunc exponam. Vt hoc demonstrem, 'peripli' illius maris interni (vulgo Scylacis Caryandensis) ratio mihi habenda est, et tempus definiri oportet, quo illud opusculum compositum sit. Haec verba exstant[1]): '*Καθήκει ἡ Ἀρκαδία ἐπὶ θάλατταν κατὰ Λέπρεον ἐκ μεσογείας. Εἰσὶ δ' αὐτῶν πόλεις ἐν μεσογείᾳ αἱ μεγάλαι αἵδε· Τεγέα, Μαντίνεια, Ἡραία, Ὀρχομενός, Στύμφαλος. εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλαι πόλεις.*'

Vt brevi praecidam, nunc gravissima tantummodo documenta eligam: Maximi momenti est Naupactus Aetolorum urbs commemorata.[2]) Anno trecentesimo quadragesimo primo rex oppidum Aetolis nondum restituerat, sed iam promiserat.[3]) Certe promissum solvit, postquam Byzantio rediit et Locris Amphissaeis bellum intulit paullo ante pugnam Chaeronensem.

Praeterea testimonio, Strymonem dividere Thraciam a Macedonia, auctoritas tribuenda est.[4]) Nondum igitur usque ad Nestum Macedoniae fines propagati erant, id quod factum est exeunte Philippi dominatu vel paullo postquam Alexander regnum adeptus est.[5]) Quae si nobiscum reputaverimus, hoc opusculum intra annos tre-

1) Ed. Fabricius p. 16.

2) Strabo testatur (IX p. 427): *ἔστι δὲ νῦν Αἰτωλῶν Φιλίππου προσκρίναντος*; Scylax ed. Fabricius p. 14.

3) Dem. or. Phil. III 120: *οὐκ Ἀχαιῶν Ναύπακτον [ἀφελόμενος] ὀμώμοκεν Αἰτωλοῖς παραδώσειν;*

4) p. 22: *οὗτος ὁρίζει Μακεδονίαν καὶ Θρᾴκην.*

5) Strabo VII p. 331: *τὸ Νέστου στόμα τοῦ διορίζοντος Μακεδονίαν καὶ Θρᾴκην, ὡς Φίλιππος καὶ Ἀλέξανδρος . . διώριζον ἐν τοῖς κατ' αὐτοὺς χρόνοις.*

centesimum quadragesimum et trecentesimum tricesimum sextum fere compositum esse intellegemus. Ergo etiamtum Lepreum universae Arcadum civitati addictum erat.

Mirum est, inter Arcadum oppida Megalopolis mentionem non factam esse, ob eamque rem coniectura probabilis videtur esse verba '*αἱ μεγάλαι αἵδε*' ex '*ἡ Μεγάλη πόλις*' esse corrupta, ut scribendum sit *εἰσὶ . . πόλεις ἐν τῇ μεσογείᾳ ἡ Μεγάλη πόλις, Τεγέα, Μαντίνεια . .*

Accedunt etiam ea, quae Dicaearchus, Aristotelis discipulus et Theophrasti aequalis, memoriae prodidit de Lepreo: testimonii auctoritas apud Ciceronem exstat.[1]) Hic fuit status Arcadiae eo tempore, quo Philippus diem supremum obiit: Megalopolitim etiamtum integram et Megalopolitas, Tegeatas, Lepreatas certe Arcadum civitatis decurtatae et mutilae participes fuisse censeo.[2])

Alexandro demum in intimam Persidem profecto, anno trecentesimo tricesimo in Arcadia magna rerum commutatio facta est. Iam pridem Arcadas defectionem a Macedonibus molitos esse apparet ex Diodori loco[3]), ubi res anno trecentesimo tricesimo quinto gestas exponit, quanquam aliqua ex parte res confundit, cum Arcadas Philippo deditos fuisse inter omnes constet.

Dum Antipater ab Alexandro in Europa Graecos in officio continendi causa relictus in Thracia moratur, Lacedaemonii opportunitate usi Agide regnante (qui Archidamo patri in bello contra Lucanos gesto a Tarentinis arcessito et occiso[4]) successerat) bellum moverunt. Cum omnes fere Peloponnesii odio in Macedones inflammati essent ob vim non semel illatam, Arcades universi Megalopolitis exceptis, Achaei, Elei Spartiatas pro libertate recuperanda secuti sunt.[5])

1) Cicero, ad Atticum VI 2, 3: 'Peloponnesias civitates omnes maritimas esse Dicaearchi tabulis credidi . . Arcadiae censebat esse Lepreon quoddam maritimum.'

2) Praeterea his verbis aliquid momenti tribuendum esse puto: *τοὺς ὑπάρχοντας ἕκαστοι πολίτας διαφθείροντες . . Ἀρκάδας Κερκιδᾶς, Ἱερώνυμος, Εὐκαμπίδας* de corona p. 324; — *τινὰς τῶν ἐν Ἀρκαδίᾳ προεστηκότων* Dem. de falsa legatione p. 344. — *τὴν ἐν τοῖς μυρίοις ἐν Ἀρκαδίᾳ δημηγορίαν* Aeschines de f. leg. 79 (ed. Franke) *ὁ τοὺς μυρίους Ἀρκάδων νουθετῶν* potissimum ibidem 157. Ex verbis '*ἐν τοῖς μυρίοις ἐν Μεγάλῃ πόλει* Dem. d. f. leg. p. 344' concilium Megalopolim convenisse intellegitur.

3) Diodorus XVII 3.

4) Plutarchus, Agis III.

5) Aeschines, in Ctesiphontem 165: *Ἠλεῖοι αὐτοῖς συμμετεβάλοντο καὶ Ἀχαιοὶ . . . καὶ Ἀρκαδία πᾶσα πλὴν Μεγάλης πόλεως.* — Iustinus

Hoc igitur tempore Tegeatae quoque Arcadum civitatem reliquerunt. Restant tantummodo Megalopolitae et Lepreatae.

Agide in Arcadiam progresso Megalopolis obsessa in summum periculum adducta est.[1]) Antipater hoc nuntio allato magnis itineribus ex Thracia in Arcadiam profectus hostes apud Megalopolim fudit ac fugavit, postquam Agis maioribus suis dignissimam mortem oppetivit, quo factum est, ut illa urbs obsidione liberaretur.

Diodorus loci, quo proelium commissum est, mentionem non facit, contra ea Plutarchus duobus locis commemorat Megalopolim.[2])

Deinde pax composita est his condicionibus, ut Spartiatae obsides ex amplissimis familiis natos darent et Megalopolitis ab Achaeis et Eleis centum et viginti talenta pernumerarentur.[3])

Tali modo Megalopolis Macedonum opibus servata etiam insequenti aetate illis dedita esse non desiit. Quin etiam cives usque eo processerunt, ut Alexandrum divinis honoribus colerent. Pausanias quidem domum antiquitus regi dedicatam ornatamque imagine Ammonis vidit.[4])

Postquam Alexander ex India revertit, Nicanor Stagirita Olympiam iussu regis mandata tulit de exsulibus in singulas civitates recipiendis et de communibus Achaeorum et Arcadum conventibus[5]), qui dissolverentur.[6])

Cum eo tempore, quo pugna apud Megalopolim commissa est, societas Arcadum plane esset discissa, post proelium aliqua ex parte eam redintegratam esse colligere nobis licet, praesertim cum

12, 1. Diodorus XVII 62: *Πελοποννησίων οἱ πλείους συμφρονήσαντες ἀπεγράψαντο πρὸς τὸν πόλεμον* (Dinarchus I 34).

1) Aeschines in Ctesiph. ibidem *ἐπολιορκεῖτο καὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐπίδοξος ἦν ἁλῶναι.* Curtius VI 1, 20: Megalepolitanis quorum urbs obsessa erat a defectionis sociis Achaeis et Eleis.

2) Plut. Agis III: *Ἄγιδος ὑπὸ Ἀντιπάτρου περὶ Μεγάλην πόλιν ἀναιρεθέντος* — Apophthegmata p. 219[b]: *τὸ ἡττηθῆναι Ἆγιν τὸν βασιλέα ἐν τῇ πρὸς Ἀντίπατρον μάχῃ τῇ περὶ Μεγάλην πόλιν.*

3) Diodorus XVII 73; Curtius VI 1, 20.

4) Pausan. VIII 32, 1: *πλησίον* (haud longe a Thersilio) *οἰκίαν, ἰδιώτου κατ' ἐμὲ κτῆμα ἀνδρός, Ἀλεξάνδρῳ τῷ Φιλίππου τὸ ἐξ ἀρχῆς ἐποίησαν· ἔστι δὲ ἄγαλμα Ἄμμωνος πρὸς τῇ οἰκίᾳ.*

5) Harpocration — Dinarchus I 81, 103.

6) In fragmentis Hyperidis orationis in Demosthenem habitae haec verba exstant (Hyperides ed. Blass p. 10): *τὰ δ' ἐν Πελοποννήσῳ . . . οὕτως ἔχοντα κατέλαβεν ὑπὸ τῆς ἀφίξεως τῆς Νικάνορος καὶ τῶν ἐπιταγμάτων, ὧν ἧκεν φέρων παρ' Ἀλεξάνδρου περί τε τῶν φυγάδων καὶ περὶ τοῦ τοὺς κοινοὺς συλλόγους Ἀχαιῶν τε καὶ Ἀρκάδων* . . , ubi secundum sententiam supplendum est '*μὴ γίγνεσθαι*' vel '*μὴ συλλέγεσθαι*' (W. Vischer, Kl. Schr. I p. 355).

Megalopolitis, ut ex pacis condicionibus intellegitur, Antipater faveret. Sed de civitatibus Arcadicis foedere coniunctis nihil omnino memoriae proditum est; quam societatem dissolvi Alexander iussit. In medio relinquendum est, num Arcades mandata persecuti sint, quippe cum paullo post rex diem supremum obierit. Si testimonium libri 'vitae decem oratorum' inscripti respicimus[1]), etiam ea aetate, qua bellum Lamiacum exarsit et Demosthenes legatus foederis iciendi causa in Arcadiam profectus est, communis Arcadum societas fuit, cum conventus mentio fiat. Quanquam huic testimonio fides non tribuenda est, ut paullo infra exponam.

CAP. IV.

QVAE DIADOCHORVM AETATE VSQVE AD LYDIADAE TYRANNIDIS ABDICATIONEM ACCIDERINT EXPONITVR.

Postquam Alexander e vita excessit, atque magna Graeciae pars pro libertate recuperanda ad arma concurrit, Megalopolitae ceterique Arcades bello, quod dicitur Lamiacum, non interfuerunt[2]), cum Argivi Sicyonii, Elei, Messenii a Macedonibus deficere non dubitarent.[3])

At ea, quae in vitis decem oratorum referuntur, ubi Demosthenes in Arcadum concilio eos ad societatem faciendam adduxit, reicienda esse censeo, quia Megalopolitae cum Macedonibus semper in omnia belli pacisque consilia se consociaverunt. Etiam in vita Demosthenis Plutarchea nihil tale commemoratur.

Factionem autem Macedonibus infestam Megalopoli fuisse, cuius princeps fortasse Polyaenetus erat, ex Diodoro intellegitur (in litteris regiis per Polysperchontem ad Graecorum civitates datis)[4]), cuius

1) Vitae X orat. p. 846c: *τὸ κοινὸν τῶν Ἀρκάδων.*

2) Pausan. VIII 6, 2: *ἐν Θεσσαλίᾳ πρὸς Ἀντίπατρον οὐκ ἐμαχέσαντο μετὰ Ἑλλήνων.* 27, 10: *περὶ Θεσσαλίαν τοῦ ἀγῶνος οὐ μετέσχον οἱ Ἀρκάδες.* 3) Diodorus XVIII 11.

4) Diodorus XVIII 56: *μὴ κατιέναι . . Μεγαλοπολιτῶν τοὺς μετὰ Πολυαινέτου ἐπὶ προδοσίᾳ φεύγοντας.* Litterae anno 319 compositae sunt.

eiectio ex Megalopolitide aliqua verisimili ratione in bellum Lamiacum referenda est.

Victoria apud Crannonem parta ab Antipatro Megalopoli paucorum et locupletium potentia firmata est, cum inde a Philippi aetate civitas in illorum ius ac dicionem concessisse videatur.[1])

Polysperchon, Philippi Arrhidaei et Alexandri, Rhoxanae filii, tutor imperiique procurator inde ab Antipatri morte, qui in popularibus nitebatur et reddita civitatibus libertate benevolentiam sibi conciliare studebat, edixit, ut paucorum administratio civitatum ab Antipatro ubique constituta tolleretur.[2]) Cum Megalopolitae dicto audientes non essent et in fide Cassandri, Antipatri filii, manerent, Polysperchon urbem oppugnare constituit.[3]) Cives autem omnibus rebus ad oppidum defendendum paratis Damim ducem creaverunt, qui Alexandri expeditionibus interfuerat, omnesque, qui arma ferre potuerunt, circiter quindecim milia, quin etiam servos, convocaverunt. Postquam ad vim propulsandam instructi intentique fuerunt, Polysperchon cum elephantis usque ad urbem progressus copiis bifariam distributis, turribus exstructis, quae altitudine moenia oppidi superaverunt, cuniculisque actis effecit, ut pars muri et tres turres excelsissimae corruerent.

Sed impetus per iacentium moenium ruinas ad irritum redigebantur, postquam cives novam fossam duxerunt et muros denuo exstruxerunt. Altero die cum Damis hostes ruinas tollere videret, illud fieri statim divinavit, ut elephanti per plana progrederentur atque ad hunc dolum confugit: Clavos multis portis sic infigi iussit, ut cuspides tantummodo prominerent eisque aliquantulum in terram demissis moenia tormentis et funditoribus cuiusque generis complevit; solum loca hostibus adversa defensoribus nudata fuerunt. Cum Megalopolitae ex adverso eis non obstitissent, alacriter progressi in maximam perniciem incurrerunt, cum elephanti clavis coopertis vulnerarentur et consternati eos ipsos proculcarent simul sagittis quoque et telis ex utroque latere missis in angustias adductos. Quo facto Polysperchon de urbe expugnanda desperavit

1) Diodorus XVIII 68: (*Μεγαλοπολῖται*) *διὰ τῆς ὑπ' Ἀντιπάτρου καθεσταμένης ὀλιγαρχίας διοικούμενοι.*

2) Diodorus XVIII 69: *ἐξέπεμπε πρὸς τὰς πόλεις πρεσβευτάς, προστάττων τοὺς μὲν δι' Ἀντιπάτρου καθεσταμένους ἄρχοντας ἐπὶ τῆς ὀλιγαρχίας θανατῶσαι, τοῖς δὲ δήμοις ἀποδοῦναι τὴν αὐτονομίαν.*

3) *ἐτύγχανον τὰ Κασσάνδρου φρονοῦντες* (68) *μόνων τῶν Μεγαλοπολιτῶν διατηρούντων τὴν πρὸς Κάσσανδρον φιλίαν, ἔκρινε πολιορκῆσαι τὴν πόλιν αὐτῶν* (69).

atque castra movit ex Arcadia. Hoc anno trecentesimo duodevicesimo (Archippo archonte) accidit.[1]) Hac clade accepta Polysperchontis opes magnopere debilitatae sunt atque, cum in contemptum veniret, multae Graecorum urbes ab eo ad Cassandrum defecerunt.[2])

Arcadum civitatem, etsi concilii mentio fit[3]), dissolutam esse puto. Arcadas in diversas partes abiisse vel inde apparet, quod biennio post Tegeatas Cassander obsedit, qui sine ullo dubio Polysperchontem secuti erant.[4])

Isdem fere temporibus Megalopolitae pristinorum beneficiorum memores Thebis Cassandri iussu restitutis interfuerunt.[5])

Praeterea Stymphalii magnaque pars Orchomeniorum Polysperchonti dediti fuerunt, cum Apollonides, Cassandri dux, Argis relictus Stymphalo potiretur et Cassander ipse Orchomenum per proditionem captum magnas in angustias adduceret; quo facto Damim illum Megalopolitidis praefectum constituit.[6])

His omnibus, quae attuli, apparet, totam Arcadiam in duas partes divisam fuisse exeunte quarto saeculo.

Talis fuit Arcadiae status, cum Demetrius Poliorcetes anno trecentesimo tertio in Peloponnesum profectus undique victor exstitit totamque regionem Mantinea excepta in potestatem suam redegit.[7])

Post pugnam ad Ipsum commissam in Arcadia quoque Demetrii opes conquassatas et praesidia expulsa esse rursusque oppida ad Cassandrum aliosque adversarios defecisse apparet.[8])

1) Diodorus XVIII 58.
2) Idem 74.
3) Vitae X orat. p. 846[c].
4) Diodorus XIX 35: *Κάσσανδρος . . Τεγέαν πολιορκῶν . . πρὸς τοὺς Τεγεάτας διελύσατο.* Rebus in Macedonia gestis commotus ab obsidione destitit.
5) Pausanias IX 7, 1.
6) Diodorus XIX 63. 64: *Δᾶμιν ἐπιμελητὴν τῆς πόλεως ἀπέλιπεν.* — Ceterum Orchomenus rursus in Polysperchontis potestatem venit, cum etiam archonte Leostrato (a. 303) Strombichus, Polysperchontis praefectus, in illa urbe relictus esset: Diod. XX 102/3.
7) Plutarchus, Demetrius 25: *Δημήτριος παρελθὼν εἰς Πελοπόννησον οὐδενὸς ὑφισταμένου τῶν ἐναντίων προσηγάγετο . . Ἀρκαδίαν πᾶσαν πλὴν Μαντινείας.* — In hanc expeditionem Orchomeni expugnatio cadit etiamtum Polysperchontis praesidio firmati et verba '*προσηγάγετο Ἀρκαδίαν πᾶσαν πλὴν Μαντινείας*' ad '*μετὰ τὴν ἅλωσιν ταύτης τῆς πόλεως οἱ τὰ σύνεγγυς φρούρια κατέχοντες παρέδωκαν αὐτῷ τὰ χωρία*' referam (Diod. XX 103). — Quo facto in Isthmum concilio convocato Graeciae dux designatus est.
8) Plut. Demetr. 31: *ἐξέπιπτον ἑκασταχόθεν αἱ φρουραὶ καὶ πάντα μεθίστατο πρὸς τοὺς πολεμίους.*

Paucis annis post denuo in Peloponnesum progressus quasdam urbes, quae ab eo defecerant, in dicionem suam redegit Messene frustra oppugnata.[1])

Si iter Messenen versus respicimus, hanc expeditionem ad Arcadicas urbes pertinuisse conicere nobis licet. De Megalopoli nihil memoriae proditum est.

Cum rursus in Peloponnesum ad Spartam subigendam incursionem fecisset, Archidamo, Eudamidae filio, apud Mantineam devicto in Laconicam invasit; sed urbem expugnare ei non contigit.[2]) Fortasse Archidamus Mantinensibus contra Demetrium et urbes illi deditas auxilio venerat; atque cum Spartiatis bellum a Demetrio inferretur, Megalopolitas antiquitus in Macedones propensos etiamtum illi favisse verisimillimum est. Vt brevi praecidam, illis temporibus Arcadas nunquam coniunctos fuisse in promptu est: nam Megalopolitae inde a Philippi morte plerumque a Tegeatis, Orchomeniis, Mantinensibus dissenserunt, qui ad Lacedaemonios inclinabant.

Sequitur tempus, quo de rebus gestis Megalopolitarum nihil fere traditum est. Cum Pyrrhus in Italia abesset et Celtae Ptolemaeo Ceranno interempto per Thermopylas usque ad Delphos procederent, Arcades, sicut ceteri Peloponnesii recusaverunt, ne opem ferrent, quia sibi periculum a Lacedaemoniis immineret.[3])

Atque non sine causa domi remanserunt, quippe cum paullo ante Areus, Spartiatarum rex (ex Eurysthenis domo oriundus, Acrotati filius, qui Cleomeni avo successerat Cleonymo patruo neglecto)[4]), per totam Peloponnesum profectus Aetolis bellum intulisset.[5]) Haud scio an Megalopolitae iam tum foedus cum Antigono Gonata, filio Demetrii Poliorcetae, inierint; qui illo tempore regno expulsus Ptolemaeum Ceraunum bello persequebatur, cui Spartiatae faverunt, sicut etiam Ptolemaeo Philadelpho.[6])

In medio relinquendum est, num Megalopolitae Pyrrhum adiuverint, cum per eorum urbem progressus expeditionem ad irritum redactam in Laconicam suscepit.[7])

1) Plut. Demetr. 33.

2) Plut. Demetr. 35 (a. 294).

3) Pausanias VIII 6.

4) A Diodoro XX 29 Areus falso filius Cleomenis commemoratur: Plutarchus Agis III *Ἀρεὺς υἱωνὸς ὢν Κλεομένους*.

5) Iustinus XXIV 1 sq.

6) Titulus paullo infra commemorandus: (Dittenberger syll. I p. 252) *Λακεδαιμόνιοι φίλοι καὶ σύμμαχοι τοῦ βασιλέως ὄντες Πτολεμαίου*.

7) Plut. Pyrrhus 26: Ex verbis *'ἔφη ἐλευθερώσων τὰς ὑπ' Ἀντι-*

Pyrrho Argis occiso in Peloponneso dissensiones continuabantur.[1])

Quae Polybius de tyrannis ab Antigono Gonata undique constitutis exponit, ad Arcadiam quoque pertinent atque Aristodemum, Megalopolitarum priorem tyrannum, inter illos numerandum esse apparet, per quos Antigonus potentiam in Graecia recuperabat.[2])

Ad haec optime quadrat, quod illis temporibus communis Arcadum civitas plane dissoluta erat, ut ex titulo quoque maximi momenti Athenis in arce invento[3]) intellegitur. Secundum illam tabulam archonte Pithidemo foedus ictum est cum Lacedaemoniis, Ptolemaeo Philadelpho, Eleis, Achaeis, Tegeatis, Mantinensibus, Orchomeniis, Phialensibus, Caphyensibus, Cretensibus. Megalopolitae desunt. Lacedaemoniorum rex Areus commemoratur, qui post Cleomenem avum quadraginta quattuor annos regnavit[4]) atque in Chremonideo bello[5]) Atheniensibus adversus Antigonum Gonatam auxilio profectus apud Corinthum interiit. Cum bellum paullo ante annum ducentesimum sexagesimum quintum illo foedere icto exarsisse verisimillimum sit, iam ea aetate Aristodemum rerum potitum esse suspicor.

Hic fuit Artylae Phigalensis filius et a Tritaeo Megalopolita amplissima familia nato adoptatus tyrannidem occupavit[6]), sed potentia sua ad impotentiam non utebatur et animo benigno clemen-

γόνῳ πόλεις ἀφῖχθαι' cives etiamtum Antigono deditos fuisse conicere nobis licet.

1) Iustinus ex Trogo Pompeio l. XXVI 1: Post mortem Pyrrhi non in Macedonia tantum, sed etiam in Asia Graeciaque magni bellorum motus fuere. Nam et Peloponnesii per proditionem Antigono traditi: ... prout singulae civitates aut auxilium de Pyrrho speraverant aut metus sustinuerant, ita aut cum Antigono societatem iungebant aut mutuis inter se odiis in bellum ruebant; — verba 'Peloponnesii per proditionem Antigono traditi' ad tyrannos illo tempore rerum potitos referenda sunt Polybius quoque (II 41) exponit eadem aetate, qua primordia Achaici foederis fuerunt (284/1) in Achaia undique tyrannos exstitisse — *περὶ τὴν εἰκοστὴν καὶ τετάρτην ὀλυμπιάδα πρὸς ταῖς ἑκατόν — συνέπεσε τὰς μὲν ἐμφρούρους αὐτῶν γενέσθαι διά τε Δημητρίου καὶ Κασσάνδρου καὶ μετὰ ταῦτα δι' Ἀντιγόνου τοῦ Γονατᾶ, τὰς δὲ καὶ τυραννεῖσθαι· πλείστους γὰρ δὴ μονάρχους οὗτος ἐμφυτεῦσαι δοκεῖ τοῖς Ἕλλησι.*

2) Plass, Tyrannis II 162.

3) Dittenberger, syll. I 163 p. 251/3

4) Diod. XX 29. 309/265.

5) *ὁ Χρεμωνίδειος πόλεμος* Hegesander apud Athenaeum VI p. 250 cf. titulum *Χρεμωνίδης Ἐτεοκλέους Αἰθαλίδης εἶπεν.* — Paus. III 6; Plut. Agis III: *Ἀρέως πεσόντος περὶ Κόρινθον.*

6) Pausan. VIII 27.

tique erat, ut ei nomen '*Χρηστός*'[1]) inderetur. Cuius sub tyrannide Acrotatus, qui Areo patri successerat, in Megalopolitim incursione facta devictus et occisus est[2]); quo facto de manibiis porticum in foro sitam, *Μυρόπωλις* quae vocabatur, aedificavit.

Praeterea templum Dianae ab eo exstructum commemoratur, quod ab urbe tredecim stadia in via Methydrium versus ducente aberat.[3]) Tempus, quo proelium commissum sit, accurate definiri omnino non potest.

Aristodemus ipse, etsi mansuetudine ceteros tyrannos multo superavit, iam ante annum ducentesimum quinquagesimum primum trucidatus est ab Ecdemo et Demophane, Megalopolitis in exsilium eiectis, qui patria carentes Arcesilai convictu in Academia utebantur.[4]) Eodem enim anno Aratum in evertendo Nicocle, Sicyoniorum tyranno, adiuverunt idque post necem Aristodemi patratam esse factum apparet ex ordine, quo et Polybius et Plutarchus in Philopoemenis vita res gestas exponunt.

Aristodemi sepulcrum, cuius memoriam Megalopolitae coluerunt, etiam Pausaniae aetate apparuit.[5])

Vt ad illos tyrannicidas revertar, illorum factum ex mente Academiae, qualis fuit sub Arcesilao, videtur manavisse, ut ex Plutarcho concludere possumus[6]), quippe cum etiam Sicyone Nicoclem expulerint.

Aristodemo interempto aliquamdiu Macedonum potentia repressa est, atque Lydiadas, qui alter Megalopolitarum tyrannus exstitit, illorum ratione denuo habita videtur rerum potitus esse.[7])

Pausaniae testimonium[8]) prorsus falsum est, cum etiam post annum ducentesimum sexagesimum quintum, quo Areo occiso Acrotatus filius successerat, Aristodemus potestatem obtinuerit atque

1) Pausan. VIII 27, 11; 36, 5.

2) Pausanias hunc Acrocatum cum avo hic confundit, qui nunquam ad regnum pervenit. cf. Pausan. III 6, 2; Plut. Agis III.

3) Pausan. VIII 30. 35.

4) Polybius X 22 (25): *Ἔκδημος* — *Δημοφάνης*.
Plut. Philop. I: *Μεγαλοφάνης*.
Aratus V: *Ἔκδηλος*.
Pausan. VIII 49, 2: *Ἔκδηλος*; *Μεγαλοφάνης*.
Polybii lectio praeferenda est.

5) Pausan. VIII 36.

6) Plut. Philop. I: *φιλοσοφίαν μάλιστα τῶν καθ' ἑαυτοὺς ἐπὶ πολιτείαν καὶ πράξεις προαγαγόντες*.

7) Polybius II 44.

8) Pausan. VIII 27: *μετὰ Ἀριστόδημον τελευτήσαντα δύο μάλιστα ὕστερον γενεαῖς ἐτυράννευσε Λυδιάδης*.

triginta annis peractis Lydiadas tyrannide se abdicaverit. Sed tempus, ut iam supra commemoratum est, accuratius definiri potest, cum paullo ante Sicyonem liberatam Aristodemus mortem occubuisse videatur, atque ad sententiam inclino decennium fere intra utriusque tyrannidem intervallum fuisse; quo Pausania auctore ab Agide quarto Megalopolis victoria in acie parta obsidebatur, atque urbs tantummodo aquilone servata esse dicitur, qui Agidis opera contudisset[1]); quo facto pugnam apud Mantineam commissam esse exponit, in qua Mantinenses Podare duce in dextro cornu, Arcades ceteri et Megalopolitae in sinistro stetissent Lydiada et Leocyde imperantibus, mediam aciem Arati ductu imperioque Sicyonii et Achaei obtinuissent, quibus consulto regressis Lacedaemonios acrius instantes et ab utroque Arcadum cornu circumventos magnam cladem Agide ipso interfecto accepisse traditum est.[2])

Droysenius ex plana proelii descriptione re vera apud Mantineam eadem aetate decertatum esse censet, atque si rem ipsam spectamus, fieri potuit, ut Agis Megalopolitis bellum inferret mortis Acrotati ulciscendae causa.

Ne id quidem quod Plassius attulit, ut proelium nunquam factum esse demonstraret 'eodem tempore Arcadas cum Megalopolitis coniunctos non fuisse', refragatur, cum infra demonstraturus sim intra Aristodemi necem et Lydiadae tyrannidem foedere icto communem Arcadum civitatem magna ex parte restitutam esse. Sed alia sunt, quae illi testimonio repugnant:

Mirum enim est Plutarchum, in hac re auctorem gravissimum, et in Arati et in Agidis vita expeditionum regis mentionem non fecisse una excepta, quam Achaeis impetrantibus contra Aetolos usque ad Isthmum progressus susceperat.[3])

Neque Plutarchum res in pace gestas tantummodo memoriae prodere voluisse colligere nobis licet.

Pausanias eum cum Agide Alexandri temporibus Megalopolitas bello persecuto videtur confudisse. Nec minus ea, quae de urbe oppugnata et ab interitu retracta traduntur, ad prioris Agidis (et Polysperchontis) oppugnationem aliqua ex parte quadrant. Praeterea ei victoria Philopoemene duce a Machanida apud Mantineam reportata ante oculos obversabatur, in quo proelio tyrannus ille Achaeis

1) Pausan. VIII 27.
2) Pausan. VIII 10.
3) Plut. Agis XIII cf. etiam *σύγκρ.* III: *Ἆγις οὐδὲν ἀπεδείξατο στρατηγίας ἔργον.*

Arcadibusque coniunctis adversatus interiit. Denique constat non in proelio, sed domi Agidem periisse.

Lydiadas ex nobili familia oriundus[1]) ante annum ducentesimum et quadragesimum videtur rerum potitus esse, postquam iam imperator creatus est, id quod ex Pausania, etsi ceteroqui in hac re ei fides non tribuenda est, eruere possumus. Potestatem adeptus Alipheram antea in Megalopolitim contributam Eleis tradidit propter privatas quasdam causas, cum paullo ante iam Triphylia in illorum potestatem redacta esset.[2])

Hoc maximi momenti est ad tempus tituli definiendum, qui Arcadum civitatem ad breve tempus restitutam respicit. Praeterea de eius tyrannidis rebus gestis nihil fere constat, quam homo minime pravo ingenio non, ut multi eiusdem generis, intemperantia et cupiditate civibus iniuriae inferendae adductus occupaverat, sed gloriae et honorum studio iuvenis excitatus erat.[3]) Quibus causis permotus esset, ut illa se abdicaret, Polybius et Plutarchus potissimum memoriae prodiderunt: partim ex eius onere magnam molestiam eum cepisse, partim metuisse, ne Aratus, cuius potentia in Peloponneso in dies crescebat, sibi insidias strueret, atque prudentem et providum ad illud consilium descendisse.[4]) Quod factum est vivo etiamtum Demetrio, Antigoni Gonatae filio, qui decem annos regnavit[5]) eodemque tempore diem supremum obiit, quo Romani primum in Illyricum transierunt Cn. Fulvio A. Postumio consulibus. Ceterum idem rex, sicut antea pater, tyrannos sustentabat[6]) atque fortasse illo fretus Lydiadas initio rerum potitus est.

Sequitur nunc alia tempestas, qua Megalopolis magna commutatione facta Achaeorum societati addicta est.

Sine dubio Lydiadas per occulta colloquia cum Arato pactus est, ut etiam insequenti tempore in omni actione atque administratione rei publicae Achaeorum floreret.[7])

Venio nunc ad titulum, ex quo efficitur communem Arcadum civitatem magna ex parte inter Aristodemi et Lydiadae dominatus restitutam esse. In pila Tegeae reperta (in vico, cui nunc nomen est Piali) prope templum Minervae Aleae decretum honoris Phy-

1) Pausan. VIII 27.
2) Polybius IV 77, 10.
3) Plut. Arat. 30; Pausan. VIII 27, 12.
4) Polybius II 44.
5) 239/29.
6) Polybius ibidem.
7) Polybius II 44; Plut. Arat. 30: *ἐφ' οἷς μεγαλύνοντες αὐτὸν οἱ Ἀχαιοὶ στρατηγὸν εἵλοντο.*

larchi Atheniensis causa factum est insculptum.[1]) Ad quartum saeculum hunc titulum non pertinere vel inde apparet, quod Orchomenii et Heraeenses iam initio, deinde Mantinenses et ex Alexandri aetate Tegeatae quoque se a Megalopolitis seiunxerunt. Polysperchontis Cassandrique porro aetate illos cum Orchomeniis et Tegeatis quidem non coniunctos fuisse, iam supra commemoratum est. Deinde initio tertii saeculi Demetrii Poliorcetae et Pyrrhi temporibus turbulentissimis societatem restitutam esse vix credibile est. Sequitur bellum Chremonideum, quo foedere icto Tegeatae, Mantinenses, Orchomenii, Phi(g)alenses, Caphyenses atque Megalopolitae certe in diversas partes abierunt. Exstitit eadem aetate Aristodemus atque tyrannidem ad societatem cum liberis civitatibus ineundam esse idoneam haud quisquam affirmaverit. Quodsi intra Aristodemi et Lydiadae dominatus titulum compositum esse statuimus, omnia optime quadrant.

Ac primum maximi momenti est Lepreatarum in titulo commemoratio, quos paullo ante Alipheram Eleis a Lydiada concessam a societate cum Megalopolitis inita descivisse apparet.

Postquam autem Lydiadas Megalopolim ad societatem cum Achaeis faciendam perduxit, universa Arcadum civitas sublata est, praesertim cum eadem fere aetate Orchomenus, Tegea, Mantinea[2]) ad tempus tantummodo Achaeis dedita[3]) Aetolos sequerentur. In hac re prorsus Klattium[4]) sequor, qui sagacissime Foucarti definitionem aetatis reiecit. Is enim initio anni ducentesimi vicesimi quarti, quo Cleomenes undique victor Arcadas ad foedus ineundum perpulisset, hunc titulum ortum esse probabat, id quod iam propter Lepreum etiam anno ducentesimo vicesimo sub Eleorum potestatem

1) Dittenberger I 167 p. 260 sq.; Cauer p. 290: *ἔδοξεν τῆ βουλῆ τῶν Ἀρκάδων καὶ τοῖς μυρίοις Φύλαρχον Λυσικράτους Ἀθηναῖον πρόξενον καὶ εὐεργέτην εἶναι Ἀρκάδων πάντων αὐτὸν καὶ γένος.* — In medio relinquo, num rerum scriptor Phylarchus in hoc titulo commemoratus sit, qui aequalis Arati et Cleomenis fuit. Praeterea ne certum quidem est, utrum Atheniensis an Naucratita fuerit (Suidas).

2) Polybius II 46: *Κλεομένους παρῃρημένου Τεγέαν, Μαντίνειαν, Ὀρχομενόν, τὰς Αἰτωλοῖς οὐ μόνον συμμαχίδας ὑπαρχούσας, ἀλλὰ καὶ συμπολιτευομένας τότε πόλεις.*

3) Polybius II 57: *Μαντινεῖς τὸ μὲν πρῶτον ἐγκαταλιπόντες τὴν μετὰ τῶν Ἀχαιῶν πολιτείαν ἐθελοντὶ Αἰτωλοῖς ἐνεχείρισαν αὐτούς.* Orchomenii quoque paullisper in foedus Achaicum contributi erant, ut ex verbis (Polyb. IV 6) intellegitur: (Antigonus) *Ὀρχομενὸν κατὰ κράτος ἑλὼν οὐκ ἀ π ο κατέστησε τοῖς Ἀχαιοῖς.*

4) Forschungen z. Gesch. d. ach. Bundes I 93 sq.

redactum et propter Megalopolitarum in Macedones inclinationem odiumque in Lacedaemonios inveteratum nullo modo fieri potuit.

Praeterea coniectura haud improbabilis est Ecdemum et Demophanem Aristodemo interempto Arati (Sicyone in libertatem vindicata societatem Achaicam firmantis) exemplum secutos ad communem Arcadum civitatem magna ex parte restitutam plurimum valuisse.

Neque mirari nobis licet in hoc titulo Maenalios et Cynurios sui iuris esse, id quod ad partem utriusque gentis tantummodo referendum est et pagos longe remotos, velut Aleam. Facile fieri potuit, ut Aristodemo tyrannidem obtinente illi a Megalopolitis desciscerent; Cynurios porro universos in Megalopolitim initio contributos esse pro certo affirmare non possumus. In hac regione iam antea res dubias fuisse ex Polybio concludam, praesertim cum Lycoatae aegre Megalopolim sedes transtulerint.[1]) Deinde tanta pericula in Megalopolitas redundabant, ut nonnulli pagi perfacile libertatem recuperare possent.

Secundum titulum civitatis participes fuerunt Tegeatae, Maenalii, Cynurii, Orchomenii, Lepreatae, Megalopolitae, Mantinenses, Clitorii, Heraeenses, Thelphusii.

Desunt Phigalea, Psophis, Cynaetha, Caphyae, Pheneus, Stymphalus, quae oppida iam antiquitus Stymphalo[2]) fortasse excepto a societate aberant.

In titulo commemoratur conventus et senatus[3]) atque inter illa duo concilia eadem ratio videtur intercessisse atque in aliis civitatibus inter senatum et comitia.[4]) *Δαμιοργοί*[5]), quorum mentio fit, intellegendi sunt, qui ad tempus senatui praeerant, sicut Atheniensium prytanes. Secundum 'damiorgorum' numerum Megalopolitae in foedere singularem potentiam obtinuerunt, cum duplo plures eis essent, quam Tegeatis, Cynuriis, Mantinensibus, Orchomeniis, Clitoriis, Heraeensibus, Thelphusiis, Maenaliis Lepreatisque coniunctis. Summa omnium fuerunt quinquaginta. Cum Tegeatae in titulo primum locum obtineant, locus, quo convenerunt, Tegea videtur fuisse.

Quae omnia si nobiscum reputaverimus, illum titulum intra annos ducentesimum quinquagesimum et ducentesimum quadragesimum fere compositum esse intellegemus.

1) Polybius IV 77; Pausanias VIII 27.
2) Xenoph. VII 3, 1: *Αἰνέας Στυμφάλιος στρατηγὸς τῶν Ἀρκάδων.*
3) *ἔδοξεν τᾷ βουλᾷ . . . καὶ τοῖς μυρίοις.*
4) Dittenberger syll. I p. 261.
5) Thucydides V 47, 9: *δημιουργοί* apud Mantinenses.

CAP. V.

DE MEGALOPOLI FOEDERIS ACHAICI PARTICIPE.

Postquam Lydiadas tyrannide se abdicavit, magna commutatione rerum facta foederis Arcadici dehinc nulla amplius mentio est. Nihilominus tamen insequenti quoque aetate Megalopolis multum valuit, etsi bello Cleomeneo coorto magnopere vexabatur.

Deinde Lydiadas ter alternis cum Arato imperans praeturam obtinuit[1]), sed inimicitiis adversus eum susceptis quartum non creatus est.

Vera causa, quam ob rem bellum inter Achaeos et Cleomenem exarsit, fuit ambitus extensioque foederis Achaici in dies latius serpens, atque Cleomenes partim veritus, ne Aratus se praeoccuparet, partim facilius in bello, quam in pace rem publicam mutari posse ratus[2]) ad bellum gerendum ingressus est, postquam cum Aetolis consilia communicavit.[3])

Vt contra Achaeos propugnaculis niteretur, Tegeam, Mantineam, Orchomenum Aetolis haud invitis intercepit[4]), quae oppida eo tempore foedere cum illis coniuncta et antiquitus in Lacedaemonios propensa fuerunt.

Athenaeo (castello in finibus Megalopolitidis haud procul a Sciritide et Belminatide sito) demum a Cleomene occupato Aratus quoque oppugnatione Orchomeni et Tegeae ad irritum redacta bellum indixit.[5])

Antiquitus illud castellum in Lacedaemoniorum potestatem redactum a Philippo Macedone Megalopolitis una cum agro Belminatide addictum erat. Eodem igitur tempore Aegytide quoque occupata[6]), fines, sicut fuerunt ante proelium Leuctricum et Macedonum principatum in Arcadiam versus, Lacedaemoniis a Cleomene ad tempus[7]) restituti sunt.

1) Plut. Arat. 30: 234/33. 232/31. 230/29 (Klatt.)
2) Cleom. 3.
3) Polybius II 46.
4) Polybius II 46; anno 229.
5) Plut. Cleomen. 4: *τὸ περὶ τὴν Βέλβιναν Ἀθήναιον. Ἐμβολὴ δὲ τῆς Λακωνικῆς τὸ χωρίον ἐστὶ, καὶ τότε πρὸς τοὺς Μεγαλοπολίτας ἦν ἐπίδικον.* 6) Polybius II 54. 7) ad tempus: 229/21.

Paullo post Aratus Caphyis potitus est, quae Orchomeniis vicinae ad Aetolos videntur inclinavisse atque fortasse nunquam cum Megalopolitis coniunctae fuerunt, praesertim cum in illo titulo non commemorentur. Contra ea Cleomenes Methydrium cepit atque illud oppidum Orchomeniis ea aetate redditum esse suspicor. Profectio Orchomenum Methydriumque versus iam in proximum annum cadit, quo Aristomachus, postquam Argorum tyrannidem deposuit, Achaeorum praetor electus est, atque cum ad Pallantium Achaei Cleomeni copiarum numero inferiori occurrissent, Arato auctore etiamtum plurimum valente ad proelium committendum non descenderunt.[1]) Insequenti anno denuo Aratus Lydiada suffragiis superato praetor factus est.[2])

Aratus, cum Elide relicta, ubi incolas Achaeis infestos bello erat persecutus[3]), in Arcadiam se recepisset, apud Lycaeum montem a Cleomene devictus est, sed praeter exspectationem Mantinenses, Aetolorum et Lacedaemoniorum socios, adortus urbe expugnata praesidium ibi collocavit metoecosque donavit civitate, quo factum est, ut ad tempus Mantinea rursus in Achaicum foedus contribueretur.[4])

Paullo post Lacedaemoniis denuo Megalopolitas aggressis Achaei apud Ladocea, Megalopolis suburbium, fusi ac fugati sunt, in quo proelio Lydiadas indignatus, quod Aratus victoriam paene partam dimiserat, hostibus instans fortissimeque pugnans mortem oppetivit. Iam antea rex Megalopolitis Leuctra eripuerat. His cladibus acceptis Megalopolitarum opes magnopere fractae ac debilitatae sunt.[5])

Deinde Aratus, cui crimini datum est, quod Lydiadam in angustias adductum deseruit, postquam consilium praeturae deponendae abiecit, necopinato Orchomenum profectus Megistono, Cleomenis vitrico, victo et capto urbem cepisset, nisi rex frumento eam adiuvisset, qui paullo post Heraea et Alea quoque potitus est.[6])

1) 228/27; Plut. Arat. 35; (Cleomen. 4): *κωλύσας περὶ τὸ Παλλάντιον . . μάχην συνάψαι τὸν Ἀριστόμαχον.*

2) Ibidem: 227/26.

3) Cleom. 5: *Ἠλείοις πολεμουμένοις ὑπὸ τῶν Ἀχαιῶν.*

4) Plut. Arat. 36; Polyb. II 51; II 57 de Mantinea: *ἔτει τετάρτῳ πρότερον τῆς Ἀντιγόνου παρουσίας.*

5) Thucyd.: *Λαοδίκιον τῆς Ὀρεσθίδος* (IV 134). Pausan. VIII 44: *Λαδόκεια . . τὰ πρὸ τοῦ ἄστεως.* Plut. Cleom. 6; Arat. 36 sq.; Polybius II 51: *ἡττήθησαν ἐν τοῖς Λαδοκείοις καλουμένοις τῆς Μεγαλοπολίτιδος.* II 55: *ἀπολωλότας τοὺς πλείστους τῶν ἐν ταῖς ἡλικίαις ἔν τε τῇ περὶ τὸ Λύκαιον καὶ μετὰ ταῦτα τῇ περὶ Λαδόκεια μάχῃ.*

6) Plut. Arat. 37 sq.; Cleom. 7; Klatt I p. 113. Lectio '*Ἀλσαία*' reicienda est atque mea quidem sententia duarum emendationum '*Ἀλέα*'

Ex Cleomenis expeditionibus per totam fere Arcadiam susceptis Megalopolim iam eo tempore obsidione perpetua clausam esse apparet. Ab eadem fere aetate eo prosperius rem gerebat Cleomenes, quod Spartae liberam potestatem nanctus est; neque enim, ut antea, magistratus, ephoros potissimum, respexit, sed illis occisis, divisis agris, inquilinis civitate donatis potentiam liberam solutamque obtinuit.

Civitate constituta denuo in Megalopolitim ingressus agebat ferebatque et agros depopulabatur.[1] Denique hostes irridens in eorum finibus theatrum erexit, unde eum Mantinenses inviti Achaico foederi addicti auxilio arcessiverunt, qui noctu ex improviso in urbem irruptione facta Achaeorumque praesidio eiecto eius fidem secuti sunt, quo facto pristina res publica restituta est.[2] Itaque cum Tegea[3]), Orchomenus, Heraea etiamtum in fide regis manerent, Megalopolitae ab Arcadibus quoque in obsidione tenebantur ab Achaia dirempti.[4]

Quo tempore Hyperbatas praetor Achaeorum fuit[5]), Aratus suis opibus diffidens cum Antigono Dosonte, Macedonum rege, consilia communicare constituit.

Cum Megalopolitas ab Achaeis destitutos et in maximas angustias adductos esse intellegeret, praeterea satis pro certo sciret, illorum animos iam inde a Philippi, Amyntae filii, temporibus in Macedones esse propensos, non dubitavit, quin etiamtum libentissime ad Antigoni opes confugituri essent. Nicophanes et Cercidas Megalopolitae, quibuscum ei hospitium paternum intercedebat, ad illud negotium suscipiendum videbantur apti esse. Horum alter, Cercidas, certe fuit a Cercida illo oriundus, qui Philippi aetate vixit. Megalopolitae illos ad Achaeorum concilium atque inde, si idem placuisset, statim ad Antigonum proficisci iusserunt. Quo facto ad regem de periculis toti Peloponneso imminentibus rettulerunt et a Cleomene et Aetolis etiamtum quidem quiescentibus, sed occasione data ad bellum gerendum propensis

'*Ἀσαία*' (vel potius *Ἀσέα*) '*Ἀλέα*' est praeferenda, quod oppidum iam antecedente aetate a Megalopoli defecisse videatur ('*Μαινάλιοι*' in titulo supra allato); praeterea verba *Ἡραίαν καὶ Ἀ . . . τὰς πόλεις ταττομένας ὑπὸ τοῖς Ἀχαιοῖς* respicio (cf. Cleom. 6 *τῆς Μεγαλοπολίτιδος Λεῦκτρα*).

1) Plut. Arat. 38; Cleom. 12.

2) Cleom. 14.

3) Ibid.: *ἀπῆλθεν εἰς Τεγέαν*.

4) Polybius II 48: *οὐ τυγχάνοντες τῆς καθηκούσης ἐπικουρίας ὑπὸ τῶν Ἀχαιῶν*.

5) 226/25.

futuris, quibus a Macedonibus neglectis facile fieri posset, ut extra Peloponnesum de imperio fortunam periclitaretur.

Arati mandatis cognitis primum Megalopolitas certiores fecit se auxilium laturum, si Achaei quoque consensissent.

Postquam Nicophanes et Cercidas domum reverterunt, cives omni spe salutis in Macedonum adventu posita Aratum hortabantur, ut Antigonum quam celerrime arcesseret. At ille, quoad fieri posset, id unum agebat, ne cuiusquam auxilio indigeret, et illa spe ad irritum redacta demum ad auxilium petendum descendere consilium iniit.[1])

Sequitur pugna ad Hecatombaeum (in Dymaeorum finibus situm) commissa, qua Achaeorum copiae Hyperbata praetore ad internicionem redactae sunt.[2]) Itaque ea factio, quae ad pacem faciendam inclinabat, in dies augebatur atque Aratus, in quem inde a Lydiadae morte magna pars, egentes pauperesque potissimum in Cleomenem propensi, odio inflammata erat, usque ad illam aetatem alternis annis praeturam gerere solitus eam recusavit atque ita Timoxenus praetor creatus est.[3])

Iam in eo erat, ut pax componeretur per imperium Cleomeni deferendum, cum Aratus, ut brevi praecidam, eos subire condiciones prohibuit.

Quam ob rem Cleomenes Achaeos denuo bello persecutus, Caphyas, Pellenen, Pheneum, Argos, Phliuntem, Cleonas, Epidaurum, Hermionen, Troezenem, postremo Corinthum Acrocorintho excepta in dicionem suam redegit.[4]) Tum demum Aratus, cum periculum esset, ne foedus Achaicum plane dissolveretur, Antigonum ex Macedonia arcessivit.

Post regis adventum statim magna rerum commutatio facta est, cum Achaei Argivorum urbe (Timoxeno iterum praetore) rursus potiti essent.[5]) Deinde Antigonus in Arcadiam invasit et Aegytim Belminatimque Megalopolitis restituit.[6])

Quo facto Aegium profectus summus dux omnium sociorum creatus est.[7])

1) Polybius II 48—51.

2) Idem II 51; Plut. Cleom. 14; Arat. 39.

3) Plut. Cleom. 17; Timoxenus. Plut. Arat. 38 sq. a. 225/24.

4) Polybius II 52; Plut. Cleom. 14 sq.; Arat. 40 sq.

5) Polybius II 53; a. 223/22.

6) Idem II 54: *ἐκβαλὼν τοὺς φρουροὺς ἐκ τῶν ἐποικοδομηθέντων χωρίων ὑπὸ Κλεομένους κατά τε τὴν Αἰγῦτιν καὶ Βελμινᾶτιν χώραν καὶ παραδοὺς τὰ φρούρια Μεγαλοπολίταις.*

7) Polybius II 54: *ἡγεμὼν ἁπάντων τῶν συμμάχων.*

Iam Cleomenes in Laconicam conclusus est, postquam Tegeatae, Orchomenii, Mantinenses, Heraeenses, Telphusii se Macedonibus dediderunt. Orchomeni eorum praesidium collocatum est, ut Arcadia in proximum tempus illorum arbitrio obnoxia fieret[1]); gravissima autem pernicies Mantineae ob defectionem est allata, cuius nobilissimi cives partim necati partim in servitutem abducti sunt. Deinde urbs Achaeis[2]) donata Arato auctore in regis honorem Antigonea appellata est, quod nomen usque ad Hadriani imperatoris tempora retinuit.

Dum Antigonus Aegii moratur Macedonibus hiemandi causa domum missis, Cleomenes occasionem rei bene gerendae sibi oblatam esse ratus, cum Aegium tridui itinere Megalopoli abesset atque urbem propter amplitudinem et solitudinem haud facile defendi posse et neglegentius custodiri intellegeret, in proeliis ad Lycaeum montem et Ladocea magna parte civium occisa, Messeniis exsulibus, qui ibi degebant, in societatem assumptis, tum denuo oppidum noctu aggressus est. Tribus enim mensibus ante, cum eam proditione capere sibi proposuisset et cum iis, qui ad Pholeum locum custodias agebant, de tertia vigilia se venturum constituisset, re infecta rediit, quia circa Pleiadum exortum noctes brevissimas esse ad tempus secum non consideravit. Vbi enim illuxit, per vim irrumpere conatus multis amissis repulsus est.[3])

Sed tum Megalopoli potiri ei contigit. Sellasia profectus per Helicuntem[4]) in Megalopolitim contendit. Cum haud procul abesset, Panteum cum parte copiarum praemisit, ut spatium inter duas turres interiectum (cui loco '*Φωλεός*' nomen inditum est) neque praesidiis satis firmatum occuparet. Panteus, qui maximam moenium partem defensoribus nudatam offenderat, omnibus locis superioribus occupatis una cum Cleomene urbe potitus est. Sed civibus fortissime resistentibus etiamtum pericula in Lacedaemonios redundabant, quo factum est, ut plurimi cum Philopoemene Messenen, in

1) Plut. Arat. 45; Polybius IV 6: *βουλόμενος μὴ μόνον τῆς εἰσόδου κυριεύειν τῆς εἰς Πελοπόννησον, ἀλλὰ καὶ τὴν μεσόγαιαν αὐτῆς παραφυλάττειν διὰ τῆς ἐν Ὀρχομενῷ φρουρᾶς.*

2) Sic Curtio auctore (Pelop. I 268) pro Argivis legendum est. *Ἀργείων — Ἀχαιῶν*; Pausan. VIII 8.

3) Polybius II 55 sq.: *τὴν πόλιν . . εἰδὼς δυσφύλακτον οὖσαν διὰ τὸ μέγεθος καὶ ἐρημίαν*; IX 18: *τρισὶ μησὶ πρότερον*; (222); II 55: *Φωλεόν* quoque pro '*Κωλαιόν*' legendum est. Vox significat latibulum.

4) Hic locus ad orientem versus videtur situs fuisse, quoniam quadrat ad verba '*ὡς τὴν Ἀργολικὴν κακουργήσων*' (Cleom. 23) neque cum Helissonte vel Helissunte supra commemorata commutandus est.

oppidum etiam illa aetate amicum, confugerent, cum ii qui arma ferre poterant, ceteris tutum ex urbe discessum praeberent. Circiter mille tantummodo in hostium potestatem venerunt, inter quos Lysandridas et Thearidas fuerunt, viri ex amplissimis familiis nati.[1]) Thearidas fuit fortasse Polybii avus, sicut ex titulo et decreto in honorem Lycortae patris facto concludere possumus.[2])

Lysandridas primo a Cleomene impetravit, ne urbs everteretur atque civibus reddita conservaretur ea condicione, ut cum Lacedaemoniis foedus iceret.[3]) Ille cum Thearida et caduceatore Messenen missus ad illas condiciones subeundas cives perducere non potuit Philopoemene potissimum adversante. Hoc nuntio allato Cleomenes, qui urbem integram conservaverat, statim plerasque eius partes vastavit et bonis direptis deportatisque Spartam statuis ex ruinis discessit.[4])

Quanquam Polybius nulla unquam aetate a Cleomene quemquam Megalopolitam conciliari potuisse affirmat[5]), tamen alio loco proditores in urbe fuisse exponit[6]) neque ad Messenios exsules solos hoc referendum est, id quod facile intellegitur, cum Cleomeni etiam extra fines Laconicae egentes faverint[7]), etsi maxima pars in Lacedaemonios odio inflammata erat.

Eodem tempore, quo Megalopolitarum opes fractae ac debilitatae sunt, in urbe iam Philopoemen adoleverat[8]), qui patriam Graecorum libertate evanescente suis virtutibus ornavit. Nobilissimo genere ortus a Cleandro Mantinensi exsule institutus est, postquam Craugis pater mature diem supremum obiit. Adulescens sequebatur amicitiam Ecdemi et Demophanis, qui sine dubio iuveni libertatis amorem inseverunt, cui per totam vitam deditus erat. Cum iam praeter ceteros virtute floruisset patria a Lacedaemoniis oppressa, haud minorem gloriam sibi paravit, cum Antigonus Achaeique contra

1) Polybius II 55; Plut. Cleom. 23 sq.; Philop. 5; Pausan. VIII 49.

2) *ἁ πόλις ἁ τῶν Λακεδαιμονίων Λυκόρταν Θεαρίδα Μεγαλοπολίταν ἀρετᾶς ἕνεκεν καὶ εὐνοίας, ἃς ἔχων διατελεῖ εἰς αὐτάν. Ἐφημερὶς ἀρχαιολογική* 1885, p. 28 (*ἀριθ.* 81).

3) Plut. Cleom. 24 (Polybius II 61).

4) Plut. Cleom. 25; Polybius II 55: *γενόμενος ἐγκρατὴς οὕτως αὐτὴν πικρῶς διέφθειρε καὶ δυσμενῶς, ὥστε μηδ' ἐλπίσαι μηδένα διότι δύναιτ' ἂν συνοικισθῆναι πάλιν.*

5) II 55.

6) IX 18: *ἐφύλαττον τὸ τεῖχος οἱ συμπράττοντες αὐτῷ.*

7) Plut. Cleom. 17: *ἐγεγόνει κίνημα τῶν Ἀχαιῶν . . τῶν δήμων νομήν τε χώρας καὶ χρεῶν ἀποκοπὰς ἐλπισάντων.*

8) Plut. Philop. 5: *τριάκοντα ἔτη γεγονώς.*

Cleomenem extremam expeditionem susceperunt et irruptione in Laconicam facta apud Sellasiam decertatum est, quo in proelio copiae Cleomenis fusae ac fugatae sunt, ut Sparta primum expugnaretur. Pugnae praeter equites, quo in numero Philopoemen erat, mille Megalopolitae more Macedonum armati, *χαλκάσπιδες* qui vocabantur Cercida illo duce interfuerunt.[1])

Megalopoli funditus eversa[2]) et Cleomene devicto cives ad oppidum denuo aedificandum omni ferebantur cogitatione atque, sicut in rei publicae angustiis fieri solet, contentiones ortae sunt: primum de moenibus exstruendis: alii enim totius urbis circuitum contrahendum esse censebant, ut si iterum hostium exercitus appropinquaret, eam commode tueri possent, quae magna ex parte muris longius extensis in perniciem incurrisset[3]), cum alii ambitum minui prohiberent, qui videntur pervicisse, quippe cum minutionis mentio non fiat: idem ex urbis vastitate quae insequenti aetate fuit colligi potest.

Sed accesserunt etiam controversiae, quae ad agrorum divisiones pertinebant Cleomenis exemplo pauperibus ante oculos obversato. Vrbe enim devastata novi cives ex pagis circumiacentibus recepti a locupletibus postulabant, ut tertiam agrorum partem singuli sibi concederent. Incertum est, num eorum ratio habita sit.

Cum Antigonus eis Prytanim Peripateticum legum ferendarum causa misisset, extemplo de legibus datis contenderunt, quas dissensiones Aratus demum sedavit, quo factum est, ut condiciones, quibus pax convenit, columnae ad Vestae aram in Iovis 'Homarii' templo constitutae inciderentur.[4])

Sequitur bellum sociale, uno anno post Cleomenis cladem coortum et per triennium gestum, quo Achaei, Messenii, Philippus, rex Macedonum et Antigoni successor, cum Aetolis, Lacedaemoniis, Eleis conflixerunt. Iam initio ad Larissum flumen Philopoemen hostes Damophanto occiso in fugam convertit.[5])

Cum Aetoli sicut in Messeniam, in Megalopolitim invasissent et Clarium castellum occupassent, unde rapinas faciebant, a Timoxeno,

1) Polybius X 22 (25); Plut. Philop. 1; Pausan. VIII 49; Polybius II 65/67; Plut. Philop. 6. a. 221.   2) Polybius V 93.

3) Polybius II 55: *Κλεομένης τὴν πόλιν εἰδὼς δυσφύλακτον οὖσαν διὰ τὸ μέγεθος καὶ ἐρημίαν.*

4) Polybius V 93: *ἦν δὲ τῶν ἐπιφανῶν ἀνδρῶν ἐκ τοῦ Περιπάτου καὶ ταύτης τῆς αἱρέσεως*; fanum Aegii situm fuit; *Διὸς τοῦ Ἀμαρίου* in titulo Orchomenio: Dittenberger, syll. I 178 p. 277.

5) Polybius II 37, 1; IV 13: *ὁ συμμαχικὸς πόλεμος*. Plut. Philop. 7: *ὁ τῶν Ἠλείων ἵππαρχος Δαμόφαντος*.

tertium Achaeorum praetore, et Taurione, quem Antigonus Orchomeni reliquerat, expulsi sunt[1]), cum Phigaleam eodem quidem tempore retinerent[2]) Dorimacho et Scopa imperantibus.

Summa imperii Arato filio delata[3]) Lycurgus, qui a regia stirpe non oriundus ephoris pecunia corruptis regno Lacedaemone potitus erat, in Megalopolitim progressus Athenaeum illud expugnavit, cum Euripidas Aetolus Telphusiorum fines vexaret. (Tantummodo ea exponam, quae ad Megalopolim pertinent.) Hoc loco commemorationi Gortynis, Telphusiorum oppidi, aliquid momenti tribuendum est, cum fines Megalopolitarum in illis regionibus minutos esse demonstret, nisi aliud oppidum eiusdem nominis ad Telphusam situm fuisse statuimus.[4])

Leviter perstringam Philippum in Peloponneso undique victorem exstitisse, cum in Arcadia Heraeam, Psophida, Alipheram a Lydiada Eleis concessam, Phigaleam in potestatem suam redigeret Lacedaemoniosque cogeret, ut Athenaeo excederent.[5])

Arcadia potissimum vexata triennioque peracto pax composita est.

Cum Aratus anno ducentesimo tertio decimo diem supremum obiisset veneno a rege accepto[6]), Philopoemen in foedere Achaico principem locum obtinuit, qui iam initio, ut paucis rem absolvam, Achaeorum armaturam emendavit.[7])

Biennio post Romani foedus cum Aetolis contra Philippum fecerunt, quem Peloponnesii Lacedaemoniis, Eleis, Messeniis exceptis sequebantur.[8])

Ab eadem igitur aetate Achaei bellum cum Lacedaemoniis gesserunt, quorum in urbe post Lycurgum Machanidas tyrannide potitus in Arcadiam invadebat[9]), donec apud Mantineam a Philopoemene occisus est copiis ad internicionem redactis.[10])

Machanidae successit Nabis, qui insatiabilem crudelitatem exercebat et Megalopolitis hostis periculosus exstitit.[11])

1) Polybius IV 6, a. 221/20.
2) Polybius IV 3: ἐτύγχανε τότε συμπολιτευομένη τοῖς Αἰτωλοῖς.
3) 219/18 postquam 220/19 Aratus pater praetor fuit.
4) IV 59/60: εἷλε Γόρτυναν τῆς Τελφουσίας.
5) Polybius IV 73 sq. 81.
6) Polybius VIII 14; Plut. Arat. 52.
7) Plut. Philop. 9.
8) Polybius XI 5; Livius XXVI 24.
9) Philippus implorantibus Achaeis auxilium tulit, quos . . . Machanidas finitimo bello urebat: Livius XXVII 29.
10) Polybius XI 10 sq.; Plut. Philop. 10.
11) Bellum ante annum ducentesimum quartum non exarsit: Polyb.



Cum Boeoti quidam Nabidi equum generosissimum eripuissent et a tyranni satellitibus in Megalopolitide correpti magistratuum fidem implorassent, ut in libertatem vindicarentur, ille iam pridem belli praetextum quaerens confestim Proagorae aliorumque armentis raptis bellum conflavit.[1])

Insequenti tempore Megalopoli eo maius incommodum afferebatur, quod Philopoemen, patriae defensor, in Creta morabatur, atque diutina quidem obsidione cives claudebantur, ut agris undique devastatis intra muros consererent.[2])

Bello Macedonico coorto Romani Achaeos a societate cum rege inita in Romanam amicitiam avertebant.

Aristaenus Megalopolita eodem tempore praetor factus, vir magnae inter Achaeos auctoritatis, illis maxime favit. Etsi classis Romanorum iam ante Cenchreas fuit, ut Corinthus oppugnaretur, tamen erat magnae molis maiorem partem concilii ad sententiam foederis cum eis ineundi perducere, id quod postremo Aristaeno contigit: Megalopoli, Argis, Dymae enim fuit etiamtum magna factio Macedonibus dedita, quorum fautores, priusquam decretum fieret, concilium reliquerunt, ut societas iniretur.[3])

Etiam insequenti aetate Megalopoli, sicut in tota Peloponneso, duae factiones permanserunt; alterius princeps Aristaenus erat, altera a Philopoemene et postea Lycorta regebatur, qui etsi Romanis in bello non adversabantur, tamen foedus Achaicum, quoad eius fieri posset, Romanorum arbitrio liberum esse voluerunt. Memoriae proditum est Aristaenum, cum repugnare Romanis non decere censuisset, a Philopoemene sic compellatum esse: *ὦ ἄνθρωπε, τί σπεύδεις τὴν πεπρωμένην τῆς Ἑλλάδος ἐπιδεῖν;*

Eodem tempore, quo bellum Macedonicum exarsit et Philippus Achaeis, ut in foedere perstarent, Orchomenum etiamtum Macedonum praesidio firmatum concessit, Methydrienses quoque in Megalopolitarum dicionem redacti sunt, ut ex titulo Orchomeni reperto[4]) apparet. In illam aetatem illum cadere facile credo cum Megalopolitae perpetuo bello adversus Lacedaemoniorum tyrannos

XIII 6: *Νάβις ἔτος ἤδη τρίτον ἔχων τὴν ἀρχὴν ὁλοσχερὲς οὐδὲν ἐπεβάλλετο πράττειν . . . διὰ τὸ πρόσφατον εἶναι τὴν ὑπὸ τῶν Ἀχαιῶν ἧτταν τοῦ Μαχανίδου.*

1) Ibidem.

2) Plut. Philop. 13: *συντόνως . . . ἐπολεμήθησαν . . . τῶν πολεμίων σχεδὸν ἐν ταῖς πύλαις στρατοπεδευόντων.*

3) Livius XXXII 19/22; Plut. Philop. 17. Aristaenus Megalopolita. (a. 198.)

4) Dittenberger, syll. I 178 p. 277/9.

gesto antea occupati essent et Methydrienses hanc occasionem nancti Orchomeno nondum Achaeis restituto desciscere possent. Accedit etiam, quod belli socialis initio nondum defecerant.[1])

Victoria ad Cynoscephalas parta T. Quinctius Flamininus in Peloponnesum profectus Corinthum, Triphyliam Eleis ademptam, Heraeam Achaeis reddidit atque tum demum Aliphera a Lydiada Eleis concessa et biennio ante a Philippo Megalopolitis addicta rursus in eorum dicionem venit.[2])

Proximo anno Flamininus Achaeis in armorum societatem assumptis in ipsam Laconicam penetravit totamque regionem depopulatus oppidis maritimis in libertatem vindicatis Spartam in Nabidis potestate reliquit, qui, cum denuo finitimos agros Achaeorum vastavisset, a Philopoemene in urbem inclusus est atque opibus fractis debilitatisque ab Alexameno Aetolo periit a. 192, ut Megalopolitae insidiis liberarentur.

Nihilominus tamen Aetolos, cum Spartae direptionibus factis exturbati Megalopolim et Tegeam perfugissent, in hostium numero habuerunt ac sub corona eos vendiderunt.[3])

Philopoemen caede Nabidis cognita Spartam Achaeorum societati adiunxit[4]), quo facto duae civitates Messene et Elis extra foedus fuerunt ob eamque rem Antiocho fugato Messene a Diophane Megalopolita oppugnabatur, cuius cives legatis Chalcidem ad Flamininum missis impetraverunt, ut ille obsidione soluta exercitum reduceret, sed Achaeorum concilii esse iussi sunt. Denique Elei quoque illis contributi sunt, qui cum Messeniis Antiocho faverant.

Eadem aetate in Megalopolitide magna rerum commutatio facta est. Liceat mihi a Plutarcho proficisci: '*Φιλοποίμην ἀπέστησε πολλὰς τῶν περιοικίδων κωμῶν*' ...[5])

Causam tantummodo quam ob rem illud egerit, reiciendam esse censeo[6]); contra ea ex nummis[7]) apparet isdem temporibus re vera pagos circumiacentes et oppida antea Megalopoli contributa sui iuris esse facta; neque civibus succensens sed singula Arcadiae oppida amplificans ad illud concilium descendit, cum suffragatorum Arcadum numero aucto Achaicorum oppidorum potentia attenuaretur.

1) Polybius IV 10: *Μεθύδριον τῆς Μεγαλοπολίτιδος* (postquam Cleomene devicto Megalopolitis denuo concessum est).
2) Livius XXXIII 34.
3) Livius XXXV 25 sq. 36.
4) Plut. Philop. 15.
5) Plut. Philop. 13.
6) '*παρορώμενος ὑπὸ τῶν πολιτῶν.*'
7) R. Weil in „Zeitschrift für Numismatik“ IX p. 222 sq. 256 sq.

Huc accedit, quod legem tulit, ut in omnibus civitatibus foederatis invicem conventus agerentur. Atque re vera insequenti aetate Megalopolim quoque convenerunt[1]), cum antea Aegium concilia semper indicta essent.[2]) Quae si nobiscum reputaverimus, invicem Megalopolitis ea usui fuisse intellegemus.

Secundum nummos Alea, Aliphera, Asea, Dipaea, Gortys, Methydrium, Pallantium, Teuthis, Thisoa (ad Orchomenum sita, quae etiam Pausaniae aetate vicus fuit) sui iuris factae sunt[3]), quorum oppidorum iam Xenophontis aetate Asea et Pallantium libertatem aliqua ex parte quidem videntur retinuisse[4]), postquam ex eis civium pars Megalopolim sedes transtulit: Megalopolitas enim principatum obtinuisse apparet. Tituli porro illius Tegeae inventi atque certe inter Aristodemi Lydiadaeque dominatus compositi nobis ratio habenda est, ex quo Maenaliorum partem et Cynurios sui iuris fuisse intellegitur. Ad haec optime quadrat Aliphera a Lydiada Eleis concessa, quae iam dubia possessio erat et Methydrii inclinatio ad Orchomenum, cum Philopoemen, postquam inde ab Antigoni Dosontis temporibus haec oppida rursus in Megalopolitarum dicionem venerunt, statum prioris aetatis respexisse videatur. Postea illa Megalopolitis restituta esse infra tractabo.[5])

Lacedaemonii insequenti tempore novis rebus studentes a Philopoemene debellati sunt, qui muris deiectis, disciplina Lycurgi sublata multos eorum agros Megalopolitis attribuit[6]) magnumque numerum eorum, qui a tyrannis civitate donati erant, in servitutem abduxit atque de manibiis Megalopoli porticum exstruxit.[7]) Agri

1) Polybius (ed. Hultsch) XXII 10; XXIII 16: *ὥσπερ ἐπίτηδες συνέβαινε τότε πάλιν συνάγεσθαι τοὺς Ἀχαιοὺς εἰς Μεγάλην πόλιν.*

2) Livius XXXVIII 30.

3) R. Weil in „Zeitschrift für Numismatik“ IX p. 222 sq.: *Ἀχαιῶν — Ἀλεατᾶν, Ἀλιφειρέων, Ἀσεατᾶν, Διπαιέων, Κορτυνίων, Μεθυδριέων, Παλλαντέων, Τευθιδᾶν, Θισαίων.*

4) Xenophon VII 5, 5 (Thebanorum socii): *ἦσαν οὗτοι Τεγεᾶται καὶ Μεγαλοπολῖται καὶ Ἀσεᾶται καὶ Παλλαντιεῖς.*

5) Liceat mihi Polybii verba (II 37) afferre, quae cum illo statu congruunt: *τοιαύτην καὶ τηλικαύτην ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς καιροῖς ἔσχε προκοπὴν καὶ συντέλειαν τοῦτο τὸ μέρος, ὥστε μὴ μόνον συμμαχικὴν καὶ φιλικην κοινωνίαν γεγονέγαι πραγμάτων περὶ αὐτούς, ἀλλὰ καὶ νόμοις χρῆσθαι τοῖς αὐτοῖς καὶ σταθμοῖς καὶ μέτροις καὶ νομίσμασι.* de nummis vide n. 3 . . .

6) Plut. Philop. 16: *χώραν πολλὴν ἀποτεμόμενος προσένειμε τοῖς Μεγαλοπολίταις* (a. 189).

7) *ἀπὸ τῶν χρημάτων τούτων .. στοὰν ᾠκοδόμησεν.* Livius XXXVIII 34 porticus ex ea pecunia Megalopoli . . . refecta est, quam Lacedaemonii diruerant. (Fortasse Myropolis fuit. Pausan VIII 30.)

civibus attributi Belminatis regio videntur fuisse, si Livii locum respicimus.[1])

Duas factiones in urbe fuisse iam supra quidem commemoratum est, sed hoc loco paullo uberius de ea re exponam.

Altera ex parte Aristaenus et Diophanes[2]) erant, qui antea Messenen oppugnaverat, rei militaris peritissimus iam inde a bello cum Nabide gesto ob eamque rem paullo post Pergamenis auxilio missus est.

Hi duo viri ad Romanos magis inclinabant, quam Philopoemen et Lycortas.

Velut Philopoemen, inde ab initio exsulum Lacedaemoniorum causae amicus, quorum magna pars in maritimis Laconicae orae castellis civitatibusque ademptis habitabat, societate ab oppidanis renuntiata priusquam expeditionem illam in Laconicam susciperet, Lycortam et Diophanem disceptandi causa Romam misit, qua in legatione exsules suam causam Achaeis iniunxerunt et illi, sicut in re publica dissidebant, apud senatum minime inter se convenientes orationes habuerunt, cum Diophanes senatui disceptationem omnium rerum permitteret atque Lycortas ex praeceptis Philopoemenis postularet, ut Achaeis ex foedere agere liceret et libertas reservaretur illibata[3]), id quod accidit, cum Philopoemen paullo post Spartae Lycurgi leges abrogaret, muros dirueret, reduceret exsules.

Cum Areus et Alcibiades, qui exsules in patriam restituti erant[4]), legationem Romam adversus Achaeos optime de ipsis meritos suscepissent, legatis Romanorum, quorum princeps Appius Claudius erat, Clitore concilium datum est, ubi ille ea, quae apud senatum Lacedaemonii questi erant, senatui quoque displicere ostendit ad Lycurgi disciplinam abolitam murosque a Philopoemene dirutos potissimum pertinentia.

Iam ea enim aetate Romani quinquennio ante neutram ad partem inclinantes Lacedaemoniis aequiores fuerunt, quam Achaeis. Appii querellis cognitis Lycortas orationem magnificentissimam habuit (apud Livium solum reservatam sumptamque ex Polybii deperditis locis) atque crimina reiecit. Liceat mihi verba in ex-

1) Livius ibidem: 'ager Belbinates, quem iniuria tyranni Lacedaemoniorum possederant, restitutus eidem civitati' . . .

2) *Διοφάνης ὁ Διαίου Μεγαλοπολίτης* Pausan. VIII 51; Polybius XXI 9 (7); Livius XXXVII 20.

3) Livius XXXVIII 30 sq.

4) Polybius XXII 15, Hultsch. Livius XXXIX 35 sq.

eunte oratione afferre, quae generosae virtutis argumento sunt: 'veremur quidem vos, Romani, et, si ita vultis, etiam timemus, sed plus et veremur et timemus deos immortales.' Haec referenda sunt ad Romanorum postulationem, ut foedus cum Lacedaemoniis initum sacratumque monumentis litterarum in lapide incisis aliqua ex parte inverteretur.[1])

Secundum Polybium quoque iam priore anno, quo Aristaenus praetor erat, tale quid acciderat[2]): Aristaeno et Diophani etiam hic adversantur Philopoemen et Lycortas, qui multis variisque rationibus demonstrabant recte omnia, quae ad Lacedaemonios pertinerent, esse constituta neque quidquam mutari posse, quin iura humana et divina permiscerentur. Quo facto Caecilius re infecta rediit atque Achaei omnem culpam, quod Romani iudicium suum interposuissent, Aristaeno et Diophani tribuerunt.

Haec mihi de factionibus Megalopolitarum dicenda fuerunt.

In Peloponneso ex veteribus discordiis residui motus erant, id quod apparuit ex Messeniorum defectione a concilio Achaico. Auctor fuit Dinocrates, cui aliqua ex parte Flamininus favit.[3])

Philopoemen hoc nuntio allato, etsi septuaginta annos iam natus diutinoque morbo attenuatus erat, praetor octavum factus sibi potissimum eventurum arbitratus est, ut tumultus sedaretur, quippe cum Messenen a Nabide captam, postquam Lysippo praetori persuadere non potuit, ut urbi opem ferret, privatus suis civibus assumptis in libertatem vindicavisset[4]); ob eam rem in illam regionem profectus in valle iniqua in hostium potestatem venit atque a Dinocrate et principibus veritis, ne populus pristinorum beneficiorum memor ei parceret, coactus est, ut venenum hauriret. Talem exitum habuit vir clarissimus, qui libertatis amorem ab Ecdemo et Demophane Academicis insitum usque ad extremum spiritum retinuit.

Quo facto Lycortas exstitit vindex, cum Messeniis debellatis noxii traderentur, postquam Dinocrates ipse mortem sibi conscivit. Illius ossa Polybius admodum adulescens celeberrimo comitatu Megalopolim prosecutus est[5]) atque Livius exponit eum ab universo concilio Achaico sepultum esse adeo omnibus humanis congestis honoribus, ut ne divinis quidem abstineretur, quocum Diodorus congruit.[6])

1) Livius; a. 184. 2) Polybius XXII 13, ed. Hultsch.
3) Polybius XXIII 5 (ed. Hultsch) a. 183.
4) Livius XXXIX 49 sq.; Plut. Philop. 12.
5) Plut. Philop. 21. 6) Diodorus XXIX 18 sq.

Titulus quoque Megalopoli repertus[1]) ad nos pervenit, ubi Philopoemeni mortuo honores decerni a civibus primus Keilius perspexit, qui de verbis restituendis optime meritus est, quanquam multae lacunae restant. Etiam hic divini honores commemorantur[2]) atque statuae aëneae aliique honores aliqua ex parte cum eis congruentes, quorum a Diodoro mentio fit.

Bellis contra Lacedaemoniorum tyrannos gestis et Philopoemenis eximia virtute communis Arcadum sensus denuo exstitit, qui ad foedus Achaicum firmandum magni momenti erat atque optime quadrant ad illud tempus ea, quae Pausanias de fide Arcadum in illam societatem affert.[3]) Huc referendum est etiam epigramma Tegeaticum.[4])

Messeniis superatis Lacedaemonii Lycorta potissimum auctore denuo reconciliati sunt[5]) Achaeis.

Paucis annis post Antiochus Epiphanes Megalopolitis pecuniam dedit, ut muros reficerent, sicut etiam Tegeae theatrum magnificum e marmore facere instituit.[6])

Postquam bellum cum Perseo exarsit, Lycortas Achaeos in sententiam adducebat, ut toto bello abessent neutrisque auxilia mitterent, cum Archon, Polyaenus, Xenon Achaei atque Arcesilaus et Ariston Megalopolitae tempori cedendum neque Romanis suspicionem esse praebendam censerent, quorum sententia vicit.[7])

1) Dittenberger syll. I 210 p. 317.

2) *ἔδοξε τᾷ πόλει τιμᾶσαι . . . Φιλοποίμενα τιμαῖς ἰσοθέοις.*

3) Pausan. VIII 6: *συνεδρίου τῶν Ἀχαιῶν μετέσχον οἱ Ἀρκάδες προθυμότατα Ἑλλήνων.*

4) idem VIII 52:

Τοῦδ' ἀρετὰ καὶ δόξα καθ' Ἑλλάδα, πολλὰ μὲν ἀλκαῖς
πολλὰ δὲ καὶ βουλαῖς ἔργα πονησαμένου,
Ἀρκάδος αἰχμητᾶ Φιλοποίμενος, ᾧ μέγα κῦδος
ἕσπετ' ἐνὶ πτολέμῳ δούρατος ἀγεμόνι.
μανύει δὲ τρόπαια τετυγμένα δισσὰ τυράννων
Σπάρτας. αὐξομέναν δ' ἄρατο δουλοσύναν.
ὧν ἕνεκεν Τεγέα μεγαλόφρονα Κραύγιδος υἱόν
στᾶσεν ἀμώμητον κράντορ' ἐλευθερίας.

5) Polybius XXIII 18 ed. Hultsch; titulus in honorem Lycortae compositus *Ἐφημ. ἀρχαιολ.* 1885 p. 28.

6) Livius XXXXI 20.

7) Polybius XXVIII 6. a. 171.



CAP. VI.

DE VRBIS STATV IMPERII ROMANI TEMPORIBVS.

Perseo apud Pydnam devicto in Graecia Romanorum potentia magnopere crevit atque eis maxime favebat Callicrates Achaeus. Accedebat etiam, quod eadem fere aetate Lycortas diem supremum obiit, qui Philopoemenem secutus libertatem, quoad fieri posset, retinere nunquam desiit. Sequitur exsilium mille Achaeorum ex amplissimis familiis natorum, quo in numero Polybius et Diaeus Megalopoli oriundi erant, et certe alii, quorum nomina ad nos non pervenerunt.[1])

Dum ea geruntur, rursus Megalopolitae et Lacedaemonii de terrae finibus dissidebant, id quod certe ad Belminatim a Philopoemene occupatam referendum est, ob eamque rem senatus C. Sulpicium Gallum controversias disceptandi causa in Achaiam misit[2]), qui illud negotium Callicrati mandavit. Pausanias enim nomina confudit, cum inter Argivos et Lacedaemonios contentiones ortas esse exposuerit.[3]) Sed Callicratem Megalopolitis favisse conicere possumus, cum Belminatis Corintho deleta demum Lacedaemoniis restituta esse videatur: paullo enim ante bellum Achaicum fines illi in Megalopolitarum dicione fuerunt, cum Diaeus anno centesimo quinquagesimo ex exsilio in patriam rediisset.[4])

Auctores belli fuerunt Diaeus et Critolaus, quos Polybius quasi de industria pessimos una cum iis, qui eiusdem consilii participes erant, ex omnibus civitatibus delectos fuisse, pestem suae gentis, exponit.[5]) Ac primum Lacedaemoniis, quibus iam aperte Romani favebant, bellum intulerunt, dum Q. Caecilius Metellus in Macedonia

1) Telecles Megalopolita anno centesimo quinquagesimo quinto de reditu exsulum impetrando Romam legatus missus est. Polybius fragm. XXXIII 8 (2).

2) Polybius XXXI 9, a. 164.

3) Pausan. VII 11 sq.

4) Achaeorum exsules liberati Polybius fragm. XXXV 6; Pausan. VII 12: *Λακεδαιμόνιοι περὶ ἀμφισβητησίμου χώρας καταφεύγουσιν ἐπὶ τὴν Ῥωμαίων βουλήν.*

5) Polybius XXXVIII 8. 8.



Andriscum debellat. Postquam Romani Achaeis imperaverunt, ut Lacedaemonii, Argivi, Heracleenses Oetaei, Orchomenii Arcadiae ex foedere dimitterentur, contra eos arma ceperunt. Achaeis apud Scarpheam, oppidum Locrorum Epicnemidiorum, et apud Megara devictis Diaeus post Critolai obitum praetor factus litteras ad singulas civitates dedit, ut duodecim circiter milia vernarum servorumque manumitterent et armis instructos Corinthum traducerent, tantamque licentiam exercebat, ut omnia perturbarentur.

Velut pecunià publica in bellum consumpta locupletissimum quemque aurum argentumque conferre coëgit.[1]) Quo factum est, ut undique desperatio animorum oreretur atque locupletes potissimum maestitia afficerentur, quorum in foedere Achaico iam Arati temporibus maxima potentia erat.

Ob eam rem Diaeus rerum novarum cupidus aliqua ex parte cum Cleomene comparandus est, quo ceteroqui magnitudine animi multo inferior fuit. Quanquam ille rebus desperatis, postquam ad Mummium summa imperii delata est, Megalopoli mortem sibi conscivit, atque eadem aetate Corintho diruta foedus Achaicum dissolutum est.[2])

Non dubitandum est, quin plerique Arcadum, qui in hoc bello apud Chaeroneam gravem cladem acceperant[3]), Romanorum imperium brevi adamaverint bellis finitimis ad finem perductis.

Tum demum Belminatim a Megalopolitide seiunctam Lacedaemoniisque restitutam esse verisimillimum est, atque foedere Achaeorum dissoluto oppidula vicique a Philopoemene sui iuris facta rursus in Megalopolitarum dicionem venerunt, id quod ex Pausania intellegitur; praeterea iam Strabo[4]) Aseae, Megalopolitidis vici mentionem facit.

Graecia in deditionem accepta Polybius patriae amantissimum se praestitit atque Arcadas potissimum ei gratiam rettulisse testantur statuae Megalopoli, Mantineae, Tegeae, Pallantii constitutae. Etiam in templo '*Δεσποίνης*' haud procul ab Acacesio et Lycosura sito Polybii monumentum fuit. Argumentum statuae in foro Megalopolitarum prope templum Iovis Lycaei positae ad Romanorum clementiam Polybio auctore impetratam pertinebat.[5])

1) Polybius XXXIX 8; Pausan. VII 14 sq.
2) Polybius ibidem; Pausan. VII 16.
3) Pausan. VII 15.
4) Strabo p. 343 C.
5) Polybius XXXIX 14 sq.; Pausan. VIII 30, 8; 9, 1; 48, 8; 44, 5; 37.

Quae omnia si nobiscum reputaverimus, Megalopolim Philopoemenis, Lycortae, Polybii meritis beneficiisque in Achaeos collatis eadem aetate, etsi pristina amplitudo a Cleomene minuta nunquam rediit, tamen eximia auctoritate floruisse intellegemus.

Nunc pauca de civium multitudine exponam. Quarto saeculo Megalopolim ceteras Arcadum urbes multo praecessisse apparet, id quod ex defensoribus Polysperchontis aetate intellegitur, qua servis metoecisque assumptis quindecim milia armatorum evocata sunt.[1]) Sexaginta circiter milia habitatorum videntur fuisse. Sed iam Phylarchus[2]) Mantineam maximam urbem ante stragem ab Antigono et Arato factam fuisse memoriae prodidit, quocum Polybius aliqua ex parte congruit.[3])

Exeunte bello sociali quingenti pedites et quinquaginta equites tantummodo evocati sunt[4]), cum pugnae ad Sellasiam commissae mille interessent.[5])

Nobis enim in mentem venire oportet proeliorum ad Lycaeum montem, Ladocea, Dymen factorum; insequenti porro aetate civium multitudinem, etsi in urbem Cleomene devicto incolae novi recepti sunt, bellis cum tyrannis Lacedaemoniorum Romanisque gestis etiam magis redactam esse atque eo tempore, quo Corinthus deleta est, ne decem quidem milia completa esse pro certo nobis affirmare licet.

Cum Megalopoli condita magnus Arcadum numerus ex agris sedes transtulisset, fieri non potuit, quin studium agriculturae a natura Arcadibus quasi insitum pagis longius remotis paullatim in oppidanis evanesceret, quibus per tot tempora intenta cura ad patriam defendendam erat adhibenda, ut magna regionis pars deserta desolataque fieret; quin etiam agri fertilissimi circum Alpheum siti ad pascua equorum asinorumque redacti sunt. Cuius rei Strabo[6]), qui Augusti imperatoris aetate vixit, testis est, atque nomen urbis in ludibrium vertebatur hoc versu:

'*ἐρημία μεγάλη 'στιν ἡ Μεγάλη πόλις.*'

1) Diodorus XVIII 70, quanquam ille numerus ad agros circumiacentes quoque pertinet.

2) Phylarchus apud Polybium II 56, 6 de Mantinea: *ἀρχαιοτάτην καὶ μεγίστην πόλιν τῶν κατὰ τὴν Ἀρκαδίαν.*

3) II 62, 11: *οὐδενὸς ὄντες δεύτεροι τῶν Ἀρκάδων Μαντινεῖς οὔτε κατὰ τὴν δύναμιν οὔτε κατὰ τὴν περιουσίαν.*

4) V 91, 4: *εἶναι . . . Μεγαλοπολίτας μὲν χαλκάσπιδας, πεζοὺς μὲν πεντακοσίους, ἱππεῖς δὲ πεντήκοντα.* Etiamsi electae copiae fuerunt, tamen numerus omnium, qui arma ferre poterant, vix duplus fuerit.

5) II 65. — Beloch, d. Bevölk. der griech.-röm. Welt, p. 127.

6) Strabo p. 388 C.

Talis fuit status ceterorum quoque oppidorum: Tegea tantummodo, sicut fuerat antiquitus urbs nobilissima, mediocrem incolarum numerum retinuit, cum secundum eundem auctorem Megalopolis eo tempore, quo Achaici foederis particeps facta est, magnitudine ceteras Arcadum civitates superaret.[1])

Corintho excisa Megalopolitarum memoria per magnum temporis spatium evanescit. Strabo enim denuo urbis mentionem fecit.

In proelio Actiaco Mantinenses Octavianum secuti sunt, cum ceteri Arcades Antonio faverent.[2]) Megalopolitae singillatim non commemorantur.

Ex Augusti porro temporibus titulus et graece et latine compositus ad nos pervenit, qui non minus quam Strabo testatur, regionem circumiacentem ad pascua redactam esse: Tauriscus quidam pro ponte refecto, qui Helissonti flumini impositus est, privilegium pascendi immune accipit.[3])

Hadriani et Antonini Pii aetate Arcadiam aliqua ex parte in meliorem statum restitutam fuisse intellegitur ex Pausaniae descriptione. Hadrianum Mantineae favisse, cum ei antiquum nomen redderet[4]), memoriae proditum est atque eiusdem imperatoris opera fortasse alia in Arcadia constituta sunt, quae ad regionem sublevandam pertinebant.

Fines Megalopolitidis eundem fere ambitum ea aetate habuerunt, qui ei urbe condita attributus est. Alea autem longe remota una cum Stymphalo in Argolidem erat contributa[5]) et Pallantium ab Antonino ex Megalopolitidis vico ad oppidum immune elatum est, quia Romani illud Romae Palatinae metropolim esse arbitrabantur.[6]) Contra ea Gortyn, Dipoenae, Thisoa ad Orchomenum versus sita, Methydrium, Teuthis, Calliae, Helisson etiamtum vici Megalopolitarum fuerunt, quin etiam Aliphera oppidulum permansit.[7])

1) Strabo p. 385 C.: *Μεγάλη πόλις, ἡ μεγίστη τῶν ἐν Ἀρκαδίᾳ, προσετέθη τοῖς Ἀχαιοῖς.*

2) Pausan. VIII 8.

3) Curtius, Peloponnesus I p. 334; Le Bas, inscriptions grecques et latines recueillies en Grèce par la commission de Morée. Paris 1835 p. 48 sq. '*Σύνεδροι*' in hoc titulo commemorati sunt concilium Megalopolitarum, qui fortasse etiamtum '*μύριοι*' appellabantur (Paus. VII 16: *συνέδρια κατὰ ἔθνος ἀποδιδόασιν* (Romani) *ἑκάστοις τὰ ἀρχαῖα*).

4) Pausan. VIII 8, 12.

5) VIII 23 (22): *συνεδρίου τοῦ Ἀργολικοῦ μετέχουσα.*

6) VIII 43 (27, 7).

7) VIII 27, 8: Fortasse illis temporibus titulus compositus est, de quo Le Bas egit (inscriptions grecques et latines recueillies par la com-

Cum Pausanias Megalopolim visit, fortunae inconstantiam in hac potissimum urbe apparere animadvertit[1]), cuius magna pars collapsa erat; illis temporibus in sinistra Helissontis ripa theatrum quidem integrum surrexit, quod amplitudine cetera Graeciae praecedebat et nostra aetate e tenebris in lucem vocatur, sed Thersilii fundamenta sola periegeta conspexit[2]), quo Arcadum societate nondum dissoluta et fortasse tempore priore foederis Achaici usque ad Cleomeneum bellum *μύριοι*, qui vocabantur, conveniebant, initio commune Arcadum concilium atque insequenti aetate, qua Megalopolis in Achaeorum societatem contributa erat, conventus Megalopolitidis pristino nomine reservato. Hanc partem urbis, Orestia quae dicitur, saeculo secundo desertam ac stratam prope ruinis fuisse ex Pausania intellegitur. Contra ea aedificia, quae circum forum sita fuerunt, integra magna ex parte permanserant.

Haec omnia Pausanias perspicue descripsit et Curtius in opere, quod dicitur Peloponnesus, eum secutus de totius urbis situ luculentissime exposuit, quam ob rem satius existimo huius rei studiosos ad illius viri doctissimi descriptionem delegare, praesertim cum mihi magis propositum fuerit de rebus gestis Megalopolitarum agere.

Aequalis Pausaniae fuit Claudius Ptolemaeus, qui oppidorum Arcadiae mentionem facit.[3]) Sed praeter nomina nihil accipimus.

Etiam insequenti aetate Megalopolis tenebris, ut ita dicam, involuta est. Forum initio tertii saeculi nondum desertum fuisse ex nummis Septimii Severi temporibus cusis demonstratur, ubi Apollinis simulacrum magnificentissimum antiquitus ex templo Bassarum translatum cernitur.[4]) Praeterea Constantii nummi inventi sunt.[5])

Megalopolitim porro in magnam calamitatem tractam esse, cum Allarichus in Peloponnesum irrupisset, ex Zosimo conicere possumus, quandoquidem Corinthus, Argi, Lacedaemon vastatae sunt ac deni-

mission de Morée p. 61 sq.), ubi '*Λυκαειτ(ῶ)ν φυλή*' commemoratur. Cum hoc nomen solum notum sit, tamen urbs in tribus videtur divisa esse illa quidem aetate. Incertum est, num nomen cum delubro Iovis Lycaei cohaereat: nec minus ad Lycaeam, Maenaliorum oppidum, pertinere potest.

1) VIII 33.

2) VIII 32.

3) *Ἥραια, Φιάλεια, Τεγέα, Ψωφίς, Ἀντιγόνεια η καὶ Μαντίνεια, Στύμφαλος, Κλείτωρ, Δίπαια* (sic pro *Ἀλαια* cum C. Muellero scribendum est), *Μεγάλη πόλις*.

4) Curtius, Pelop. I p. 286.

5) Curtius, Pelop. I p. 289.

que bellum ad Pholoam montem transferebatur, postquam Stilico ei hostis exstitit.[1])

In tabula Peutingeriana quae dicitur urbs sub nomine 'Megalopili' commemoratur.

CAP. VII.

DE MEGALOPOLI EPISCOPATV.

Sequitur tempus, quo fides Christiana iam latissime serpserat et Megalopoli episcopatus fuit sub Corintho metropoli constitutus. Velut epistula episcoporum 'metropoleos' Corinthi ad Leonem imperatorem data est, qui ab anno quadringentesimo quinquagesimo septimo usque ad quadringentesimum septuagesimum quartum regnavit. Secundum eam Petrus fuit episcopus Corinthi eique Timotheus quoque 'Megalopoleos' episcopus subscripsit.[2])

Etiam septimo[3]) saeculo urbis nomen in Ravennatis anonymi cosmographia invenimus atque eius forma est 'Megalopili' sicut in tabula Peutingeriana, ut utramque inter se cohaerere verisimile sit.

Vltimum Megalopolis commemoratur in notitia ecclesiastica '*τάξις προκαθεδρίας τῶν ὁσιωτάτων πατριαρχῶν μητροπολιτῶν καὶ αὐτοκεφάλων*' inscripta quam ex codice Parisino 1555 A

1) Zosimus V 6: *ἡ Κόρινθος πρώτη κατὰ κράτος ἡλίσκετο καὶ τὰ πρόσοικα ταύτῃ πολίχνια καὶ ἐπὶ ταύτῃ τὸ Ἄργος καὶ ὅσα ἦν αὐτῆς τε καὶ Λακεδαίμονος ἐν μέσῳ χωρία· καὶ αὐτὴ δὲ ἡ Σπάρτη συναπήγετο τῇ κοινῇ τῆς Ἑλλάδος ἁλώσει . . . Στελίχων εἰς Φολόην συμφυγεῖν τοὺς βαρβάρους ἠνάγκασε.*

2) Le Quien II p. 181 Oriens christianus Provincia Helladis:

Epistolae synodi provinciae Corinthi ad Leonem imperatorem de nece S. Proterii Alexandrini suscripsit Timotheus Megalopoleos — vide Mansi Sacrorum conciliorum omnium amplissima collectio II p. 611: 'Petrus episcopus metropolis Corinthi et reliqui episcopi . . . sub me constituti . . .' (subscriptio:) Timotheus episcopus Megalopoleos. De S. Proterio 451/57: A. v. Gutschmid, Kl. Schr. II p. 451. Priore loco Le Quien affert: Cum inter subscriptiones epistolae Sardicensis concilii ad ecclesias legatur Martyrius ab Achaia de Neapoli, emendandum reor de Megalopoli. Quanquam haec coniectura nimis violenta est. Fortasse 'Nauplia' legendum est.

3) 'Septimo ut videtur saeculo: ed. Pinder et Parthey.'

fol. 23v sq. publici iuris fecit Carolus de Boor.[1]) Hic sub eparchia Peloponnesi et Corintho metropoli invenitur 'ὁ *Μεδαλας*'; hoc nomen ad Megalopolim referendum esse Henricus Gelzerus summa cum probabilitate coniecit, cum in illo libello saepe 'γ' in 'δ' corruptum sit, velut *Μεδάρας*, *'Εδίου* (pro *Αἰγίου*) *'Εδιρας* (pro *Αἰγείρας*), *Τεδέας* ..; itaque ὁ *Μεγάλας* sc. *πόλεως* restituendum est.[2])

Praeter Megalopolim Tegeae, Phigaleae, Thelpusae quoque mentio fit in hac discriptione ecclesiastica, quae secundum commentarium illum ad finem septimi saeculi referenda est.

Vsque eo de Megalopoli tractavi, quae inde prorsus ex historia evanescit. Fortasse migratione demum Sclavorum in Peloponnesum medio fere saeculo octavo, de qua Constantinus Porphyrogennetus clarissimis illis verbis usus est '*ἐσθλαβώθη πᾶσα ἡ χώρα καὶ γέγονε βάρβαρος*' etiam exigua vestigia exstincta sunt.

1) V. de Boor: Nachträge zu den Notitiae episcopatuum II. Zeitschrift für Kirchengeschichte XII. 1891. p. 533. — H. Gelzer: Die kirchliche Geographie Griechenlands vor dem Slaveneinbruche Hilgenfeld, Ztschr. f. wissensch. Theologie 1892. Heft 1.

2) Ceterum nobis mirandum est etiam illa aetate provecta 'α' post consonantes in genetivi terminationibus nondum evanuisse.

ADDENDA.

Ad p. 59: '*ἔδοξεν τοῖς Ἀρκάσιν*', (Dittenberger syll. I 99 p. 169) hoc loco '*οἱ Ἀρκάδες*' melius intellegendi sunt '*μύριοι*'.

Ad p. 102: Inter foedera et urbes Graecorum quae Cassandrum Menesthei filium Alexandrensem ex Troade coronis aureis honoraverunt, etiam *ἡ πόλι[ς ἡ] Μεγαλο[πολιτῶν]* commemoratur. Titulus (editus ab E. Curtio in Archaeol. Ztg. 1855 p. 34 sq.) secundo a. Chr. n. saeculo recte attribuitur, atque G. Dittenberger (sylloge I 211 p. 319) satis probabiliter coniecit eum bello cum Perseo gesto esse recentiorem. Callicratis igitur aetate conscriptus esse videtur.

DE

ARTEMIDORO DALDIANO

LIBRORVM ONIROCRITICORVM AVCTORE

SCRIPSIT

GVALTERVS REICHARDT

PRAEFATIO.

Artemidori Daldiani libros onirocriticos diu aestimaverunt minimi viri docti[1]) tantaque etiamnum obscuritate obruti videntur, ut permulti qui in studia antiquitatis incumbunt praeter nomen auctoris nihil de eis noverint. Sane causa excogitari potest, cur ea humilitate teneantur; quis enim est, qui his temporibus talibus ineptiis fidem tribuerit? Nec tamen hac de causa omnino relinquendi atque respuendi nobis sunt illi libri; permulta enim invenies in eis ad tempora illa plane illustranda idonea[2]); deinde sermone satis suavi atque eleganti floret auctor, ut ne in hoc quidem haereas.

De contextu constituendo optime meritus est Hercherus; commentarius post Rigaltium, Reiffium, Reiskium emendari debet. Ipse in studium Artemidori vocatus sum lectione librorum Ciceronis qui sunt de divinatione, a quibus me vertebam ad libros qui de divinatione ab aliis, inprimis philosophis, conscripti sunt, in eisque inquirendis incidi in hunc Artemidorum; neque igitur mirum videbitur, quod hunc quoque ad philosophos rettuli placitaque cum philosophorum placitis comparavi. Priusquam tamen ad ipsum Artemidorum accedam, haud alienum mihi videtur, quae valuerit de divinatione opinio a veterrimis temporibus Graecorum apud philosophos inprimis paucis exponere.

1) Hercher, Artem. Dald. onir. libri V Lipsiae 1864. pag. VII. VIII.

2) Vossius dicit: *Rem si spectas, nihil eo vanius, sed utilis tamen eius lectio erit, ob tam multa quae admiscet de ritibus antiquis et studio humanitatis.* (Fabr. bibl. gr. Harl. V 261.)

§ 1.

PHILOSOPHORVM DE DIVINATIONE PLACITA ATQVE LIBRI.

Ordiamur Ciceronem secuti ab antiquissimis. *Colophonius Xenophanes unus, qui deos esse diceret, divinationem funditus sustulit* (Cic. de div. I 5). Falso mihi mutasse videntur nonnulli: *C. X., unum qui deum esse diceret, d. f. s.* sane X. unum esse deum censuit: Eus. praep. evang. 678 d: *εὖ γοῦν καὶ Ξ. ὁ Κ. διδάσκων, ὅτι εἷς καὶ ἀσώματος ὁ θεὸς ἐπιφέρει*

Εἷς θεὸς ἔν τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισι μέγιστος
οὔ τι δέμας θνητοῖσι ὁμοίιος οὐδὲ νόημα —;

tamen a vitae consuetudine ducto[1]) de deis loqui ei licuit; idem enim fere in Stoicos cadit, ut infra demonstrabo; ego igitur Ciceronis l. l. sic interpretor: X. quamqam deos esse credidit, tamen divinàtionem sustulit, cum ceteri philosophi ab ipsis deis eam ducerent. — Plut. de plac. phil. V 1, quod testimonium fluxit ex Theophrasti de philosophorum placitis libro (cf. Diels, doxogr. gr. p. 133. p. 61. Zeller, Grundriss der Gesch. der gr. Philos.[3] pag. 7): *Ξ. καὶ Ἐπίκουρος ἀναιροῦσι τὴν μαντικήν.* Hoc de divinatione placitum explicasse videtur in libro suo *περὶ φύσεως*; nam quae praeter illum scripsisse traditur, ne tangunt quidem philosophiam: traduntur enim elegiae tragoediae[2]) parodiae silloi. — Quaerentibus unde

1) Cf. quae dicit Mullach de Democrito I 238: *Quamvis de rebus divinis aliter sentiret atque vulgus Graecorum, tamen in libro erudiendis civibus destinato necesse erat eum de diis ad vulgi captum accomodate loqui.* Porro de Senecae eodem sermone cf. Millard: Lucani sententia de deis et fato; Trajecti ad Rh. 1891 p. 31; deinde de Epicteto: Stuhrmann, de vocabulis notionum philosophicarum in Epicteti libris. p. 47. — Quae argumenta affert Freudenthal: Ueber die Theologie des Xenophanes, Breslau 1886 p. 11 sq. negans unum deum credidisse X., non me movent a sententia quam defendit Zeller.

2) Cf. Mullach, fr. ph. gr. I 100: *Fallitur Eusebius physicum et tragoediarum scriptorem Xenophanem vocans, nisi tragoedias eo sensu accepit, quo Plato* — Theaet. 152 C. Rep. 595 C. 605 C. 607 A — *Homerum tragoediarum principem esse dixit, ut poëma grave atque a comoediae iocis abhorrens intellegatur.* — Cf. Lobeck, Aglaoph. 976 sq. Kiessling ad A. P. v. 95.

hauserit X. ea de deis et divinatione decreta nonnulli responderunt, pendere eum a Pythagora, id quod negandum esse puto; tractanda igitur sunt Pythagorae de hoc argumento praecepta. De quo apud Ciceronem in libris de div. uno loco dicitur: II 119: *Iam Pythagoras et Plato, locupletissimi auctores, quo in somnis certiora videamus praeparatos quodam cultu atque victu proficisci ad dormiendum iubent; faba quidem Pythagorei utique abstinere, quasi vero eo cibo mens non venter infletur.* cf. Plut. de pl. ph. V 1.

P. igitur eiusque discipuli acceperunt divinationem uno excepto genere, ut exstat apud Plutarchum. Quaeritur ubi hae sententiae inventae sint: traditur autem vetitos esse Pythagoreos de philosophia libros componere, ne ipsorum decreta omnibus cognoscerentur (*μὴ εἶναι πάντα πρὸς πάντας ῥητά*). Sane Pythagoram ipsum nihil scripsisse nemo negabit, de discipulis constat. Nam cum societas illa Pythagoreorum exeunte saeculo V magis magisque solveretur, praecepta ne omnino perirent, discipulis erant conscribenda, inter quos maxime floruerunt Archytas et Philolaus. Itaque haec quoque quae spectant ad divinationem a Pythagoreis quibusdam nescio an posterioris[1]) aetatis litteris mandata sunt.

Venimus ad Democritum; qui quae censuerit de divinatione, satis bene scimus; videamus primum, quae de eo exstent apud scriptores.

Cic. de div. I 131. II 120: *Vtrum igitur censemus, dormientium animos per sene ipsos in somniando moveri, an, ut D. censet, externa et adventicia visione pulsari?* Ceterum quo spectet eis verbis Cicero, cognoscimus ex Plutarchi quaest. conv. VIII 10, 2; ab idolis igitur ducens somnia D. futuras res significari putavit. Priusquam ad eius scripta transeam, de vita quaedam, quae inveniuntur apud Diogenem Laertium et Suidam addam, quae quidem ad ipsam divinationem pertinere videntur. D. L. IX 39: *τρέφεσθαι* (*τὸν Δ.*) *διὰ τὴν ἀπορίαν ὑπὸ τἀδελφοῦ Δαμάσου. ὡς δὲ προειπών τινα τῶν μελλόντων εὐδοκίμησε λοιπὸν ἐνθέου δόξης παρὰ τοῖς πλείστοις ἠξιώθη.*

Suidas. *Δημ. Ἀβδηρίτης ἐκ Θράκης φιλόσοφος· μαθητὴς κατά τινας Ἀναξαγόρου καὶ Λευκίππου, ὡς δέ τινες καὶ Μάγων καὶ Χαλδαίων Περσῶν· ἦλθε γὰρ καὶ εἰς Πέρσας καὶ Ἰνδοὺς καὶ Αἰγυπτίους καὶ τὰ παρ' ἑκάστοις ἐπαιδεύθη σοφά.*

Vnde intellegimus Democritum ipsum futuras res praedixisse, quod ex priore quidem loco aperte elucet nec minus certe effici-

1) Cf. Zeller, Philos. d. Griechen IIIb³ 99 sq.

tur ex altero; etenim si traditur discipulus fuisse Chaldaeorum et Magorum, unde melius id potuit cognosci quam ex praedictionibus rerum futurarum? Itaque contendentes Democritum usum esse illorum disciplina vaticinia eum edidisse dicere mihi videntur.[1]) Neque enim verisimile est iam tunc tanta eum fecisse itinera, praesertim cum pauperem fuisse eum acceperimus. Inter Democriti scripta, quae pariter ac Platonis per tetralogias digessit Thrasyllus (D. L. IX 45), hoc invenimus, quo ut de aliis ita de divinatione sententias exposuisse videtur, dico *περὶ εἰδώλου ἢ περὶ προνοίης*; ex imaginibus enim sive simulacris somniorum originem repetendam esse opinatus est, ut modo commemoravi. — Alius exstat in indice operis titulus quo idem argumentum tractatum esse putaveris: *πρόγνωσις*. Neque tamen ego censeo de divinatione ibi dixisse Democritum; eadem enim in tetralogia affertur atque *ἰητρικὴ γνώμη* et *περὶ διαίτης ἢ διαιτητικόν*, ut ibi explicasse eum appareat, unde morbi quidam, qui essent, cognoscerentur.

Nunc Socrates, quem quidem ipsum nec de aliis argumentis nec de divinatione litteris quidquam mandavisse constat, quae censuerit de oraculis videamus, qua in re Platonem potissimum et Xenophontem auctores sequimur.

S. a deis eorumque in homines benignitate profectus de divinatione agit; opinatur enim eos, ut sint benigni, (*ἐπιμελεῖσθαι, φροντίζειν, θεραπεύειν, συνεργεῖν*) hominibus dubitantibus quid sibi sit faciendum futuras res significare; itaque insipientis esse et oracula consulere de eis rebus, quas ipse cogitatione possit invenire, et omnino eorum responsa reicere. cf. Mem. I 1, 6. Somniis idem ut futura significantibus fidem tribuit; cf. Plato, Apol. 33 C. Phaed. 60 D. Crit. 44 A.

Platonis quoque de divinatione placita adumbrabo[2]); disseruit de ea his potissimum locis: Phaedr. 244 sq. Rep. IX 571 B sq. Tim. 71 sq. Atque in Phaedro quidem et Timaeo ad insaniam vel deos refert divinationem; in re publica somnia ex anima somniantis, ex reliquiis cogitationum vel motuum (cf. Tim. 45 E) oriri, non a deo immitti censet: *quaedam cupiditates tam castigatione legum quam sobriis et melioribus rectae voluptatibus vel omnino exsolescere vel in paucas admodum atque exiles*

1) Accedit, quod posteriore aetate hoc multi affirmabant ab orientis populis accepisse philosophiam Graecos. cf. Jos. c. Ap. I 165.

2) Cf. Zeller, Philos. d. Gr. IIa[4] 864 s.

attenuatae reliquias otiosae latere. Porro aliae usque ad praecipitem amentiam confirmari; quae se exserunt immanius per quietem, quotiens ratione sospita, quae est rector mansuetissimus, cetera pars animi agrestior immani quadam ebrietate luxurians pulsa quiete pergit ad incestas libidines; tunc quippe nihil est, quod non audeat ... contra cum erit in salubri statu posita casteque cubitum ibit, ... tum certe rationabilis animae pars perveniet ad indaginem veri; quae est sincera prudentia nec ulla existet species nefaria somniorum. Sic explicat Chalc. comm. in Plat. Tim. Mullach II p. 234. His igitur verbis somnia ut ab animo ficta, non immissa a deis aut daemonibus declarantur.

Spernebant divinationem omnem Cynici, inter quos Oenomaus altero p. Chr. n. saeculo scripsit *γοήτων φωρά*. (cf. Eus. pr. ev. V 21) Vehementissime ille invectus est in oracula: *Παῦσαι δὲ καὶ σύ, ὦ Ἄπολλον, μάταια χρησμῳδῶν· ἔσται γὰρ ὃ δεῖ, ἔσται κἂν σὺ σιωπᾷς.* (Eus. pr. ev. VI 7, 37.) De fato autem Stoicorum, unde ducebant divinationem, haec habet: *Ὦ Χρύσιππέ τε καὶ Κλέανθες καὶ ὅσοι τούτου τοῦ χοροῦ — ὑμεῖς γαρ πεποίησθε εἶναι ἀγαθοί — ἐγὼ μὲν ἀρετὴν ἐπαινῶ, ὑμᾶς δὲ τοὺς ἐναρέτους οὐκ ἐπαινῶ· ἀλλὰ καὶ τὸν Ἐπίκουρον ὃν σὶ πολλά, ὦ Χρύσιππε, ἐβλασφήμησας, ἐγὼ τό γε ἐπὶ σοὶ ἀφίημι τῶν ἐγκλημάτων. Τί γὰρ πάθῃ ὅς οὐχ ἑκὼν ἦν μαλακὸς οὐδὲ ἄδικος, ὥσπερ πολλάκις αὐτὸν ἐλοιδόρησας;* (Eus. pr. ev. VI 7, 40.)

Antiphon quidam apud Ciceronem commemoratur: de div. I 39. 116. II 144; quis ille sit, quaeritur; afferam igitur, quae apud Suidam et Diog. Laert. de Antiphontibus traduntur: S. *Ἀ. Ἀθηναῖος τερατοσκόπος καὶ ἐποποιὸς καὶ σοφιστής· ἐκαλεῖτο δὲ Λογομάγειρος.* sequitur Ant. rhetor; deinde:

Ἀ. Ἀθηναῖος ὀνειροκρίτης περὶ κρίσεως ὀνείρων ἔγραψεν.

D. L. II 5, 25. *Τούτῳ* (i. e. Socrati) *τις, καθά φησι Ἀριστοτέλης ἐν τρίτῳ περὶ ποιητικῆς, ἐφιλονείκει Ἀ. ὁ τερατοσκόπος.*

Duo potissimum Antiphontes noti esse solent omnibus quicunque in studia antiquitatis incumbunt: alter rhetor Rhamnusius, alter sophista, uterque fere aequalis Socratis et Platonis; sed antiquis iam temporibus, num discernendum esset inter hos, dubitatum est. Cf. Hermogenis de Antiphonte iudicium: Walz, rh. gr. III p. 385. Antiphon ed. Blass p. XXIX. — Nuper Hermannus Sauppius ea re tractata in ind. schol. Gott. 1867 haec censet: non disiungendum esse apud Suidam alterum a priore, cum Didymus apud Hermogenem, coniectorem, somniorum inter-

pretem[1]) sophistam unum eundemque esse auctor sit gravissimus. Sed quid sibi velit *ἐποποιός* prorsus obscurum esse. Quamquam igitur, inquit Sauppius, memoria eius admodum obscura est, certe tamen constat, Atheniensem eum fuisse, invidia quadam ductum identidem altercari cum Socrate coepisse, coniectorem fuisse et interpretem somniorum; composuisse libros complures, primo cui inscriptum esset *ἀλήθεια*, deinde *περὶ ὁμονοίας*, tum *πολιτικόν*, denique *περὶ κρίσεως ὀνείρων*. Quarti libri tanta apud veteres claritas fuisse videtur ut Antipater Tarsensis multa ex eo in suum, qui est de somniorum interpretatione librum transferret. (Cic. de div. I 39.) Quo in opere portenta quoque et omina ab A. explicata sunt.

Iam dicendum est de Aristotele: Cic. d. div. I 81: *A. quidem eos etiam, qui valetudinis vitio furerent et melancholici dicerentur, censebat habere aliquid in animis praesagiens atque divinum.* Vnde intellegimus probasse Aristotelem divinationem. Venit ad nostram aetatem opusculum illius *περὶ τῆς καθ' ὕπνον μαντικῆς*, quo divinationem, quae per somnia fieret, non omnino sustulit, sed dubitavit de ea; neque contemnere facile ei fuit divinationem per somnum neque probare. De somnio autem hoc censet: visum quod a sensorum motu ortum per quietem animalibus occurrit, in eo quod dormiunt, hoc somnium est. Neque *θεῖον* est somnium, sed *δαιμόνιον* haberi debet, quoniam omnia animalia somniant, non solum homines. Ceterum hoc modo existunt: non modo vigilantibus nobis motiones illae quae per eos sensus accipiuntur, qui foras prospectant et in parte corporis exteriore iacent, sentiuntur, sed etiam cum affectio ea suborta est, quod somnum vocamus: nam interdiu operantibus quidem sensibus ac mente eliduntur (motiones) et vanescunt, noctu autem, quia particulares sensus feriuntur et agere nequeunt, propterea quod calor exteris partibus relictis in viscera se condit, ad initium sensus originemque delabuntur et obturbatione sedata manifesta fiunt. Ea de insomniis; de divinatione autem, quae fit per insomnia, haec censet[2]): *περὶ δὲ τῆς μαντικῆς τῆς ἐν τοῖς ὕπνοις γινομένης καὶ λεγομένης συμβαίνειν ἀπὸ τῶν ἐνυπνίων, οὔτε καταφρονῆσαι ῥᾴδιον οὔτε πεισθῆναι· τὸ γὰρ μηδεμίαν αἰτίαν εὔλογον ὁρᾶν, καθ' ἣν ἂν γίνοιτο, τοῦτο διαπιστεῖν ποιεῖ· τὸ γὰρ θεὸν εἶναι τὸν πέμποντα πρὸς τῇ ἄλλῃ ἀλογίᾳ καὶ τὸ μὴ*

1) Blass (Antiphon p. 143) negat, communionem quandam habere librum *περὶ κρίσεως ὀνείρων* cum oratore; sane; neque tamen abhorret a sophista. Sauppe, or. att. II 146 B.

2) Cf. Arist. op. ed. ac. Bor. I p. 462.

τοῖς βελτίστοις καὶ φρονιμωτάτοις ἀλλὰ τοῖς τυχοῦσι πέμπειν ἄτοπον· ἀφαιρεθείσης δὲ τῆς ἀπὸ τοῦ θεοῦ αἰτίας οὐδεμία τῶν ἄλλων εὔλογος εἶναι φαίνεται αἰτία; deinde alio loco: *ἀνάγκη δ' οὖν τὰ ἐνύπνια ἢ αἴτια εἶναι ἢ σημεῖα τῶν γιγνομένων ἢ συμπτώματα ἢ πάντα ἢ ἔνια τούτων ἢ ἓν μόνον . . . οὕτω μὲν οὖν ἐνδέχεται τῶν ἐνυπνίων ἔνια καὶ σημεῖα καὶ αἴτια εἶναι, τὰ δὲ πολλὰ συμπτώμασιν ἔοικεν . . . . διὸ καὶ πολλὰ τῶν ἐνυπνίων οὐκ ἀποβαίνει· τὰ γὰρ συμπτώματα οὔτ' ἀεὶ οὔθ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γίνεται.* Tribuit igitur A. in illo libello divinationi munus satis leve.[1])

Nunc de discipulis eius pauca addam. Atque Dicaearchus quidem admisisse traditur divinationem per somnium et furorem (Cic. de div. I 5), cetera genera sustulisse; quae placita probabilitate quadam conici potest quibus operibus explicaverit; scripsit enim *περὶ ψυχῆς λόγον Κορινθιακὸν* et *Λεσβιακόν*, quibus demonstrare conatur mortalem esse hominis animam. Cf. Cic. Tusculan. disputat. I 21, I 77.[2]) — Deinde commemoratur Dicaearchi *κατάβασις εἰς Τροφωνίου*, cuius opusculi quod fuerit argumentum pro certo contendere non audeam; *hoc tamen* — dicit Müller fr. hist. gr. II 266 — *iure sumas, non id egisse Dicaearchum, ut oraculum Trophonii eiusque ritus et instituta per plures deinceps libros ad modum periegetarum describeret;* suspicor fuisse talem expositionem qualem *λόγον Κορινθιακόν*, sermonem hunc habitum esse Corinthi, illum in antro Trophonii.

Eadem atque Aristoteles de divinatione professus esse videtur Strato Lampsacenus, cuius appellat libros *περὶ ἐνυπνίων*, *περὶ ὕπνου* Diog. L. V 59; commemorantur inter physicos libros; hoc ipsum ad A. nos vertit, qui ex naturae ordine, ex motibus, qui impensius noctu sentirentur sensumque facerent in corpore, somnia ducebat.

1) Consentit cum Platone Synesius (Synesius de insomniis. Paris 1631) in hac re; etenim eos tantummodo, qui virtute vel per prudentiam vel per consuetudinem acquisita vitam instituunt, diviniora visuros esse somnia censet; ducit autem insomnia ex compluribus fontibus: ab idolis (p. 151 D: *a rebus enim futuris idola obumbrata imaginesque obscurae procedunt, nimirum non ut a praesentibus manifesta*) a deo; (151 A: *animae ita se habenti* — i. e. otium agenti a sensuum colluvione forensium animae naturas undique inferentium alienas — *Deus mundanus se prorsus adiungit, propterea quod animae ipsius natura ex eodem simul atque ille profluxit; quae somniorum genera diviniora censentur*); summi vero Synesio momenti est spiritus phantasticus, quem quodammodo praeparare debent, qui vera somniaturi sunt, adeoque studere, ut hic nobis divinandi vi sit praeditus, quaedam est pietatis exercitatio. (145 A). Hic spiritus phantasticus ut speculum excipit ostenditque somnia. Educatio autem eius optima est tum per philosophiae studium perturbatos sedare animi motus, tum per moderatum temperatumque victum. —

Videmus igitur inter Synesium et Platonem vel Stoicos nonnulla convenire; ad Artemidori autem philosophiam nobis constituendam nil novi contulisse videtur; omnia enim, quaecumque congruunt cum A. decretis, iam apud Stoicos invenimus; contra phantasticus ille spiritus plane abhorret a nostro scriptore; accedunt alia, quae demonstrant a

Pol. 571 E sq. (cf. p. 114). Art. autem *φαντασμάτων καὶ ἐνυπνίων* quae somnia nihil significent easdem causas esse pronuntiat (cf. p. 136). — Porro quod confirmat esse divinationem in somniis, neque autem causam dicere vult aut nequit, hoc optime potest conferri cum Stoicis: Cic. d. d. I 15: *Non quaero, cur, quoniam, quid eveniat, intellego; hoc sum contentus, quod etiamsi, cur quidque eveniat ignorem, quid fiat intellego.* Vtrique igitur experientiae (*πεῖρα*) auctoritate nituntur.

Neque omnem divinationem probat A., sed nonnulla genera reicit; cf. p. 161, 20 sq.[1]) 213, 25: id quod Stoicis quoque decretum est: Cic. d. d. I 132: *Nunc illa testabor, non me sortilegos neque eos qui quaestus causa hariolentur, ne psychomantia quidem, quibus Appius*[2]) *amicus tuus uti solebat agnoscere: non habeo denique nauci Marsum augurem, non vicanos haruspices, non de circo astrologos, non Isiacos coniectores, non interpretes somniorum: non enim sunt ii aut scientia aut arte divini.* Ne autem haereamus, quod Stoici *non habeant nauci* interpretes somniorum: eos castigat Cicero, qui quaestus causa fallunt consulentes: vim somniorum certe probant.

Alia Artemidori de somniis placita Aristotelem respicere

Neoplatonicis non stetisse Artemidorum — si Synesii placita toti scholae attribuere nobis licet. Quae enim praedicat Synesius (p. 149 B; cf. Od. XIX 565): *Penelope vero apud Homerum duas somniorum portas inducit affirmatque dimidium esse fallax, quoniam somniorum sapientiam non habebat; si enim artem scite ad haec habuisset, omnia utique per portam corneam traduxisset*, aperte docent persuasum ei fuisse, omnia vera esse somnia; contra A. totum genus ut nil significans excludit (*ἐνύπνια*). Multo autem gravius, ex mea quidem sententia, argumentum habes in his Synesii verbis: 153 B: *Plerique libros de observantia somniorum eiusmodi multos composuerunt; ego autem haec omnia rideo.* Censet enim Synesius unicuique alia significari eisdem signis; sane Art. quoque monet ne in interpretandis visis sui cuiusque mores, aetas, genus, ordo neglegerentur, tamen magno a Synesio intervallo se distare ipso libros onirocriticos conscribendo ostendit.

1) Ex hoc loco effici potest, non fuisse eum Neopythagoreum: etenim ipsius quidem Pythagorae discipulos antiquorum nonnulli Pythagoricos, horum vero discipulos Pythagoreos, sapientiae denique Pythagoreae aemulos Pythagoristas vocarunt. Si igitur ipse a Pythagoreis stetisset, haud vituperasset *τοὺς Πυθαγορίστας*. Porro Neopythagorei omnem divinationem ducebant a daemonibus, (Zeller III b[3] 91. 139. 144) id quod haudquaquam in nostrum Artemidorum quadrat; deinde utitur quidem A. numeris ad interpretanda somnia (II 70) neque autem mystice ut Pythagorei.

2) Cf. Teuffel, R. L. G.[5] § 199.

videntur, cuius scripta *περὶ ἐνυπνίων*, *περὶ τῆς καθ' ὕπνον μαντικῆς* perlegit (cf. l. I cap. 6). Ne Aristoteles quidem negat cohaerere quodammodo somnia cum eis quae fiunt, ut aut signa sint eorum aut fortuita — atque ea plurima — aut causae. Atque hoc: causae sunt somnia eorum quae fiunt, optime conferri potest cum genere *ὄνειροι* apud Art. Etenim ut ea quae facere aut cogitare solemus, in somniis videntur, ita e contrario necessarium est, ut plerumque motiones, quae se per somnum offerunt, principia sint eorum, quae interdiu gerimus: Art. 4, 2: *ἐνεργεῖ ὁ ὄνειρος*. Primum genus, signa esse somnia, per se perspicitur. Negat autem Aristoteles maiorem esse vim divinandi quam quae ad morbos ceterasque affectiones quae in corpore perficiendae sunt pertineat, quippe quas motiones dormientes multo acrius intellegamus quam vigilantes. — Quae quamquam cum Artemidori sententiis conveniunt, tamen multo minoris momenti sunt somnia Aristoteli quam huic scriptori. Accedit, quod ille *δαιμόνια* vocat somnia non *θεόπεμπτα*, id quod prorsus discrepat cum Art. Itaque perlegit Aristotelis scripta, probavit nonnulla, alia reiecit. —

Gravissima argumenta consensionis inter Artemidori et Stoicorum placita ex theologia ducenda sunt. Stoicis enim unum fuit numen, diversis autem nominibus ornatum est (Cic. de nat. d. I 40), quae a variis operibus aut muneribus aut virtutibus aut a variis materiae, per quam diffunditur, partibus invenit. (Plut. plac. ph. I 7, 17: *οἱ Στωικοὶ κοινότερον θεὸν ἀποφαίνονται: πῦρ τεχνικὸν ..... καὶ πνεῦμα μὲν διῆκον δι' ὅλου τοῦ κόσμου, τὰς δὲ προσηγορίας μεταλαμβάνον διὰ τὰς τῆς ὕλης δι' ἧς κεχώρηκε παραλλάξεις*. Zeller IIIa[3] 673, 5.) Haud igitur mirum videbitur, si apud Artemidorum quoque complures nobis occurrent dei; accedit, quod huic omnes, quoscunque credidit multitudo, commemorandi erant, etiamsi ipse unum credidit, quoniam de somniis scripsit interpretandis et saepissime somniantibus videbantur dei, qui religione publica ab antiquissimis temporibus traditi sunt; simile enim ipse dicit. 230, 4. Porro proprium est Stoicorum demonstrare singulis deis physicam rationem — *λόγον φυσικόν* — inesse (Zeller III a[3] 323) et fabulas attingere easque physice et mystice exponere (Cic. de nat. d. II 63, III 63, Zeller IIIa[3] 567, 4) qua in re via munita erat ab Antisthene Cynico (cf. Plato, rep. II 378 D. Duemmler, Antisthenica 75); idem apud Artemidorum haud raro inveniemus cf. p. 230, 12.[1])

1) Interpretatione igitur physica usurum se esse clare pronuntiat A., ceterum *περὶ γιγαντομαχίας*, quam his respicit, Cleanthes inter Stoicos

Duas autem divisiones praebet Art. l. II cap. 34, unam quod dividit deos in *αἰσθητοὺς καὶ νοητούς*, alteram in *ὀλυμπίους* vel *αἰθερίους, οὐρανίους ἐπιγείους, θαλασσίους καὶ ποταμίους, χθονίους, τοὺς πέριξ τούτων*. Sed hac una divisione in olympios etc. usus est in perscribenda de deis parte, altera perturbata. Deinde postquam de deis dixit, ad heroes atque daemones accedit cap. 40.

Iam haec divisio in *αἰσθητοὺς* et *νοητούς* id est percipiendos sensibus et ratione, haud multum mihi differre videtur a Stoici cuiusdam de hac re opinione. Dionysius enim, quem Zeller — IIIa[3] 318 — putat fuisse discipulum Posidonii, deos diviserat in tres species: qui in promptu sunt, qui non comparent, facti i. e. heroes. Quos igitur A. in *αἰσθητοῖς* numerat, hic in eis qui in promptu sunt, quoniam visus potissimum inter sensus ad hoc (*αἰσθάνεσθαι*) pertinet.

Iam ad singulos deos accedamus. *Ἀρτέμιδος* nomen derivatur ab *ἀρτεμές* 132, 16; idem praebet Cornutus p. 65, 18. Strabo XIV 635. (Muenzel, de Apollodori *περὶ θεῶν* libris. Bonn 1883. p. 22 censet hunc Strabonis locum doctam adnotationem docti hominis esse, fortasse descriptum olim ex commentario Homerico.) Cramer, anecd. Paris. III 211.

Apollo apud Artemidorum et *Παιήων* est (133, 5) et *Ἥλιος* 133, 8.[1]) Sane iam apud Homerum uterque nobis Apollo occurrit: est enim deus lucis — *λυκηγενής* — et pestem pellit — *ἀλεξίκακος*. Sed quamquam iam inde ab initio heroicorum tem-

librum composuit, quo eandem interpretandi rationem eum adhibuisse veri est simillimum. Zeller (IIIa[3] 328, 2) suspicatur *Θεομαχία* et *περὶ γιγάντων* unius libri varias esse inscriptiones. — Deinde hoc loco liceat mihi interpretari Artemidori verba: *τοῦτο μὲν γὰρ οἱ παλαιοὶ τοὺς μακρὰν ἀποδημήσαντας εἰς Ἅιδου πεπορεῦσθαι ἔλεγον* e. q. s. p. 158, 5; spectat hic A. ad veteres poetas vel mythographos, quos dicit, si quis procul domo afuisset, transisse ad inferos finxisse; forsitan ex etymologia hoc sibi persuaserit: *ἀειδές*: *Ἅιδης* cf. Corn. de n. d. ed. Lang. 74, 5. Aliis locis *παλαιοὺς* vocat eos qui ante ipsum onirocriticos scripserunt libros, hic eosdem, de quibus Cornutus praedicat: *οὐχ οἱ τυχόντες ἐγένοντο οἱ παλαιοὶ ἀλλὰ καὶ συνιέναι τὴν τοῦ κόσμου φύσιν ἱκανοὶ καὶ πρὸς τὸ διὰ συμβόλων καὶ αἰνιγμάτων φιλοσοφῆσαι περὶ αὐτῆς εὐεπίφοροι*. p. 76, 3.

1) Noli haerere in eo, quod A. dicit *καλεῖται, νενόμισται*, raro *ἐστίν*. Neque enim hoc premitur Apollinem re vera solem esse, contra hoc magni momenti est, notam esse eam sententiam 230, 4. 157, 16. Nam profitetur A. somnia quaedam oriri ex anima dormientium; quae cum ita sint, cum anima ipsa somnia fingat, sane multum valet, quae sint eius notiones et cogitationes. Accedit, quod A. pro certo scit, alios de hac re aliter censere; ea quoque de causa *νενόμισται* etc. scripsisse videtur.

porum Apollo talis videbatur in religione et mythologia, tamen vim eius, quae est vis lucis, dirimere in singulas partes optime quadrat in philosophos, potissimum in Stoicos. Corn. 66, 1: *Ἀ. καὶ Παιήων ἐκλήθη καὶ ἰατρὸς ἔδοξεν εἶναι.* Macrob. sat. I c. 17, 13: *Idem* (Apollo) *auctor est et publicae sospitatis, quam creditur sol animantibus praestare temperie* e. q. s. De Apolline ut sole haec habeo proferre. Corn. 65, 1: *Ἀπόλλων ὁ ἥλιός ἐστιν.* Cic. d. nat. d. II 68. Heraclit, alleg. hom. cap. 7 (Muenzel p. 7): *ἐκεῖνο δὲ ὃ ἐκ τῆς ἡμετέρας εἰκασίας ἀναγκαῖον εἰπεῖν, οὐ παρήσω, δεικνὺς ὅτι καὶ καθ' Ὅμηρον αὐτός ἐστιν Ἀπόλλων καὶ ἥλιος· τοῦτο δὲ εἰ λεπτῶς ἐθέλει σκοπεῖν τις ἐξ ἁπάντων εὑρήσει τῶν ἐπιθέτων γνώριμον.* Secuntur deinde complura Apollinis attributa, quibus Homerum quoque Apollinem et solem unum idemque numen putasse comprobetur. Ceterum iam Plato in Cratylo 405 E sq. Apollinis vim variam praedicat variasque nominis originationes habet, nescio an usus ironia, ut ludat talia vana studia; ibi derivatur nomen Apollinis ab *ἁπλοῦν* i. e. *ἀληθές*, quo nomine vertimur ad *μαντικήν*, deinde ab *ἀεὶ βάλλων* — *Ἀπ. τοξότης* — tum ab *ἀπολούων* — *Ἀπ. ἰατρός* — denique ab *ὁμοπολῶν*, quo delegamur ad musicam.

Nec non de Minerva[1]) consentiunt Art. et Stoici scriptores; appellat enim A. eam *φρόνησιν* (133, 13. 257, 17) idemque habet Cornutus Stoicus 33, 10. Heracl. alleg. hom. ed. Gale: 435, 485 sq. Plato quoque Minervam cum *νῷ* vel *φρονήσει* quodammodo connectit, derivat enim: *Θεονόη* — *Θεονόα* — *Ἠθονόη* — *Ἀθηνᾶ* Crat. 407 A sq. Porro eadem Minerva confertur cum terra. Art. 133, 15: *Καὶ γεωργοῖς ἀγαθή· τὸν γὰρ αὐτὸν τῇ γῇ λόγον ἔχει, ὥς φασιν οἱ φιλόσοφοι.* Neque hoc a Stoicorum sententiis discrepat (Heracl. all. hom. p. 444. Zeller III a[3] 325, 3). Quod A. hic dicit *οἱ φιλόσοφοι* non est neglegendum; etenim quoniam — meo quidem iudicio — soli Stoici hoc habent, quod Minervam ut terram interpretantur, Stoicos hic appellat *τοὺς φιλοσόφους* i. e. philosophos *κατ' ἐξοχήν*· verisimile igitur videtur, ipsum eorum placitis addictum fuisse.

Iam venimus ad *πῦρ αἰθέριον* quod A. numerat in deis olympiis vel aetheriis 130, 21 sq. 92, 12: *περὶ τοῦ πυρὸς διπλῇ τῇ κρίσει χρῆσθαι καλῶς ἔχει, πῇ μὲν ὡς περὶ οὐρανίου καὶ*

1) In eo libro, quem de Minerva scripsit Diogenes Babylonius — Cic. d. n. d. I 41 — partum Iovis ortumque virginis ad physiologiam traduxit; inde cogitari licet et Heraclitum et Cornutum quae de Minerva vel Vulcano proferant sumpsisse.

θείου, πῇ δὲ ὡς περὶ ἐπιγείου καὶ τοῦ ἐν χρήσει. Duo autem sunt Stoicis ignes eique maxime diversi; unus perlucidus et purus, *διαυγὲς καὶ καθαρόν*, alter, aëre permixtus, quem adhibemus in usum vitae: *τὸ ἐν χρήσει καὶ ἀερομιγές*, ut distinguit Cornutus 33, 14. Sic et Balbus Stoicus apud Ciceronem discernit ignem, quem adhibemus ad usum vitae atque victum ab eo, qui corporibus animantium continetur d. n. d. II 40. Stoicis ignis purus et perlucidus — aether — erat Iuppiter, ignis autem, quem usus vitae requirit, erat Vulcanus (Heracl. all. hom. 445). Quod A. accuratius hanc distinctionem non exposuit, mirum non est, quoniam ad ipsius materiem minus pertinebat.

Porro de Libero similia censent Stoici atque noster A., namque etiamsi iam veteres poetae vinum appellaverunt dei nomine, Stoici potissimum hoc urgebant, in deis physicam vim inesse.

Art. 141, 2: (*Διόνυσος*) *ταραχὰς καὶ κινδύνους καὶ ἐπιβουλὰς καὶ περιβοήσεις σημαίνει διὰ τὴν περὶ τὸν θεον ἱστορίαν καὶ διὰ τὸν φυσικὸν λόγον τοῦ Διονύσου.* Quid autem aliud sibi vult ὁ *φυσικὸς λόγος* nisi vinum spectat? Vinum igitur est Liber; cf. Cic. d. nat. d. II 60: *Quidquid magnam utilitatem generi afferret humano, id non sine divina bonitate erga homines fieri arbitrabantur; itaque tum illud, quod erat a deo natum, nomine ipsius dei nuncupabant, ut cum fruges Cererem appellamus, vinum autem Liberum.*[1]) Ceterum Dionysi nomen ducit A. a *διανύειν* (140, 29); tales autem originationes Stoicorum propriae sunt, quae multae cum apud alios tum in Cornuti de deorum natura libro occurrunt. Permultas de Libero invenies in Et. M. Artemidori autem etymologia in Et. M. tribuitur Alexandro cuidam Thasio, nec non praebetur a Cleanthe Stoico: cf. Macr. Sat. I 18, 14: ibi quoque *Διόνυσος* derivatur a *διανύειν*. Quod D. eundem esse atque solem hac re demonstratur, ad etymologiam ipsam nil pertinet. — *Τυγχάνει δὲ ὁ Ἑρμῆς ὁ λόγος ὤν, ὃν ἀπέστειλαν πρὸς ἡμᾶς ἐξ οὐρανοῦ οἱ θεοί, μόνον τὸν ἄνθρωπον τῶν ἐπὶ γῆς ζῴων λογικὸν ποιήσαντες* Corn. 20, 18. Artemidorum quoque censuisse *λόγον* ad Mercurium quodammodo pertinere ex his verbis apparet: *Ἑρμῆς ἀγαθὸς τοῖς ἐπὶ λόγους ὁρμωμένοις.* 141, 19. Sane facillime Mercurius et *λόγος* con-

1) Annotat Schoemann: *Also nur metonymisch, die Gaben nach den Göttern benannt, aber nicht selbst vergöttert.* Sed sunt alii loci unde apparet res ipsas divinas esse habitas. Cic. d. n. d. I 38. II 80; vi igitur, quae in his rebus inest, adducti res ut divinas colebant et nominibus deorum ornabant; cf. Zeller IIIa[3] 316.

iungi possunt, quoniam deorum nuntius cultus est. — Ne autem in errorem inducaris hoc loco 43, 4: *τὸ αἰδοῖον ἔοικε . . . λόγῳ καὶ παιδείᾳ, ὅτι γονιμώτατον πάντων τὸ αἰδοῖόν ἐστιν, ὥσπερ καὶ ὁ λόγος. Εἶδον δὲ καὶ ἐν Κυλλήνῃ γενόμενος Ἑρμοῦ ἄγαλμα οὐδὲν ἄλλο ἢ αἰδοῖον δεδημιουργημένον λόγῳ τινὶ φυσικῷ.* Nulla hoc loco intercedit inter Mercurium et *λόγον* (sermonem) ratio; sed inde ab *εἶδον δὲ καὶ* iam novum enuntiatum incipit, in quo declarat, inesse in Mercurio rationem quandam naturalem: sed hoc ipsum ad Stoicos spectat.

Tres formae Stoicis erant Veneris. Corn. 46, 4: *οὐρανία . . . πάνδημος . . . ποντία.* Art. cum eis consentiens haec praebet 142, 9 sq.: *ἡ δὲ οὐρανία τὰ ἐναντία τῇ πανδήμῳ σημαίνει . . . Ἀφροδίτη . . ἡ πελαγία* et q. s.[1]) Sane hae formae traditae erant in mythologia; neque enim veri est simile Stoicos novi quidquam attulisse, sed quae confirmarent ex ipso cultu hausisse; satis tamen mirum videtur, quod noster A. in interpretatione somniorum — nec multa de deis dixit — has ipsas formas notat ut Stoici; apparet inde pro certo eum mythologiae studiose se dedisse et, cum haud paucis locis eadem atque Stoici placita proferat, Stoicique, ut supra dixi, enixe operam navarint theologiae atque mythologiae explicandae, nonne videtur verisimile e Stoicorum disciplina, quae censeat, A. hausisse?

Deinde Veneri (*Ἀφροδίτῃ*) ut quae ex Asia, ubi Astarte culta est, in Graeciam migraverit — Curtius, gr. Gesch. I[6] 48 — frugifera quaedam vis inest; cf. Corn. 45, 3: *Ἀ. δέ ἐστιν ἡ συνάγουσα τὸ ἄῤῥεν καὶ τὸ θῆλυ δύναμις.* Similia invenies apud Artemidorum p. 142, 11: *Μάλιστα δὲ ἀγαθὴ πρὸς γάμους καὶ κοινωνίας καὶ πρὸς τέκνων γονήν· συνδυασμῶν γὰρ καὶ ἐπιγόνων ἐστὶν αἰτία· ἀγαθὴ δὲ καὶ γεωργοῖς· φύσις γὰρ καὶ μήτηρ τῶν ὅλων εἶναι νενόμισται.* Zeller III a[3] 332, 8.

Vulcanum ignem esse iam supra dictum est p. 143; nunc ex A. et Cornuto locos huc pertinentes afferam; Art. 142, 28: *Ἥφ. τὰ μὲν αὐτὰ τῷ πυρὶ σημαίνει, ὡς δ' ἐπὶ τὸ πλεῖστον τὰ κρυπτὰ ἐλέγχει καὶ μάλιστα μοιχείας διὰ τὴν περὶ αὐτὸν ἱστορίαν.* Corn. 34, 12 sq.: *Ἥ. δεδεκέναι μυθεύεται τὸν Ἄρην. . . . . τὸ γὰρ πῦρ ᾧ χρῶνται αἱ τέχναι, συνεργὸν πρὸς τὴν ἀπόδειξιν τῆς φυσικῆς τῶν ἀνθρώπων ἀγχινοίας γενόμενον ὥσπερ κεκρυμμένην αὐτὴν εἰς φῶς προήγαγεν.*

Ἔτι καὶ τὴν Δημήτερα, inquit A., 144, 32, *τῇ γῇ τὸν*

1) Duas formas novit Plato in convivio, p. 180 D: *οὐρανία — πάνδημος*, et Xenoph. conv. 8, 9.

αὐτὸν ἔχειν λόγον φασὶν οἱ σοφοί[1]); quae explicatio Artemidoro probata optime convenit cum Cornuto atque Balbo Stoico; Corn. 52, 5. Cic. d. n. d. II 67: *a Graecis (mater) Δημήτηρ quasi Γημήτηρ nominata est.* Aug. d. c. d. VII 16.

Neque de Luna, quae quidem aliquid rationis habet cum Venere, dissentiunt A. atque Stoici. Art. 135, 16: *Σελήνη τροφὸς εἶναι νενόμισται.* Cic. d. n. d. II 119. Deinde quod A. pronuntiat: *Σ. ἧττόν ἐστι τοῦ ἡλίου θερμή* 136, 10 (81, 27 *ὑγρὰ οὖσα.* 136, 8: *ἐπεὶ φύσει ἐστὶν ὑγρά*), potuit quidem haurire ex observatione; liceat mihi conferre cum Stoicorum placitis, solem ex uno aethere, lunam ex aëre et aethere mixtam esse eaque de causa minorem inesse calorem censentium. Cf. Diels, dox. gr. p. 459, 2 (de Chrysippo) p. 627, 13.

Iam quod A. in deis numerat stellas, nubes, ventos (p. 130, 24) a Stoicis haud alienum est: Cic. d. n. d. I 37. II 42; etenim cum nihil in universitate rerum non sit divini particula animi, ut terra mare orae, hinc recte Zeno Chrysippus Posidonius in his omnibus dei naturam reponunt.

Summi autem mihi momenti videtur id quod de fato dicit 146, 3: *Ἡ τῶν ὅλων Φύσις καὶ Εἱμαρμένη καὶ Πρόνοια καὶ εἴ τι ἄλλο ὄνομα*[2]) *τούτοις ἰσοδυναμεῖ* .... nam hoc certe Stoicorum proprium est. Repetere mihi liceat, quae supra de hac re dixi; Stoicis unum numen erat prima et princeps causa, ratio in materie insita eiusque artifex, id est deus faciens; illam autem divinam animam variis nuncupabant nominibus; appellabant enim illam: Iovem, aethera, *τὴν τοῦ ὅλου — τῶν ὅλων — φύσιν*, divinam naturalemque legem, *νόμον*, necessitatem omnium rerum, *ἀνάγκην*, fatum — *εἱμαρμένην*, providentiam — *πρόνοιαν*. Ceteri autem dei antiquitus traditi, ut Apollo, Minerva aliae eiusdem numinis partes sunt aut melius idem numen diversis vero nominibus usum, quod diversis fungitur muneribus vel in diversis mundi partibus apparet (Zeller IIIa[3] 325), ut vetus poeta dicit, Hermesianax, Stoicis laudatus:

Πλούτων Περσεφόνη Δημήτηρ, Κύπρις, Ἔρωτες
Ἄρτεμις ἠδ' ἑκάεργος Ἀπόλλων εἷς θεός ἐστιν.[3])

Cuius sententiae permulta testimonia exstant.[4])

1) Iterum *οἱ σοφοί.* Cf. p. 142.
2) *ὄνομα* quod sensus requirit addidit Hercher.
3) Cf. Villoison, theologia physica Stoicorum (Cornutus ed. Osann. p. 505).
4) Cic. d. n. d. I 37. I 39. Plut. de Stoic. rep. IX 3. XXXIV 5 de comm. notit. XXXI 5. Minuc. Fel. Octav. XIX 10. Tert. apol. 21. Lact.

Facile autem intellegitur singulos inter se misceri posse deos, utpote qui una eademque vi contineantur i. e. anima divina; quod saepe apud Art. invenitur:

P. 144, 32: *ἔτι καὶ τὴν Δημήτερα τῇ γῇ τὸν αὐτὸν ἔχειν λόγον φασὶν οἱ σοφοί.*

P. 145, 21: *ἡ λεγομένη Μήτηρ θεῶν γῆ εἶναι νενόμισται.* Quos locos si coniungimus et *Δημήτερα* et *μητέρα τῶν θεῶν* inter se misceri cognoscimus. — P. 142, 13: (*Ἀφροδίτη*) *φύσις καὶ μήτηρ τῶν ὅλων εἶναι νενόμισται.* — P. 146, 8: *Ἡ τῶν ὅλων Φύσις καὶ Εἱμαρμένη καὶ Πρόνοια καὶ εἴ τι ἄλλο ὄνομα τούτοις ἰσοδυναμεῖ.*[1]) Huc illud quoque pertinet quod Sol et Apollo unus deus esse censentur; nec minus hoc referri potest ad Stoicorum theologiam, quod A. praedicat 14, 4: *ἄλλοι ἄλλους τιμῶσι θεούς, ἀλλ' ἐπὶ τὸ αὐτὸ τὴν ἀναφορὰν ἔχουσι πάντες* i. e. multa sunt nomina, unum numen.

Exstat deinde apud A. locus qui certissime cum Stoicorum quodam decreto convenit, 42, 25: *τὸ αἰδοῖον ἔοικε γονεῦσι μὲν ἐπεὶ τὸν σπερματικὸν ἐπέχει λόγον*; intellexerunt enim Stoici per *σπερματικὸν λόγον* vim illam, quae instar seminarii continet in se causas rerum factarum, quae fiunt et quae futurae sunt; dein constituerunt complures *λόγους σπερματικούς*, qua in re idem nobis offertur, quod in illorum de deis placitis; etenim una illis fuit divina vis, multae autem eius formae.[2])

Iam vero heroes atque daemones, quos deos habent Stoici minores ceteris, ministros eorum internuntiosque, apud hunc exstant; e Stoicorum autem mente unicuique appositus est angelus custos, malorum bonorumque observator (Epictet. diss. I 14, 12. 14, 14. Sen. ep. 110, 1); idem elucet ex Artemidori verbis 262, 3: *ὁ μὲν γὰρ πατὴρ εἰκότως ἐσήμαινε τὸν δαίμονα τὸν τοῦ ζῆν αἴτιον τῷ ἰδόντι.* Simile invenisse mihi videor hoc loco: *Εἰ δέ τις ἐν δεσμοῖς ὢν ἴδοι τὸν ὄνειρον τοῦτον, προσεπισωρεύσει αὐτῷ τὸ δαιμόνιον καὶ ἄλλα τινὰ κακὰ πρὸς τῷ μὴ λυθῆναι*

inst. div. IV 9. Euseb. pr. ev. XV 15. Diels, dox. gr. p. 306 (Athenagoras) p. 588 (Epiph. adv. haer.) p. 618 (Galeni hist. phil.). Corn. d. n. d. XIII Zeller IIIa³ 315. 318. 673, 5.

1) Rectam esse hanc interpretationem inde potest cognosci quod singula numina in aequo ponit matri deorum, vel naturae omnium vel terrae (Aug. de civ. d. VII 16), in quibus anima divina — i. e. vis qua omnia progignuntur — manifeste atque clare apparet. Cf. Lobeck: Aglaoph. p. 79.

2) Ceterum *ὁ σπερματικὸς λόγος* facultatem quoque libros progignendi ut partem animae significat. Cf. Plut. de pl. ph. IV 4. 2. Zeller IIIa³ 198.

20, 8; dicit Art. *τὸ δαιμόνιον* i. e. suus cuique genius mala addet.[1])

De deis satis mihi dictum sit; alia investigemus indicia, unde eluceat Artemidori placita cum Stoicis congruere. Atque in morali quidem parte Stoici censebant ad virtutem perveniri animo sedato nec incitationibus perturbato (Zeller IIIa[3] 230 sq.); itaque vacationem spei atque metus potissimum appetiverunt (Cic. Tusc. qu. III 23. V 43); principes enim affectus esse *ἐπιθυμίαν φόβον λύπην ἡδονήν*, ortos ex falsis opinionibus de rebus aut praesentibus aut futuris decernebant. Nec non haec habet A. qui condemnat spem metumque ut praebentes inania somnia: 3, 23. 199, 17. 200, 2—8. Quid? quem vocat hic *σπουδαῖον*, nonne is videtur esse sapiens ex Stoicorum decretis, quoniam nec perturbatur spe metuque, et moderatur libidinibus?[2])

Obiciat mihi quisquiam, quod A. dicit 98, 24: *κρεῖττον τὸ κακοῦν τοῦ ὑπό τινος κακοῦσθαι*, toto caelo a Stoicorum praeceptis distare; sane Stoicis placebat iniuriam haudquaquam esse inferendam, contra amore prosequendos vel inimicos, certe veniam esse dandam. (Sen. de ira II 32. Cic. de off. I 88. Tusc. V 56. Zeller IIIa[3] 300. 752.) Secuti esse videntur in hac re Stoici[3]) Platonem Platonicumque Socratem (Zeller IIa[4] 171) qui nullo omnino modo iniuriam esse inferendam censebant. (Crito 49 B. Gorgias 469 C. 473 A. 474 B.)[4]) Neque autem omnes hoc praeceptum servabant (Meno 71 E. Rep. I 334 B), contra plurimi — in sophistas potissimum cadit — boni esse viri praedicabant, amico quidem prodesse, obesse inimico (cf. Xen. Mem. II 6. 35 Eurip. Ion 1046 Nauck); Aristoteli autem neque inferre neque accipere iniuriam iusti videbatur viri: eth. Nic. 1126, eth. Eud.[5]) 1231 B. — Si autem

1) Posidonius scripsit *περὶ ἡρώων καὶ δαιμόνων*, quibus utebatur ad divinationem firmandam atque probandam. Zeller IIIa[3] 320, 3. 576.

2) Iam placitum Stoicorum illud: *μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος πλούσιος βασιλεύς κτλ.* (Zeller IIIa[3] 251) si quis invenisse sibi videbitur apud A. 22, 8 decipietur: *ἀγαθὸν δὲ καὶ ἀνδρὶ σοφῷ καὶ ἱερεῖ καὶ μάντει καὶ βασιλεῖ καὶ ἄρχοντι καὶ τοῖς περὶ τὸ Διόνυσον τεχνίταις.* Nam exstat hoc loco *ὁ σοφὸς* una cum sacerdotibus vatibus regibus archontibus; neque autem ea de causa coniunguntur, quod unus philosophus verus est sacerdos et vates et rex, sed, ut ait A., *τούτων γὰρ οἷς μὲν ἔθος ἐστὶ κομᾶν, οἷς δὲ τὸ ἐπιτήδευμα κομᾶν ἐπιτρέπει.*

3) R. de Scala, St. d. Pol. I 221.

4) Cf. Gellius XII 9.

5) Abhorret ab eo paraphrasis ad eth. nic. cf. Mullach III 429 l. V cap. 8: *ὅτι χεῖρον κακὸν τὸ ἀδικεῖν τοῦ ὑπό τινος ἀδικεῖσθαι.* Stahr, Aristot. II 262.

uni ex eis, qui iniuriam accipere turpius atque peius quam inferre profitebantur, attribuere in animo habes Artemidorum, timeo ne in errorem incidas. Analogiam afferre licet: christiani iubentur amare inimicos; quantulam autem partem invenies, qui hoc sequantur praeceptum! Noli igitur hac de causa Artemidorum mihi eicere e Stoicorum castris, ne aut ipse ex christianorum depellaris aut multos depellas.

Quam civitatis formam probaverit A. aperte non docet; sed quod duobus locis oves dicit significare homines 63, 18. 100, 8, suspicio oritur novisse eum Cynicorum Stoicorumque de hac re placita; ovium enim gregi Cynici eosque secuti Stoici rem publicam comparabant: Zeller IIa[4] 325, 5. IIIa[3] 302, 3: Plut. Alex. M. virt. I 6: *ἀγέλη σύννομος, νόμῳ κοινῷ τρεφομένη*. Art. 100, 8: *πείθεσθαι τῷ ποιμένι καὶ συναγελάζεσθαι*.

Animas quae in animantibus reperiantur, affirmat Diog. L. — Zeller IIIa[3] 200 — Stoicis immortalis animae mundi partes videri; idem habet Eus. pr. ev. XV 20. Hippol. Diels dox. 571, 17. Qua de re quid censeat A. invenies p. 155, 9. 160, 25: *φασὶ γὰρ τὰς ψυχὰς ἀπαλλαγείσας τῶν σωμάτων εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνιέναι τάχει χρωμένας ὑπερβάλλοντι*. (Cf. de celeritate Cic. tusc. qu. I 43.) Idem enim fere inde apparet: post mortem redit anima ad caelum i. e. ad aethera, unde profluxit; animae mundi ac proinde dei non solum opus sed etiam pars est, neque ab ipso sed ex ipso facta. (Friedlaender, Sittengesch. III[5] 690.) Contra alio loco habet A. post mortem in aliis studiis esse occupatam animam hominis 262, 7. Sed neque suam ipsius sententiam ibi profert nec Stoici de hac re omnes consentiebant. Alii enim censebant animas corporibus solutas saltem sapientes ideoque validas aliquamdiu inter divina coelestiaque remanere, alii statim post obitum naturae suae reminisci et in animam mundi communem animarumque fontem refundi. Diog. L. VII 157.

Mortem ipsam haud timendam esse praedicat A. quippe quae liberet omnibus curis laboribus incommodis p. 150, 9. 25. 151, 3. 9. 247, 3. 259, 22. 273, 9. Neque aliud significatur verbis Cornuti Stoici, qui *Εὐβουλέα* vocat Hadem, cap. XXXV p. 74, 10, porro conferendi sunt Senecae hi loci ep. 24. 70. 58. de ira III 15.

Sedem animae cum plurimi Stoici censerent esse cor, Cleanthes ponebat *τὸ ἡγεμονικόν* i. e. *τὸ λογικόν* in capite vel cerebro, inferiores partes in corde reliquit; quem secutus esse

videtur Posidonius.[1]) Artemidorus quoque fontem vel initium vitae — et in anima sita est vita — in capite inesse docet p. 6, 19. 36, 4. Contra ceterorum placitum prae se fert 42, 14; neque igitur in unius verba magistri iuravit.

Negat A. 226, 16 in natura omnia esse necessaria, contra multa pulchritudinis ornatusque causa esse constituta contendit. Hoc autem ipsum semper Balbus Stoicus apud Ciceronem praedicat neque minus e pulchritudine naturae quam ex utilitate deos esse concludit. Cic. d. n. d. II 58. II 104. II 115. II 127. Zeller IIIa[3] 170 sq.

Deinceps, quas artis suae partes discernit in memoriam vocant Stoicorum artis grammaticae partitionem; dico autem haec:

Propius inter se iunguntur apud A. libri quattuor primi, secernitur quintus; in quinto enim numerum satis magnum confert somniorum, quae significata sint eis, docet, causas explicat; in primis quattuor non a veris sed fictis proficiscitur somniis, causas addit eventus, rarius exempla; in illis exstat ratio, in hoc usus.[2])

De libris I—IV quid ipse censuerit, hinc elucet 148, 21: *τέχνη ὀνειροκριτικὴ καὶ ὑποθῆκαι θεωρημάτων*.

254, 6: *τεχνικὴ θεωρία*: vult igitur accipias hos libros ut rationem (*θεωρίαν*) continentes. Quintum addidit *ἱστορίας ἕνεκα ὅπως ἔχῃς ἀπονώτερον ταῖς τριβαῖς χρῆσθαι* 252, 26.

254, 8: *ὅμως σοι προσδεῖν ἡγούμενος τριβῆς τε καὶ γυμνασίας τὴν ὑπόσχεσιν ἀποδίδωμι*. Quid autem significat priore loco *ἱστορία*? Assumas quaeso 253, 2: *τὸ προκείμενον ἦν ἱστορίαν ὀνείρων ἀποβεβηκότων συναγαγεῖν σοι*. Inde mihi clare videtur apparere nuncupatam esse Artemidoro vocem *ἱστορίας* pro materie. Materiem — scribit filio — somniorum tibi colligo, qua usus magis magisque in arte exercearis (*τριβῇ*). Itaque in *ὀνειροκρισίᾳ* haec deprehenduntur: *θεωρία, ἱστορία, τριβή*, quae partitio eadem fere est atque Taurisci, Cratetis discipuli — et a Stoicis stabant Pergameni — qui dividit grammaticam vel potius *τὴν κριτικὴν* in *λογικὸν ἱστορικον τριβικόν*; atque apud eum quoque *ἱστορικὸν* continet materiem fabularum et narrationum apud poetas et rerum scriptores, quae discernenda est viro critico. Quod ceterae partes argumenta alia tractant, mirum

1) Cf. Hirzel, Untersuchungen zu Ciceros philos. Schriften II 772 sq. Eius argumenta non refutavit Schmekelius 259, 2.

2) Qualis est liber V, tales conscripsisse censeo A. ante editum opus, unde experientiam hauriret; eae fuerint, si mihi licet, parva componere magnis, *πολιτεῖαι, πολιτικὴ τέχνη* l. I—IV, est l. V via, finis ceteri.

non est, quoniam artes critica et onirocritica tanto distant intervallo. Cf. Steinthal, Gesch. der Sprachw. 545. Hirzel, Untersuchungen II 888.

Saepius iam in perlustranda Stoicorum theologia commemoranda mihi fuit consuetudo philosophorum illa, allegoria atque etymologia quam vocant Graeci demonstrare in deis vim inesse quandam naturalem. Illae autem etymologiae adeo non litteris doctrina scientia nitebantur, ut contra ad insaniam fere inepte profusae sint.[1]) Eodem auxilio A. utitur eundemque in risum incidit; proferam nonnulla exempli causa:

4, 3 sq.: *ὄνειρος....τὸ ὂν εἴρω....ὀρείνω.*
11, 28: *κάμηλος....κάμμηρος (κάμπτω).*
24, 6: *καρῆναι...χαρῆναι.*
71, 16: *κήρινοι στέφανοι..κῆρα.(θάνατον).*
100, 8: *πρόβατον....προβιβασμός.*
100, 14: *κριός....κρείειν (ἄρχειν).*
101, 10: *ὄνος....ὄνασθαι.*
102, 2: *βόες....περιβοήσεις.*
113, 1: *ἀετός....α—ετος (πρῶτον ἔτος).*
203, 6: *ἔθος....συνθέμενοι ἑαυτοῖς.*

Nec multum differt, quod ex sola sermonis consuetudine interpretari conatur somnia:

43, 10: *μήδεα = βουλεύματα = αἰδοῖον.*
43, 11: *αἰδοῖον ἀναγκαῖον καλεῖται.*
43, 12: *αἰδοῖον = αἰδώς = ἐπιτιμία.*

89, 3. 89, 13. 95, 2. 121, 24. 133, 25. 145, 6. 170, 14. 192, 11. 153, 17. 207, 18. 217, 20. 248, 25. 272, 23.

Neque hic praetermittendi sunt silentio singuli termini vel singulae voces, in quae permigrantes Stoicorum philosophiam incidimus; sunt autem potissimum haec:

Accurate inter se distinguuntur:

μῖξις. κρᾶσις. σύγχυσις. παράθεσις.[2]) *Μῖξις* quidem adhibetur sine certa notione, de aqua et vino vel melle loquentes utuntur voce *κρᾶσις*, *παράθεσις* de frumento; *σύγχυσις* exempli causa de pharmacis. Retinent enim in *παραθέσει* materiae suam quaeque naturam et qualitatem neque inter se coniunguntur, ut

1) Exempli causa apud Cornutum Aphrodite nominatur quod sunt *ἄφρονες οἱ ἡττώμενοι αὐτῆς*, cf. Cic. d. n. d. II 66. III 63. de off. I 23 (fides — fio).

2) Zeller IIIa 127. Cf. Alexandri Aphrodisaei de mixtione libellus, Tübingen 1540 p. 47 sq.

si miscentur fabae cum tritico (*παράθεσις* est *σωμάτων συναφὴ κατὰ τὰς ἐπιφανείας*). In *κράσει* autem ut permeat altera alteram, tamen dividi atque resolvi possunt, quoniam suas quaeque materia qualitates haud amittit (*δύο ἢ καὶ πλειόνων σωμάτων ἀντιπαρέκτασις δι' ὅλων, ὑπομενουσῶν τῶν συμφυῶν περὶ αὐτὰ ποιοτήτων*). Id non cadit in *σύγχυσιν*, qua adeo materiae altera in alteram transeunt, ut naturam suam abiectam vel mixtam cum altera resolutione recipere non possint, contra nova aliqua res orta est mixtura: *Σύγχυσις δύο ἢ καὶ πλειόνων ποιοτήτων περὶ τὰ σώματα μεταβολὴ εἰς ἑτέρας διαφερούσης τούτων ποιότητος γένεσιν.* — Quae conferamus cum Artemidori nonnullis locis:

206, 15: *τῷ γῆμαι καὶ κοινωνῆσαι ἐθέλοντι ἄμπελος καὶ οἶνος, ἡ μὲν διὰ τοὺς ἕλικας ὁ δὲ διὰ τὴν κρᾶσιν, ἐπιτηδειότερα πυρῶν ἢ κριθῶν.* Quid? hoc loco nonne eodem sensu nuncupat *κρᾶσιν* atque Stoici? nonne vini aquaeque mixtura opponitur hordei atque tritici? Accedit quod Antipater quoque conubium confert cum *κράσει*: Stob. flor. 67, 25. Amicitiae enim ceterae comparandae sunt *ταῖς τῶν ὀσπρίων κατὰ τὰς παραθέσεις μίξεσιν*, amicitia autem inter coniuges *ταῖς δι' ὅλων κράσεσιν, ὡς οἶνος ὕδατι καὶ τοῦτο μέλιτι μίσγεται δι' ὅλων.* Eadem autem comparatio ex Artemidori loco citato apparet.

182, 22: *συνεργὰ δὲ τὰ εἰς ὑφὴν ἱστοῦ παρασκευαζόμενα πολλὰς φροντίδας καὶ σύγχυσιν πραγμάτων σημαίνει ὧν ὀψὲ καὶ μόλις ἔσται διάκρισις· ἕως μὲν γάρ ἐστι συνεργά, συγκέχυται καὶ ἀδιάκριτά ἐστιν.* De iugi filis nuncupat vocem *σύγχυσις*; et id quod supra commemoravi, hic quoque nobis occurrit: quae synchysi commixta sunt, solvi non possunt (*ἀδιάκριτά ἐστιν*). — Vox *μίγνυσθαι* habet sensum coeundi.

Ἔνστασις est institutio; potissimum de moribus adhibetur. Epictet. diss. III 22, 19: *πρῶτον οὖν τὸ ἡγεμονικόν σε δεῖ τὸ σαυτοῦ καθαρὸν ποιῆσαι καὶ τὴν ἔνστασιν ταύτην.* Artem. 200, 3: *ἔνστασις ἀγαθὴ καὶ εὐπροαίρετος.*

Hominem vocat M. Aurelius IX 16: *ζῷον λογικόν*: *οὐκ ἐν πείσει ἀλλ' ἐνεργείᾳ τὸ τοῦ λογικοῦ πολιτικοῦ ζώου κακὸν καὶ ἀγαθόν.* VIII 35: *τὸ λογικὸν ζῷον δύναται πᾶν κώλυμα ὕλην ἑαυτοῦ ποιεῖν καὶ χρῆσθαι αὐτῷ, ἐφ' οἷον ἂν καὶ ὁρμήσῃ.* Art. 211, 20 hominem numerat in *ζώοις λογικοῖς*. Cf. Epict. I 6, 12. I 9, 4 saepius.

κατάληψις est cognitio, perceptio, comprehensio. Cic. ac. pr. II 17. 145 de fin. III 17; multis locis apud Epictetum habes

καταληπτικαὶ φαντασίαι; idem fere sensus subest verbis Art. 1, 11: περὶ ὧν ἂν ἔχω κατάληψιν.

Non distinguit A. p. 177, 3 inter ἐπιθυμίας et ὀρέξεις; ne Stoicis quidem haec vocabula opponuntur, quoniam alterum interpretantur per alterum, instructum id quidem epitheto.

Βούλησις est εὔλογος ὄρεξις.

Ἐπιθυμία est ὄρεξις ἄλογος vel ἀπειθὴς λόγῳ; ὄρεξις igitur est genus, ἐπιθυμία species.

Porro 197, 13: ὅσα σπερματωδέστερα καὶ οὐκ ἐξειργασμένα οἱ παλαιοὶ συνέγραψαν, ἐξειργασάμην εἰς λεπτὴν καὶ ἀληθῆ διαίρεσιν in memoriam nobis revocant verba Ciceronis de Zenone et Cleanthe Stoicis: de div. I 6: *quod et Zeno in suis commentariis quasi semina quaedam sparsisset et ea Cleanthes paulo uberiora fecisset.* — 257, 15: ἄσκησις philosophi in Stoicum optime quadrat. Zeller IIIa[3] 51. προσεπισωρεύειν 20, 8 accumulare, vox satis raro nuncupata primo invenitur apud Epictetum: Diss. I 2. 24. II 16. 21.

Docuisse mihi videor multa Artemidori et Stoicorum convenire decreta. Forsitan obiciat mihi quispiam: quae tu argumenta profers, refuto; etenim hoc vel illud non Stoicorum proprium est, sed apud alios quoque potest indagari. Sane! sed omissa de Artemidoro quaestione, quid de Stoicis censendum est? Quid? quaecunque prae se tulerunt, omnia ipsi finxerunt? Minime, a prioribus multa sunt mutuati; ut Heraclitus ille, cuius ex alleg. hom. nonnullos attuli locos, Homero tribuit ea, quae ipse probavit, Homerum, ut ita dicam, stoicissasse putat. Cf. Cic. d. n. d. I 41. Vnde cognoscitur non puduisse Stoicos confiteri, non nova se fingere placita, sed proferre ea quae iam diu valuissent. — Itaque in alios alia quadrant, in Stoicos summa atque plurima.

Neve hoc quisquam improbet: non omnia Stoicorum philosophumena praebet Art. In onirocriticis libris philosophiae nullus fere locus datur. Itaque cum congruant tam multa cum Stoicis, nihil fere pugnet, hoc concludo:

Art. etiamsi non uni philosophiae totum se dedit, tamen philosophorum disciplina imbutus et Stoicorum potissimum decretis instructus est.

QVAESTIONES PORPHYRIONEAE

SCRIPSIT

PAVLVS WESSNER

§ 1. De patria et aetate Pomponii Porphyrionis, quem commentarios in Horatii carmina composuisse notum est, nihil veteres tradiderunt: nihilominus viri docti vario modo et a variis profecti fundamentis et de patria et de aetate quaesiverunt. Qua in re quae sibi effecisse videbantur singuli, haudquaquam ita inter se congruunt, ut novae quaestioni materiem praeripuerint. Nos vero, ut quaestionem de patria commentatoris, quae minoris est momenti, hic mittamus[1]), hoc libello id nobis proposuimus ut Porphyrionem certo saeculo tribuamus sententiamque nostram quantum fieri possit satis firmis argumentis comprobemus.

§ 2. Sed priusquam rem ipsam aggredimur, sententias virorum doctorum, qui usque ad haec tempora illam quaestionem tractaverunt, breviter percenseamus et quibus argumentis suam quisque sententiam fulcire conatus sit videamus. Qua in re hoc praemonendum est illos in duas partes discessisse; alii enim, quo in numero sunt Kellerus et Kiesslingius, ineunte saeculo tertio Porphyrionem vixisse existimaverunt, alii autem, in quibus Sittelius, G. Meyerus, Urba sub finem quarti saeculi eum vitam degisse affirmaverunt.

Ac primum quidem iis quae Kellerus[2]) ad confirmandam sententiam protulit, nullam omnino argumenti vim tribuere possumus[3]); nam postquam Porphyrionem intra annos 140 et 300 vixisse contendit, nulla se re impediri affirmat, quominus Porphyrionis commentarios inter annos 200 et 250 scriptos esse sumat. Neque Kiesslingius[4]) quid de hac re sentiret satis firmis argumentis comprobasse mihi videtur. Dicit enim fere haec: 'Cum Iulius Romanus apud Charisium Marcium quendam Salutarem laudet, ad quem vix ante Alexandri aetatem provocare potuerit, idemque

1) Cf. de hac re O. Keller, Symbola Phil. Bonn. p. 495 sq.; C. F. Urba, Meletemata Porphyrionea P. III passim.

2) l. c. p. 491.

3) Cf. Sittl, Die lokalen Verschiedenheiten der latein. Sprache 1882 p. 90 adnot. 22.

4) De personis Horatianis commentatio. progr. Gryphisw. s. aest. 1880 p. 6 adnot. 6.

Romanus locum afferat e Porphyrionis commentariis depromptum, satis idoneam causam se non videre cur Porphyrionis aetatem infra tertii saeculi partem priorem detrudamus.' Et bene res se haberet, si de Marcii Salutaris aetate inter viros doctos satis constaret; velut a Schwabio[1]) ille '*vir perfectissimus*', ut est apud Charisium, in numero eorum refertur, qui in priore quarti saeculi parte scripserunt.

§ 3. Vt sententias eorum, qui aliter de hac re arbitrantur, perlustremus, Meyerus[2]) nihil protulit nisi quod Porphyrionem ante finem saeculi quarti p. Chr. n. commentarios suos composuisse professus est. Sittelius[3]) deinde haec affert sententiam suam confirmaturus: '*Ich setze auch den Horazscholiasten Pomponius Porphyrio in diese Periode, obgleich ihn die Litterarhistoriker gewöhnlich dem zweiten oder dritten Jahrhunderte zuteilen; er schreibt nämlich für einen Grammatiker sehr schlechtes Latein; so ersetzt er den Infinitiv mit dem Akkusativ häufig durch quod und verbindet damit im Kommentare zu den Satiren sogar regelmäfsig den Indikativ. Der erste Grammatiker, der sonst diesen Sprachfehler häufiger begeht, ist meines Wissens Macrobius, wonach Porphyrio, da er von Charisius citiert wird, frühestens in die Mitte des vierten Jahrhunderts gehört.*' Sed qualia sunt haec argumenta! Ipse concedit Sittelius (p. 110—111) illam constructionem iam apud Tertullianum et Cyprianum qui ineunte tertio saeculo vixerunt legi. Quid? si non Macrobius sed Porphyrio primus grammaticus fuit, qui hac in re ab optimorum scriptorum sermonis consuetudine discessit? Nonne ex eo quod Tertullianus et Cyprianus, qui in Africa ineunte saeculo tertio vixerunt, concludere possemus Porphyrionem, quem idem Sittelius Africanum fuisse contendit, eodem tempore floruisse? —

§ 4. Restat ut de Urbae[4]) sententia disseramus. Qui vir doctus postquam Porphyrionis proprietates sermonis diligenter perscrutatus est Porphyrionem non ante saeculi quarti finem vixisse concludit. '*Quid quod etiam aetati vel inferiori possemus eum adscribere, nisi loco illo ex Charisio deprompto tempus indicaretur, ultra quod non licet progredi.*'

Sed ex ipsius Urbae verbis satis apparet, quam incerta talis argumentatio sit. Nam si fieri potuisset, Porphyrionem quinto potius saeculo se adscripturum fuisse fatetur, neque verba illa

1) Teuffel, Hist. Litt. Rom.[5] p. 1024.
2) Porphyrionis commentarii . . . rec. G. Meyer 1874, praef. p. VI.
3) l. c. p. 89.
4) l. c. p. 63.

'*quod ultra Charisii aetatem progredi non licuerit*' specie quadam doloris vacant.

Sed ne temere de Urbae sententia iudicare videamur, praesertim cum a nonnullis videatur accepta esse[1]), fundamenta quibus illa nititur accuratius inspiciamus et examinemus necesse est.

§ 5. Urba cum inprimis demonstrare studeret haud paucas voces, quae extant in Porphyrionis commentariis, vulgari sermoni tribuendas esse, id quod ei revera contigit[2]), in altera commentationis suae parte magna diligentia observationes lexilogicas composuit. Ac primum quidem voces collegit quas ipse Porphyrio vulgari sermoni adtribuit, quibus alias voces dictionesque asseruit, quas suo periculo sermoni plebeio non sine aliqua probabilitatis specie tribui posse arbitratus est.[3]) Deinde eas congessit adnotationes Porphyrioneas, e quibus aliquid concludi posse videretur ad pronuntiationem vel historiam verborum quorundam cognoscendam. Sequitur enumeratio earum vocum quas Georges in lexico suo neglexit[4]), quarum plerasque pro 'terminis technicis' grammaticorum esse habendas dixit. Iam contulit quae Porphyrionis *ἅπαξ εἰρημένα* esse censuit, quae voces insolitas in Porphyrionis commentariis repertas sequi iussit, quarum nonnullas ad Porphyrionis dictionem aestimandam eiusque aetatem definiendam haud parvi momenti esse credit. Alias deinde observationes addidit ad verborum syntaxin et sermonis Porphyrionei proprietates pertinentes, quibus praecipue Africanam Porphyrionis originem comprobari putat.

§ 6. Sed iam illam verborum supellectilem ab Urba collectam perlustremus. Et primum quidem dubium esse non potest quin ex vocibus vulgari sermoni tribuendis atque ex eis quae *ἅπαξ εἰρημένα* dicuntur ad aetatem Porphyrionis definiendam nihil elici possit neque quae sequenti paragrapho continentur ad nostram quaestionem pertinent. Si reliquam verborum molem contemplamur, facile apparet magnum inesse numerum eorum quae Graecam originem aperte prae se ferunt. Sunt autem haec: '*allegoricos, *antitheton, *aphelos, *archaeus, aretalogus, auxesis, *cacozelon, characterismos, coccyx, cylix, diaeresis, dilogos, diplois, dramaticos, energos, *energia, epanalempsis, epi-

1) velut Teuffel, Hist. Litt. Rom.[5] p. 949; cf. etiam Schanz, Hist. Litt. Rom. II p. 93.

2) Cf. Weyman in Woelfflini Archio T. II p. 492.

3) Cf. quae Georges ab Urba omissa commemoravit in Ann. Burs. 1886, III p. 42 sq.

4) Cf. Georges l. c.

thesis, epitrope, genesis, horoscopus, 'hypate, idioma, ironicos, lagyna, *metaphoricos, metonymia, mimesis, mimeticos, parecbasis, parenthesis, *periphrasis, phantasia, philosophos, philosophumenos, pragmatia, prosodia, protreptice, satyricos, syncope, *tapinosis, tragoediographus, zelus, zeugma.' Quibus asteriscum adposui, ea Graecis quoque litteris scripta in Porphyrionis codice Monacensi (M) extant. Porro qui indicem, quem Meyerus editioni Porphyrionis addidit, inspexerit, facile reperiet non iis tantum quae attulit Urba vocabulis Graecis usum esse Porphyrionem, sed multo maiorem numerum Latino sermoni inseruisse, quod praecipue in terminis technicis, quae ad artem grammaticam spectant, factum est.

§ 7. Sed etiam alibi sermo Latinus Graecis permixtus est vocibus, cuius rei Kellerus[1]) luculentissima exempla exhibuit haec: ad A. P. 42: '*loquitur nunc περὶ τῆς* ⟨*εὐ*⟩*ταξίας*'; ad c. I 16, 17: '*iam hoc ἀπὸ παραδείγματος infert*'; ad Ep. II 1, 128: '*verum est: multae enim sunt in poetis utiles βιωφελεῖςque sententiae*'; cf. ad c. I 2, 21: '*ἀσυνδέτως transiit.*' — Haud raro praeterea Porphyrio vocem Latinam Graeco vocabulo interpretatus est, velut ad Ep. I 6, 65: '*indolentiam, quam Graeci ἀπονίαν nominant*'; ad Ep. I 8, 10: '*arcere veterno] ληθαργίᾳ*'; ad A. P. 40: '*potenter*' *figuravit ὡσεὶ δυνατῶς*'; ad A. P. 103: '*calamitates —, quod Graeci ἀτυχήματα vocant*'; ad A. P. 437: *simulatores eos et μύδρονας*[2]) *appellamus qui benigne inrident*'; ad c. II 1, 25: ''*impotens*' *autem, id est ἀδύνατος*, '*sine virtute*' *intellegendum.*' — Quae si consideramus, concedendum est Porphyrionem non solum Graecam linguam optime novisse, verum etiam frequentissime in commentariis adhibuisse, ex quo veri simillimum fit eum Graeca vocabula non Latinis sed Graecis semper litteris scripsisse, praesertim cum in codice M, qui optimus habetur, saepenumero modo Latina modo Graeca forma sine certa ratione extet.[3]) Itaque non dubito quin omnibus locis, ubi vocabula Graeca Latinis scripta sunt litteris, Graeca scriptura restituenda sit[4]), exceptis fortasse iis, quae iam ante Porphyrionem a scriptoribus ex Graeca lingua saepius usurpata esse scimus. Cum autem illa varietas scribendi non Porphyrioni, sed librario tribuenda esse videatur, illis vocabulis, quae modo

1) Symbol. Phil. Bonn. p. 491.
2) Cf. Keller l. c.
3) Cf. ad S. I 4, 1 et 7, ubi '*archaeas*' et '*ἀρχαίας*' scriptum videmus.
4) Cf. Pauly, progr. gymn. Eger. 1877, p. 2.

significavi, nulla vis inest ad definiendam Porphyrionis aetatem. Quin etiam suspicari possumus a commentatore nostro pro: *allegorice, amphibolice,* quoniam saepius leguntur: *ἀλληγορικῶς, ἀμφιβολικῶς* Graecas formas scriptas fuisse, illa autem vocabula inferiore demum aetate in Latinam formam commutata esse.[1])

§ 8. Quibus seiunctis quae restant consideremus. Ac primum quidem in iis videmus voces incertas, quas aut corruptas aut vulgari sermoni tribuendas esse viri docti censuerunt. Velut ad S. I 8, 48: *galericum* (*'galericulum'* Meyerus in editione emendavit; cf. Suet. Oth. c. 12; Martial. 14, 50)[2]); ad c. II 17, 22: *perfulget* (ubi Urba ipse dubitat num *'praefulget'* scribendum sit; cf. Hirschfelder. Ann. Burs. 1888, II p. 93); ad Ep. I 20, 20: *cynice* (Paulyus optime ut mibi videtur, emendavit: *ingenue;* cf. progr. 1877, p. 16); ad c. I 13, 14: *cruciabili* (Petschenigius coniecit *'cruda bili',* cf. Ephem. gymn. Austr. 1876, p. 722; cf. Pauly. 1877, p. 30); ad Ep. II 2, 197: *defruaris* (*M*: *res fruaris,* ubi Paulyus, progr. 1876, p. 63: *'res'* ex *'-mis'* in *plurimis* dittographia ortum censuit). Vulgari sermoni Kellerus[3]) tribuit haec: ad Ep. I 14, 22: *pecul ius* (Meyerus, edit.: *facilius;* Hauthalius, edit.: *peculiarius;* Paulyus 1876, p. 45: *speciosius;* Hirschfelderus, Ann. Burs. 1888, II p. 32: *paene celerius;* Vulg.: *potius*); ad S. I 4, 126: *timefacit* (voc. 'timefactus' extat apud Lucr. 2, 44 et Cic. de off. 2, 24); ad A. P. 437: *simiatores* (C. Hermannus apud Hauthalium: *'simulatores'* emendavit quod Meyerus in editionem recepit); ad c I 8, 1: *reses* c. gen.; ad S. I 2, 129: *imitativus* (nisi fortasse Porphyrio hic vocabulo: *μιμητικός* usus est; cf. ad S. I 4, 14); ad ep. 8, 18: *praefascinandis* (Meyerus in editione: *prae fascinandis*); ad S. I 4, 9: *tempusculum.*

Ipse Urba sermoni plebeio adscribit haec[4]): ad Ep. II 2, 191: *heredipeta;* ad Ep. I 7, 73: *inescare.*

§ 9. Iam reliqua sunt ea vocabula, quae apud scriptores s. IV vel. V primum leguntur: *absolute,* passim (cf. Meyeri ind., Priscian.); ad S. I 10, 46: *consummate* (Georg.: Eccl.; adiectivum 'consummatus' iam extat apud Columellam, cf. Forcellini s. v.); ad S. I 3, 17: *adverbialiter* (Charis., Diomed., Priscian.); ad c. III 13, 9 et ad S. I 6, 126: *canicularis* (Pallad., Schol., Acron., Veget., Sidon.); ad c. III 5, 18: *desuadere* (= dissuadere; Augustin.

1) Idem fortasse valet de voce: *satyrice;* cf. *satyricos* ad Ep. I 18, 19.
2) Verba *'id est galericum'* inferiore demum aetate addita esse videntur.
3) l. c. p. 496.
4) l. c. p. 28.

serm. 171, 2 ed. Mai; fortasse sermoni vulgari tribuendum); ad S. I 6, 68: *discretio* (Chalcid., Vulg., Pallad., Amm., Mar. Vict.); ad Ep. II 1, 171: *incongrue* (Macrob., Augustin., Serv.); ad S. I 10 in.: *inculpatus* (= culpatus; Boeth.); ad c. III 4, 5, ad ep. 16, 15, ad S. I 10, 53, ad c. I 24, 8: *interrogativus* (Priscian., Diomed., Isid.; adverbium 'interrogative' iam legitur apud Tertull. adv. Macr. 4, 41); ad Ep. II 2, 214: *moraliter* (Donat.; ἠθικῶς?); ad c. IV 5, 15: *participialiter* (Fest.); ad c. I 35, 38: *refabricare* (Cod. Iustin.; fortasse verba: '*id est* '*refabrices*'' interpolata sunt); ad S. I 2, 83: *reprehensibilis* (Lact., Ambros., Hier., Vulg., Salv.); ad c. III 25, 3: *subiunctivus* (Charis., Diomed., Priscian.); ad c. III 16, 34: *veteresco* (Eccl., Cass. Felix; fortasse vulgari sermoni tribuendum); ad c. II 15, 9: *voluptuosus* c. subst. (Hier., Sidon.; cf. Plin. ep. III 19, 2, ubi absolute dictum est); ad S. II 3, 228: *commanent* (Macrob., Augustin.; Paulyus 1876, p. 40, scripsit: *commorantur*); ad Ep. I 13, 10: *devoratrices* (Vulg.); ad S. II 7, 104: *percontative* (Donat., Charis.).

Accedunt pauca quae apud alium scriptorem non leguntur: ad S. II 1, 22: *compellator* (vulg. serm.?); ad ep. 7, 11: *dispariter* (a Porphyrione fictum?); ad Ep. I 16, 60: *larvea* (nisi fortasse scribendum est: *Laverna] Larvarum dea quae furibus praeest*'[1])); ad A. P. 281: *maledicacissimum;* ad c. III 4, 75: *superardeat* (Petschenigius emendavit '*semper ardeat*', cf. Eph. gymn. Austr. 1879, p. 804).

Haec exempla non ita multa qui perlustraverit, facile mihi concedet, non sufficere ad definiendam Porphyrionis aetatem, partim quia ipsa non ita certa sunt partim quia sicut a s. IV, ita s. III scriptore adhiberi potuerunt, praesertim cum ille frequentissime sermone vulgari usus sit.

§ 10. Quid autem ei opponemus qui contendet his exemplis satis inesse momenti? Concedemus illi commentarios Porphyrionis quales ad nostram pervenerunt aetatem, formam quam nunc praebent non ante quintum saeculum adeptos esse, sed Porphyrionem brevi ante hoc tempus vixisse inde minime sequitur. Nam iamdudum viri docti commentarios illos non integros aut plenos nobis traditos esse intellexerunt. Velut G. Fabricius in praefatione editionis quae Basileae a. 1555 prodiit scripsit: '*Verum utriusque* (sc. Porphyrionis et Acronis) *libri adhuc sunt mutili; desideratur enim narratio Porphyrionis de vita Horatii; cuius ipse mentionem*

1) Cf. G. Goetz, Ind. Ien. 1887, p. 8.

ad Sermones facit, libri primi Sat. sexta; desiderantur Graeca epigrammata quae ab eodem commentatore aliquoties adducuntur et plurima fortasse alia.'

Deinde Suringarius[1]): '*Sed cum constet Porphyrionis non minus quam Acronis Commentarios multis locis interpolatos esse, cavendum videtur, ne istis quae fortasse ab aliena manu in Porphyrionis Commentarium intrusa sunt, plenissima fides habeatur*' et[2]) '*Itaque si quis parum considerate plenam istis scholiis fidem habeat, periculum est, ne interdum nubem pro Iunone amplectatur, temereque hos scholiastas post Priscianum floruisse contendat: quo tamen uterque sine dubio fuit antiquior*' et[3]) '*Itaque cum haec horum Scholiorum ratio sit, ut omnino incertum videatur quid ipsi Scholiastae scripserint, quid ab impostorum manibus additum sit, sane iniuriam faciemus Acroni et Porphyrioni, si ipsis imputare velimus quod in hisce Scholiis passim vocabula reperiuntur, quae vel plane ignoravit Romana lingua vel a sequiorum tantum temporum scriptoribus usurpantur.*' Cf. etiam Useneri 'De Scholiis Horatianis' commentationem (Bern. 1863, p. VIII) et Kiesslingii 'De personis Horat.' comment. (p. 6) et Meyeri libellum (progr. Monac. 1870) 'Beiträge z. Kritik d. Horazscholiasten Porphyrion' passim.

§ 11. Atque quo melius quomodo per saecula Porphyrionis commentarii mutilati ineptisque additamentis aucti sint intellegatur, iam paucis historiam, ut ita dicamus, illorum commentariorum persequamur. Videtur Porphyrio interpretationes suas in codicis margine adscripsisse, ut ex scholio ad S. I 9, 52 concludi potest, ubi haec sunt: '*ne necesse sit frequenter ostendere quis quae verba habeat aut unde incipiat loqui, hoc observandum est: deinceps et supra [et] ubi duo puncta interposita sunt alteram personam loqui intellegas. ceterum*[4]) *iam sensus ipse docet, quid Horatius quid ille molestus dicat.*' Tum inde ab ineunte fere sexto saeculo commentarii interpolationibus aucti[5]) paulo ante saeculum nonum[6]) collecti et coniuncti esse videntur, sed ab

1) Hist. critic. scholiast. Latin. T. III p. 9.
2) l. c. p. 27.
3) l. c. p. 58.
4) M: *certe;* Pauly. 1877, p. 6 optime emend.: *ceterum.*
5) In scholiis Horatianis quae sub Acronis nomine feruntur, qualia extant in cod. Paris. 7900 A, quinto fere saeculo conscriptis, nonnulla servata sunt ex Porphyrione desumpta, in quibus interpolationes non reperiuntur. Sed de hac re infra uberius disputabimus.
6) Cf. Kiessling. l. c. p. 6.

homine qui mirum est quantam praestiterit neglegentiam atque ignorantiam. Nam cum Porphyrionis interpretationes codici illi Horatiano sive in margine adscriptae sive inter versus positae essent, primum miram quandam perturbationem scholiorum effecit; deinde lemmata, ubi quidem a Porphyrione scholiis non erant praeposita, saepius perperam ipse adscripsit.

Id quoque ei fortasse vitio vertendum est, quod commentarii ad Sermones et Epistulas '*languescente sensim sub finem operis excerptoris studio*' haud integri magna scholiorum parte omissa ad nos pervenerunt. Quod ad scholia ad Serm. II 3 et II 6 attinet, quorum magna pars interiit, hoc fortasse non excerptoris culpa factum est, sed propter defectum illius codicis Horatiani, ex quo scholia Porphyrionea in unum quasi corpus coacta sunt. Hoc fere modo archetypus Porphyrionis ortus esse videtur, ex quo codex Monacensis (M), s. X scriptus, derivatus est; atque iterum commentarii mutilati atque depravati sunt stultitia et levitate librarii, qui haud raro a vocabulo quodam ad simile transiliens quae interposita erant omisit, aut ad superiorem vocem rediens eadem quae modo scripserat iterum posuit aut ex iis quae non intellegebat mutando nova vocabula sibi nota confecit, denique cuiusvis generis vitia intulit. Qui deinde s. XIV et XV ceteros codices, quibus Porphyrionis commentarii continentur, scripserunt, saepenumero suo arbitrio vitiosos corruptosque locos codicis Monacensis emendaverunt.

§ 12. Itaque cum commentarii quos nos habemus propemodum alii sint aut certe longe abhorreant ab iis quos Porphyrio scripsit, fieri non potest, ut ex iis aliquid eliciamus ad definiendam auctoris aetatem, nisi antea pristinam illorum formam restituerimus, id est quae ab aliena manu addita sive mutata sunt deleverimus et emendaverimus, quae interierunt quoad potest fieri indagaverimus.

Iam ii qui Porphyrionis commentarios publici iuris fecerunt, Paulyus, Hauthalius, in primis G. Meyerus operam dederunt, ut quae interpolata cognovissent, delerent; tamen factum est ut in novissima editione quam habemus Meyeri permulta delenda superessent. Itaque idem Paulyus qui a. 1858 Porphyrionem cum scholiis Pseudacronianis ediderat, Petschenigius, vir de Porphyrionis commentariis emendandis optime meritus, alii commentationibus corruptelis illis mederi conati sunt.

§ 13. Dubium esse non potest, ut supra exposuimus, quin Porphyrio saepissime Graecis vocabulis usus sit easque Graecis quoque litteris scripserit. Saepenumero autem factum est, ut a

sciolo quodam quarti[1]) fortasse vel sequioris saeculi homine his Graecis vocabulis Latina interpretatio adderetur, sive quod metuebat, ne qui Porphyrionis commentarios legerent, sensum Graecorum vocabulorum iam non intellegerent, sive quod sua ipsius doctrina — quanquam satis exigua — excellere volebat: quomodo saepius summae ineptiae in commentarios penetraverunt. Velut ad S. I 10, 21: '*o seri studiorum] ὀψιμαθεῖς id est qui vultu docti sint*'[2]); ad c. IV 2, 50: '*nota figura est, ut 'Pars in frusta secant' et ''Ὡς φάσαν ἡ πληθύς' hoc est, ut dicebant plures*'.[3]) Alia eiusmodi exempla haec sunt: ad c. I 3, 9: '*habet autem hic quiddam Homericum: Χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη id est ferreum pectus*'[4]); ad c. I 13, 4: '*iecur' pro corde ἀφελῶς id est simpliciter*'[5]); ad c. I 17, 7: '*subtilis et tenuis λιτότης est σχῆμα ....*'[6]); ad c. I 37, 30: ... *nam et Titus Livius refert, illam* (sc. Cleopatram) *cum de industria ab Augusto in captivitate indulgentius tractaretur idemtidem dicere solitam fuisse: Οὐ θριαμβεύσομαι id est non triumphabor ab alio*'[7]); ad c. II 1, 1: '*in parecbasi id est in translatione*[8]) *bellorum civilium calamitatem refert*'[9]); cf. deinde ad c. II 1, 17; c. II 1, 25; c. II 1, 37; c. II 6, 14; c. II 7, 25; c. II 8, 11; c. II 12, 28; c. II 15, 18; c. III 1, 27; c. III 5, 6; c. III 27, 66; c. IV 8, 6; c. IV 8, 31; c. IV 11, 11; c. IV 11, 29; c. IV 14, 20; ad ep. 2, 33; 5, 37; 47; 101; 16, 37; 59; ad S. I 2, 132; I 5, 46; I 8, 39; ad Ep. I 6, 38; I 17, 46; I 17, 61; I 18, 16; II 1, 187; II 1, 214; ad A. P. 42.

§ 14. Per tempora deinde evenit, ut nonnullis locis voces Graecae, quae tali modo explicatae erant, omitterentur, explicationes vero, quae antea in margine sive inter versus adscriptae erant, in Porphyrionis verba irreperent, cuius generis sunt haec: ad c. II 1, 17: '*per quod significat vim eloquentiae Pollionem idem otiosum in relatione pugnarum inducere*'. Illud '*idem (= id est) otiosum*' est explicatio Graeci vocabuli *ἐνεργόν* quod hic excidit; comprobatur hoc cum forma: *otiosum*, pro qua: *otiosam* sc. vim expectandum

1) Cf. huius disputationis p. 175.
2) Hoc delevit Petschenig. 1872, p. 18.
3) Del. idem 1873, p. 9.
4) Del. idem 1872, p. 16.
5) Del. idem 1872, p. 16.
6) Del. idem, ephem. gymn. Austr. 1874, p. 342.
7) Del. Pauly. 1876, p. 9; cf. Meyer. praef. p. VII.
8) '*in transitione*' Stowasser. Stud. Vindob. 1890, p. 127.
9) Del. Pauly. 1877, p. 32.

erat[1]), tum multis similibus locis, velut ad S. I 2, 132: '*ἐνεργῶς hoc est otiose*'; ad c. II 12, 28: '*et totum hoc otiositate mira energia expressum est*'; ad c. IV 11, 11: '*non otiosum ἐνεργῶς dictum est*'.

Deinde ad ep. 7, 15 in M legimus: '*elegans otiositas*', ubi manifestum est scribendum esse: '*elegans ἐνέργεια*'; ad ep. 11, 7: '*hoc autem quasi iuxta se positum inlatum est*', ubi sch. ad c. III 10, 18 docet emendandum esse: '*hoc autem de parenthesi inlatum est*'[2]); ad S. I 1, 1: '*signate autem locutus est dicens: 'ratio dederit, fors obiecerit''*, ubi Paulyus[3]) scripsit: '*δεικτικῶς autem locutus est et q. s.*'; idem valet de scholio ad Ep. I 16, 52.

§ 15. Venimus ad tertium genus mendorum quo Porphyrionis commentarii fucati sunt; saepe enim glossemata vel interpretationes Latinis verbis adscripta quae primo iuxta posita, cum scholia in unum corpus cogerentur, inter ipsius Porphyrionis verba recepta sunt. Longum est hic omnia haec menda enumerare, cum fere una quaeque pagina unum vel nonnulla praebeat; satis est pauca quae notam spuriae originis prae se ferunt exhibere. Ad c. I 28, 30: '*in eos, qui ex te nati sunt, id est in filios tuos*'[4]); ad c. II 4, 22: '*octo enim lustra octo quinquennia*[5]), *quadraginta annos scilicet*[6]), *cludunt, . . .*'; ad c. II 6, 14: *Hymettos mons est Atticae id est in Attica, ubi optimum mel nascitur*'[7]); ad c. II 6, 11: '*Phalanthus Lacedaemonius fuit, quo auctore et principe Partheniae Spartani Tarentum condiderunt*'[8]); ad c. II 15, 8: '*quae oliveta sub priore domino id est sub prioribus temporibus colebantur et idcirco fertilia erant*'[9]); ad c. III 25, 3: '*in quo et ἐπεξήγησις figura adnotanda, quia praedicto 'specus' 'antra' subiecit, hoc est qui specus antra sunt*'; ad S. I 5, 12: '*verba sunt nautae irascentis, quod plura navi inponat quam pepigerat id est: pactus fuerat*'[10]); ad S. II 1, 20: '*et sensus: non audit adulantem, quia sapientia undique munitur id est in omni rerum*

1) Cf. Meyer. p. 47 v. 18, ubi '*otiosam*' scripsit.
2) Cf. Urba l. c. p. 24.
3) 1876, p. 23.
4) Del. Pauly. 1876, p. 8.
5) Del. Petschenig., Eph. gymn. Austr. 1874, p. 343.
6) '*Scilicet*', del. Pauly. 1876, p. 11 ex : annosclscludunt (?).
7) Del. Petsch. 1872, p. 16.
8) Del. Pauly. 1876, p. 12.
9) Del. idem 1876, p. 14.
10) Del. Petsch. 1873, p. 11.

studio, hoc est omnia novit'[1]); ad S. II 3, 35: '*sapientem non quasi ipsum sapientem, sed barbam sapientem iussit me pascere id est nutrire'*[2]); ad S. II 3, 228: '*— ubi harum rerum mercatores id est unguentarii consistunt'*[3]); ad S. II 3, 281: '*ab Augusto enim lares id est dii doméstici in compitis positi sunt . . .'*[4])

His locis et compluribus aliis nullo negotio dicas, quae ab aliena manu addita sint, ut nihil facilius videatur quam haec eicere; quo magis miror quod Meyerus quanquam in praefatione editionis suae aliquot locos eius generis emendandos commemoravit, tamen in contextu verba interpolata non semel inmutata recepit. Itaque qui proximam Porphyrionis editionem curabit, is inprimis operam dare debet, ut ea quae Porphyrionis non sunt, eiciat, quo planius ipsius scholiastae verba agnoscantur.

§ 16. Ne de mendis librariorum loquar, duae praeterea res sunt, quibus ipsa Porphyrionis verba inquinata sunt. Primum enim nonnullis locis ad eadem Horatii verba interpretanda duo extant scholia, quorum alterum Porphyrionis esse nequit; sed plerumque non difficile est dignoscere quid scholiastae sit, quid a sciolo homine sequioris aetatis additum. Velut ad c. II 5, 6: '*Nunc fluviis gravem solantis aestum.] elegantius dici non potest, quam hoc dicitur 'fluviis gravem solantis aestum', quod significat: refrigerantis. — Solantis aestum.] solans aestum pro refrigerante gratissime dicitur.*' Hic videtur prius scholion eiciendum, quod nihil est nisi exornatio sequentis scholii; deinde veri simile non est Porphyrionem hic voce '*elegantius*' usum esse, cum paulo ante scripsisset: '*eleganter quasi de iugo ferendo loquitur'*.[5]) — ad c. I 17, 21: '*Lesbii.]*[6]) *antonomasia. non enim vini dixit. — Hic innocentis pocula Lesbii] id est lenis et minime caput onerantis. Lesbii autem vini intellegendum: a Lesbo insula.*' Hoc scholion non modo interpolatione amplificatum, verum etiam perturbatum esse videtur, quare hoc modo restituendum puto: '*hic innocentis pocula Lesbii.] ⟨innocentis⟩ id est: lenis et minime caput onerantis. 'Lesbii' ⟨autem⟩ antonomasia. non enim 'vini' dixit. — Lesbii autem vini intellegendum: a Lesbo insula.*' Verba: '*Lesbii—insula*'

1) Del. Pauly. 1876, p. 36.
2) Del. Petsch. 1873, p. 11.
3) Cf. Meyer. adnot.
4) Del. Petsch. 1872, p. 18.
5) Cf. Pauly. 1876, p. 12.
6) Meyer.: *Lesbii* om. *M.*

interpolata et idcirco delenda videntur. Cf. S. I 7, 1, ubi Meyerus iam verba: '*hoc—appellat*' et haud iniuria, ut videtur, delevit[1]), et ad Ep. I 1, 62, ubi ad verba: '*haec lex Roscia equitibus data est, ut in primis XIIII gradibus sederent eorum ii, qui* ₰ CCCC *haberent*', Meyerus recte adnotavit: '*a Porphyrione aliena videntur.*'[2])

§ 17. Deinde saepius in initiis scholiorum ad singula carmina breves titulos invenimus, qui cum in illo codice Horatiano, cui scholia Porphyrionea primum adscripta erant, singulis carminibus antepositi essent, id quod nunc quoque in plerisque codicibus Horatianis videmus, ab indocto illo homine, qui scholia excerpsit, in Porphyrionis commentarios recepti sunt. Hi autem ea de causa Porphyrionis esse non possunt, quod non in omnibus, sed in nonnullis tantum carminibus extant, deinde quod eis quae certe Porphyrioni tribuenda sunt, interdum repugnant, cuius rei optimum exemplum attulit Meyerus in praefatione p. IX: '*scholio S I 9, 60 Aristius Fuscus praestantissimus grammaticus illo tempore et amicus Horatii fuit' convincitur inscriptio E I 10, 1 'ad Aristium Fuscum scriptorem comoediarum.*'

§ 18. His quos modo enumeravi locis quae insit corruptela et quomodo emendari possit, satis facile plerumque cognoscitur; sed alii reperiuntur loci quos corruptos esse videmus, quae autem Porphyrionis sint, quae a posteriore manu addita minus facile diiudices. Quod ut demonstretur satis est unum afferre exemplum luculentissimum. Extant enim ad c. III 3, 46 in optimo codice M haec: '*Gaditanum mare fretum significat; inde enim discerni incipiunt Europa et Libya.*' Apparet verba: '*Gaditanum mare fretum*' non esse integra, quod iam ii cognoverant, qui ceteros codices Porphyrionis s. XIV et XV scripserunt, cum vocabulum '*mare*' glossema existimantes ad id quod sequitur '*fretum*', omisissent. Tum Hauthalius in editione: '*mare* ⟨*sive*⟩ *fretum*', Meyerus in editione: '*mare* ⟨*et*⟩ *fretum*', Paulyus (1876 p. 16): '*mare* ⟨*vel*⟩ *fretum*' scribendum putaverunt; sed eos locum non emendasse iam sensus docet. Rectius fecisse videntur qui alterum vocabulum inferioris aetatis additamentum rati eiciendum censuerunt. Atque Petschenigius[3]) vocem '*fretum*' ut glossam marginalem deinde in Porphyrionis scholion receptam tollendam arbitratus est; at contra Urba[4]) non dubitat, quin verbum '*mare*' pro glossemate

1) Cf. Petsch. 1873, p. 11.
2) Cf. Petsch. 1872, p. 18.
3) Eph. gymn. Austr. 1879, p. 804.
4) l. c. p. 25.

habendum sit, quo indoctus quidam magistellus explicaturus erat vocem '*fretum*'.[1]) Vtriusque sententia per se bene ferri potest; utram igitur probemus? — Quam difficultatem solvere non possumus, nisi aliunde auxilium arcessimus. Itaque sequentibus demonstraturus sum viam qua illam difficultatem tolli posse spero.

§ 19. Si cuius scriptoris libros, qui nobis non integri traditi sunt, auxilio non ex ipsis petito restituere possumus, aut fontes quos ille scriptor adiit inspicere aut scriptores qui illum excerpserunt perquirere debemus. Hoc si in Porphyrionis commentarios transferimus, ut fontes eius adeamus nobis non continget, quippe cum Helenii Acronis, Terentii Scauri, Clarani, aliorum opera, quibus ille usus est, interierint; scripta autem ad nos pervenerunt, in quibus multa ad Porphyrionem auctorem spectant. Habemus enim in nonnullis codicibus Horatianis 'expositiones in Horatii carmina', quae '*Italorum saeculi XV liberalitate Acronis nomine nobilissimo ditata sunt.*'[2]) Iam Kellerus[3]) animadverterat eas expositiones, quas codex Horatii Parisinus 7900 A s. IX praebet, propriam atque vetustissimam eorum scholiorum Pseudacronianorum esse recensionem, quam ab uno auctore initio fere saeculi V esse conscriptam contendit.[4]) Quae reliquis continentur codicibus scholia, ea Kukula[5]) in duas recensiones discernere atque quo quaeque orta sit tempore angustioribus finibus circumscribere conatus est; quam sententiam, cum admodum incerta sit[6]), hic omittamus, et hoc dixisse satis habemus, duas recensiones ex magna illa scholiorum multitudine eminere eam quam cod. Par. 7900 A praebet quaeque quinto fere saeculo tribuenda est, deinde eam recensionem quam exhibet cod. Parisin. 7975 γ, quam post illam compositam esse constat.[7])

§ 20. Proximum est ut de origine atque natura illius vetustioris scholiorum recensionis, — nam de hac praecipue agendum erit — disputemus, sed ne longi simus, quae Kellerus et Kiesslingius[8]) de hac re exposuerunt, paucis comprehendamus.

1) In glossis velut in libro glossarum frequenter 'fretum' per 'mare' explicatur, velut: *freta: maria angusta — fretu: mare non latum.*
2) Kiessling. l. c. p. 5.
3) Symbol. phil. Bonn. p. 499, adnot. 59.
4) Cf. Keller. Epilegomena ad Horatium, p. 797.
5) De tribus Pseudo-Acron. scholiorum recensionibus 1883.
6) Cf. Sittl. in Ann. Burs. 1885, II p. 49/50 et Kurschat. in progr. gymn. Tilsit. 1884, p. 4.
7) Cf. Petschenig. 1873, p. 5, adnot. 14.
8) l. l. c. c.

'*Superstruxit*' ille qui expositiones cod. 7900 A composuit '*adnotationum molem Porphyrionis fundamento, sed praeterea aliunde quoque exilem suam doctrinam locupletare vel potius turpem qua insignis est notissimarum rerum ignorationem obtegere studuit.*' Et plus centum locis[1]) scholia A, ut ea breviter appellamus, ad Porphyrionem spectant, quanquam huius verba plerumque non prorsus integra praebent. Fieri potuit ut ab homine sequioris aetatis Porphyrionis verba ita ut mox demonstrabitur mutarentur, veri autem similius est hoc iam ab eo factum esse qui auctor vetustissimorum scholiorum Pseudacronianorum est. Quae scholia quod non ad omnia Horatii carmina usque ad finem epistularum nobis extent, valde dolemus; nam ceteris longe praestant, et incertum est utrum morte auctor prohibitus sit quominus ad finem opus perduceret an iniquitate temporum ea pars, quae ab epodon c. 15 usque ad finem epistularum pertinet, interierit.

§ 21. Ea ergo scholia A quae nobis servata sunt, ubi ad fontem Porphyrionem spectant, quanquam plerumque, ut supra commemoravimus, Porphyrionis verba integra non exhibent, tamen nonnulla extant, quae prorsus cum Porphyrione congruunt. Pauca hic sufficiant exempla.

ad c. III 25, 5. Porph.: '*aeternum meditans decus.] consecrationem dicit.*' — Acro A[2]): '*decus.] consecrationem dicit.*'[3])

ad c. III 26, 2. Porph.: '*et militavi non sine gloria.] allegoricos militiam nunc amorem vocat.*' — Acro A: '*et militavi.] allegoricos militiam nunc amorem vocat.*'

ad c. III 29, 18. Porph.: '*iam Procyon furit.] stella est, quae ante Caniculam oritur.*' — Acro A: '*iam Procyon f.] Stella, quae ante caniculam oritur.*'

ad c. IV 6, 35. Porph.: '*Lesbium servate pedem.] id est: Alcaei lyrici poetae, qui Lesbius fuit.*' — Acro A: '*Lesbium.] Alcaei lyrici poetae, qui Lesbius fuit.*'

ad c. IV 8, 19. Porph.: '*clarius indicant laudes quam Calabrae Pierides.] facta, inquit, clarorum virorum nisi carminibus inlustrentur aetatis suae memoriam non excedunt.*' — Acro A: *Calabrae P.] facta, inquit, clarorum virorum nisi carminibus inlustrentur aetatis suae memoriam non excedunt.*'[4])

1) Keller. Symbol. phil. Bonn. p. 501, adnot. 71.
2) Sic auctorem scholiorum A brevitatis causa appellemus.
3) Hauthalius in adnot.: *Porph.*
4) Quae secuntur, Porphyrionis non sunt.

§ 22. Deinde ubi scholia Porphyrionis apud Acronem A mutata invenimus, primum synonyma ab Acrone pro vocabulis Porphyrionis posita videmus, velut:

ad c. I 29, 13. Porph.: '*cum tu coemptos undique n. l. P.] Panaetius Stoicus philosophus fuit praeceptor Scipionis Africani et Laelii, genere Rhodius.*' — Acro A: '*Nobilis libros Panaeti.] Panaetius stoicus philosophus fuit praeceptor Scipionis Africani et Laelii, Rhodius natione.*'

ad c. I 32, 13. Porph.: '*o decus Phoebi.] lyram dicit decus Phoebi.*' — Acro A.: '*o decus Phoebi.] lyram dicit esse Apollinis decus.*'

ad c. III 11 in. Porph.: '*Mercuri, nam te docilis m.] Mercurium invocat lyrae inventorem petens, ut inspiret sibi modulationem dignam auribus Lydes amicae. ordo est autem: Mercuri dic modos quibus Lyde obstinatas applicet aures.*' — Acro A: '*Mercuri.] Mercurium lyrae invocat repertorem, ut inspiret sibi modulationem dignam auribus Lydes amicae. Ordo autem hic est: Mercuri dic modos quibus Lyde obstinatas aures adplicet.*'

§ 23. Saepenumero verba: *dicere, significare, appellare* inter se commutantur: cf. ad c. I 18, 11; similiter res se habet de verbis: *solere, consuevisse:* cf. ad c. II 11, 23; *ostendere, demonstrare:* cf. ad c. II 16, 11. — Praeterea Acro A haud raro '*dum*' scripsit, ubi Porphyrio '*cum*' habet: cf. ad c. I 20, 5. Aliud genus huius levissimae mutationis iis locis extat, ubi alter verbum simplex, alter verbum compositum scripsit: cf. ad c. I 20, 5. — Saepissime deinde constructio verborum leniter mutata est ab Acrone A velut: ad c. I 30, 7: '*sciendum*' pro: '*scire debemus*'; ad c. III 7, 19: '*subauditur*' pro: '*subaudiendum*'; ad c. III 26 in.: '*videri vult*' pro: '*videtur*'; aut Acro A vocem '*ait*', '*dicit*' et talia interiecit. Sed haec omnia non magni momenti sunt. Ampliores deinde conmutationes sunt eae, ubi aut nonnulla addita aut omissa esse videntur. Huc spectant plurima eorum scholiorum, ubi Porphyrio Acronis A fons fuit. Satis est pauca afferre exempla quibus quod modo diximus manifestum fiat.

ad c. I 18, 11. Porph.: '*non ego te candide B.] a genere vestis Liber Bassareus appellatur, unde et ipsae Bacchae Bassarides appellantur.*' — Acro A: '*Bassareu.] Bassareus dictus est Liber pater a genere vestis Baccharum, unde et Bacchae Bassarides dictae.*'

ad c. I 24 in. Porph.: '— —. *sensus autem est: da mihi*

praecepta carminis, o Musa, ut ostendam, quis modus desiderii esse debeat carissimi amici.' — Acro A: '— —. *Sensus autem: Da mihi praecepta carminis, o Musa, quibus ostendam, quis modus desiderii esse debeat carissimi* ***sodalis aut*** *amici.'*

ad c. I 25 in. Porph.: '*Parcius iunctas quatiunt f.] haec* ***ode*** *in meretricem rapacem sed iam vetulam et merito ab amatoribus passuram quae fecerat scripta est; sensus autem: iuvenes, qui olim* ***frequentius*** *fenestras tuas lapidibus incessebant, ut excitata somno* ***ianuas*** *aperires, iam te neglegere incipiunt et idcirco haec rarius faciunt.'* — Acro A: '*In* ***Lydiam*** *meretricem rapacem sed iam vetulam scribit meritoque ab amatoribus passuram quae fecerat. Sensus autem est: Iuvenes qui olim fenestras tuas lapidibus incessebant, ut excitata somno* ***eis*** *aperires, iam te neglegere incipiunt et idçirco hoc rarius faciunt.'*

§ 24. Crebro denique scholia, quae Acro A ex Porphyrione deprompsit, ab illo aucta et amplificata sunt, rarissime autem ea quae in commentario Porphyrionis, quem codices nobis praebent, non leguntur, ad plenius Porphyrionis excemplum referenda videntur. Quibus fortasse haec tribuenda sunt:

ad c. I 16, 15. Porph.: '*et insani leonis vim stomacho a. n.] belle de fabula sensus praesenti intentioni necessarius conceptus est. ait autem Prometheum limo homines fingere iussum ex omnibus animalibus particulas homini adponere vim leonis stomacho adposuisse; idcirco iracundia magis nos incendi quam ulla alia animalia.'* — Acro A: '*belle de fabula sensus praesenti intentioni necessarius conceptus est. Aiunt autem Prometheum cum limo hominem fingeret, iussum ex omnibus animalibus particulas,* ***prout erat eorum natura,*** *homini adponere vim leonis stomacho adposuisse, idcirco quod iracundia magis accendamur.'*

Videmus eadem paene verba apud utrumque commentatorem, et, si Porphyrionem non ut Meyerus interposito '*et*', sed ex Acrone A ita emendamus, ut scribamus: '*Prometheum ⟨cum⟩ limo homines fingere⟨t⟩ —,* tantopere haec duo scholia excepta extrema particula inter se congruunt, ut putare liceat etiam verba '*prout erat eorum natura*' Porphyrionis esse, quanquam concedere debemus ea non valde desiderari.

ad c. II 14, 26. Porph.: '*superbo' autem pro ipse superbus.'* — Acro A: '*superbo pro ipse superbus.* ***ὑπαλλαγή figura.'*** — Hanc adnotationem Acro A ex Porphyrione sumpsisse videtur, ubi, cum iam non extet, restituenda est. Cf. ad c. I 2, 48: '*ocior aura tollat.] pro 'ocius tollat'; σχῆμα ὑπαλλαγή.'* Cf. deinde

ad c. I 7, 22; ad c. I 15, 31; ad c. I 23, 5; ad S. I 4, 79; ad Ep. II 2, 81.

Deinde Meyerus duo scholia Porphyrionis, quae in codicibus mutilata sunt, ex Acrone A refecit: ad c. III 16, 8 et c. III 19, 22.

§ 25. Ex iis quae attuli exemplis facile cognosci potest, quae intercedat ratio inter Porphyrionem et Acronem A. Restat, ut eos locos addam, ubi Acro A Porphyrionis commentariis aliquo modo usus esse mihi videtur, quos quidem supra nondum commemoravi: ad c. I 10, 17; 15, 31; 17 in.; 18, 9; 20, 5; 22 in.; 22, 13; 25, 6; 25, 11; 28 in.; 28, 9; 29 in.; 29, 14; 29, 15; 30 in.; 30, 5; 30, 7; 31 in.; 31, 3; 31, 7; 31, 9; 31, 10; 32 in.; 32, 5; 33 in.; 34 in.; 34, 10; 35, 17; 36, 8; 37, 2; 38 in.; ad c. II 1, 3; 2 in.; 2, 11; 2, 17; 7, 6; 7, 22; 8 in.; 11, 22; 11, 23; 12, 7; 13, 23; 13, 26; 14, 4; 15 in.; 15, 17; 16, 11; 16, 19; 16, 22; 17, 19; 18 in.; 18, 26; 18, 38; 19 in.; 19, 7; 19, 9; 19, 17; 19, 18; 19, 29; 19, 30; 20, 16; ad c. III 1, 2; 1, 16; 1, 17; 1, 21; 1, 37; 2, 17; 3 in.; 3, 46; 3, 61; 4, 9; 4, 14; 4, 20; 4, 21; 4, 41; 4, 42; 4, 50; 5 in.; 5, 12; 5, 13; 5, 14; 5, 15; 5, 27; 5, 39; 5, 48; 6, 9; 7, 6; 7, 10; 7, 16; 7, 19; 8, 25; 9 in.; 10 in.; 10, 15; 11, 1; 11, 11; 11, 25; 11, 31; 12 in.; 12, 3; 12, 5; 12, 8; 13, 13; 14 in.; 16, 13; 17 in.; 19 in.; 20 in.; 20, 6; 20, 11; 21, 22; 22 in.; 23 in.; 24 in.; 24, 5; 24, 36; 24, 42; 24, 52; 24, 54; 25 in.; 25, 14; 25, 18; 25, 20; 27 in.; 27, 34; 27, 37; 27, 40; 27, 49; 27, 58; 27, 71; 28, 4; 28, 5; 28, 13; 29 in.; 29, 6; 29, 34; 29, 45, 29, 57; 30, 12; ad c. IV 1, 6; 1, 9; 1, 20; 1, 37; 2 in.; 2, 19; 4, 27; 6, 35; 6, 39; 8, 9; 8, 11; 8, 13; 8, 18; 9 in.; 9, 7; 9, 9; 9, 11; 9, 37; 11, 25; 12, 3; 13, 5; 13, 6; 14, 39; 14, 42; 15, 3; 15, 6.

§ 26. Docui quam saepe Acro A in componendis expositionibus suis Porphyrionis commentarios adhibuerit et quanquam concedendum est illas integra Porphyrionis verba non semper exhibere, tamen qui rationem atque naturam illarum mutationum recte perspexerit, sperare potest se aliquid profecturum esse ad emendandos Porphyrionis commentarios scholiis Acronis A adhibitis. Nam hoc negari non potest recensionem cod. A ad pristinam commentariorum formam quam proxime accedere, quippe quae eo tempore illorum fundamento superstructa sit, quo nondum Porphyrionis commentarios depravatos esse putandum est. Ea enim quae apud Acronem A Porphyrionis sunt, non nisi ab ipso Acrone A eo quo supra demonstravimus modo mutata videntur, ut ea quam Porphyrionis commentarii passi sunt corruptio in illis non inveniatur. Pendent

igitur non ab ea commentariorum forma, quam codices Porphyrionis nobis praebent. Itaque si cui Porphyrionis loco medelam adhibere coacti sumus, ad Acronis A scholia, ubi quidem ex Porphyrione emanarunt, primum nos convertamus necesse est.

Quae cum ita sint nostrum est quae invenimus ad usum transferre, quod quomodo fieri possit, exemplis demonstremus nonnullis, quibus Acronis A scholiis adiuti mederi nos posse putamus.

§ 27. ad c. I 28 in.: '*Te maris et terrae n. c.] haec ode prosopop⟨o⟩eia formata est. inducitur enim corpus naufragi Archytae Tarentini in litus expulsum conqueri de iniuria sui et petere ⟨a⟩ praetereuntibus sepulturam. hic autem Archytas Pythagoricus fuit, qui merito geometriae peritus, quia Pythagorici omnia numeris constare credunt.*'

Ac primum quidem scribendum puto: '*haec* ᾠδὴ ἐκ τῆς προσωποποιίας *formata est.*' (Cf. etiam Comm. Cruq.: Hęc ode ἐκ τῆς προσωποποιΐας . . .)[1])

Apud Acronem A enim extat: '*Haec ode ex prosopopoeia formata est.*' Dubium mihi non est, quin illo tempore, quo pro Graecis Latinae formae scribebantur, in codice aliquo Porphyrionis commentarios continenti scriptum fuerit: '*Haec ode de prosopopoeia formata est*', ubi facillime praepositio '*de*' post '*ode*' excidere poterat.

Deinde in codice M omissum est vocabulum '*dicitur*' quod Meyerus in editione addidit post vocem '*peritus*', quod quomodo exciderit perspicuum non est. Quod ceteri codices illud vocabulum praebent, hoc nullius momenti est, nam saepius vestigia emendationis in iis reperiuntur; minime ex hac re sequitur '*dicitur*' in fonte codicis M fuisse. Ergo videamus, quae Acro A exhibet: '*Qui Archyta Pythagoricus fuit geometriae et asteroscopiae peritus. Pythagorici enim omnia numeris constare dicunt.*' Cum autem Acro A tam arte ad Porphyrionis verba se applicet — exceptis illis levissimis mutationibus: '*Qui*' pro '*hic*'; '*enim*' pro '*quia*'; '*dicunt*' pro '*credunt*' et verbis '*et asteroscopiae*', quae ab Acrone A vel a posteriore manu addita sunt — mirum est, cur vocem '*merito*' Acro A omiserit, nisi illam in Porphyrionis exemplo suo omnino

1) Quanquam Hirschfeldero (Quaest. Horat. specimen Berol. 1862) et Iordano (De commentatore Horatii Cruquiano prolusio Regimont. 1883) concedendum est Commentatore non nisi praecaute utendum esse, tamen prorsus neglegendus non est, quippe qui aut ab ipso Porphyrione et Acrone pendeat aut fundamento exstructus sit, quod ad illorum scholia quam proxime accedit.

non invenit. Itaque non tam alienum videtur putare Porphyrionem sic scripsisse: '*hic autem Archytas Pythagoricus fuit, geometriae peritus, quia et q. s.*' et illud '*qui merito*' per dittographiam quae dicitur ex eo quod sequitur '*geometriae*' ortum esse, quod is qui codicem Porphyrionis descripsit, ex consuetudine sua, qua saepe quae non intellegebat in notam sibi formam redegit, correxit in illud, quod nunc in cod. M est: '*qui merito*', neglegens hac correctione facta deesse aliquid, quod cum ii qui reliquos codices scripserunt sensissent, vocem '*dicitur*' addiderunt. Hic autem id optime elucet, quod iam Meyerus, Petschenigius, Urba contenderunt codicem M plerumque veram praebere lectionem eiusque unius opera Porphyrionis commentarios esse restituendos.[1])

§ 28. ad c. I 29 in.: '*Icci beatis nunc trabum invides gazis.] hanc oden ad Iccium scribit, quem miratur intermisso philosophiae studio repente se ad militare studium contulisse, per quam videtur concupiscere divitias.*' Meyerus propter illud '*militare studium*' pro '*per quam*'; scripsit '*per quod*'. Petschenigius[2]) scribendum censet '*per quae*'; sed utraque coniectura offendor; nam illud '*per quod*' satis firmis argumeutis comprobari non potest, et quod Petschenigius proposuit, artificiosius excogitatum videtur esse. Magis mihi arridet Paulyi emendatio[3]), qui illud '*studium*' ex antecedenti '*studio*' ortum putat. Confert enim Acronis A scholion, ubi est: '*Ad Iccium, quem miratur philosophiae intermisso studio repente se ad militarem vitam contulisse cupiditate diviliarum ...*' Vocabulum '*vitam*' facillime post '*militarē*' excidere potuit; tum qui hoc '*repente se ad militarē contulisse*' intellexit, ex antecedentibus '*studium*' supplevit, quae autem sequebantur: '*per quam*' prorsus neglexit. Quo comprobatur id, quod supra diximus eum qui commentarios descripsit, magna incuria atque neglegentia usum esse et saepius suo arbitrio locos corruptos emendasse.

ad c. I 30, 5: '*et solutis Gratiae zonis.] bene Gratiae nudesisine nudę finguntur, quia amici animos solutos ac nudos inter se habere debent.*' M. — Verba: '*nudesisine nudę*' magnam corruptionem praebent, quadecausa in cod. Paris. 7988 (R apud Hauthalium), quanquam perinepte, scriptum est: '*nudae sine nodis*', in aliis: '*nudae et sine zonis*' legitur. Meyerus in editione,

1) C. Cq.: '*Fuit autem hic Archytas Pythagoricus geometra et asteroscopos, omnia numeris dimetiens.*'
2) Stud. Vindob. 1881, p. 307.
3) 1877, p. 30.

neglegens verba corrupta, scripsit: '*nudae*'. Apud Acronem A haec invenimus: '*Bene autem nudae et solutis zonis Gratiae finguntur, quia amicorum animi soluti secum et nudi esse debent.*' Habemus Porphyrionis scholion, cuius extrema pars ab Acrone A leniter mutata est. Apparet autem illud: '*sisine nudę*' (*ę* ex *i* corr., cf. Meyeri adnot.) nihil esse aliud nisi verba: '*& zonis solutis*', quamvis corrupta et depravata.

ad c. I 30, 7: '*et parum comis sine te.] id est: 'minus elegans'; 'sine te', hoc est 'venustate'; scire autem debemus Venerem non tantum concubituum, verum etiam dominam esse omnium elegantiarum.*' Acronis A auctoritate comprobatur Paulyi[1]) emendatio '*sine te*' *hoc est* '*sine venustate*'; apud illum enim scriptum videmus: '*Sine te*' *hoc est* '*sine venustate*'. *Sciendum tamen Venerem non tantum concubitus, verum etiam omnium elegantiarum esse dominam*'.

§ 29. ad c. I 34, 10: '*Taenari sedes.] 'inferi' intellegendum, quia per Taenarum Laconicae promunturium descensus ad inferos fertur.*' Ex Acronis A scholio colligere possumus in Porphyrionis explicatione verbum '*esse*' intercidisse quod cum iam constructio grammatica postulet, restituendum est, ut fiat: '*descensus ad inferos esse fertur.*' Acro A: '*Taenari promunturium Laconicae. per quod descensus esse ad inferos fertur.*'[2])

ad c. I 37, 30: '*scilicet invidens privata d. s. n. h. m. t.] 'invidens' scilicet Augusto ne captivitas sua illi gloriosiorem honestioremque triumphum faceret ornatu. nam et Titus Livius refert, illam cum de industria ab Augusto in captivitate indulgentius tractaretur idemtidem dicere solitam fuisse: Οὐ θριαμβεύσομαι id est non triumphabor ab alio.*' — Iam conferamus cum hoc scholio Acronis A verba: '*— — invidens Augusto ne captivitas sua illi speciosiorem faceret triumphum. Nam et Livius refert: Cleopatram cum dę industria ab Augusto capta indulgentius tractaretur, dicere solitam: 'Non triumphabor.'*' — Habemus Porphyrionis scholion, habemus levissimas illas mutationes Acronis A proprias, '*speciosiorem*' pro Porphyrionis '*gloriosiorem honestioremque*', '*capta*' pro '*in captivitate*'; sed desideramus illum ablativum '*ornatu*', quadecausa eum non Porphyrionis, sed posteriore demum aetate male additum esse censeam, quod ut faciam, etiam locus extremus quo positus est monet. Insertum igitur est hoc ineptum additamentum postquam Acro A expositiones suas Porphyrionis

1) 1876, p 8.
2) Cf. Pauly. 1876, p. 8.

fundamento superstruxit. Simul hisce ex scholiis cognoscimus iam ante Acronem A Porphyrionis commentarios iis interpolationibus auctos esse, quibus Graeca verba explicantur. Nam cum Porphyrio ex Livio vel ex fonte suo scripsisset: '*Οὐ θριαμβεύσομαι*', grammaticus quidam haec interpretatus est: '*id est non triumphabor ab alio*'; Acro A autem, qui Graecae linguae minime scientem se praebet[1]), omissis Graecis vocabulis Latinam interpretationem recepit.

§ 30. ad c. II 8 in.: '*Vlla si iuris tibi peierati p. B.] scaenicum principium. intellegendum enim aliquos sermones praecessisse, quibus Barine haec noctem sui iureiurando interposito repromiserit; dein postquam fefellerit, tum in haec verba hunc erupisse.*' Paulyus[2]) pronomen '*haec*' delendum censet, quia Porphyrio similibus locis, ubi de eo loquitur ad quem carmen scripsit Horatius, pronomine demonstrativo non utatur. Cum ille autem locos non addidisset, ipse carmina perlustravi et inveni Porphyrionem semper fere usum esse pronominibus '*is*' vel '*ille*', duobus tantum locis pronomen '*hic*' extat.

ad c. IV 4 in.: '— — *scripta est ergo* (sc. ecloga) *in Neronem Drusum privignum et successorem Augusti, qui Raetos Vindelicos bello vicit. de imperio autem principis huius duplicem facit comparationem et q. s.*'

ad ep. 4 in.: '*hanc eclogam in Pompeium Menam scribit libertum Pompei Magni, qui praefectus classi fuit. Sexto Pompeio bellum adversum Augustum Caesarem gerente hic cum classe ad Caesarem transierat, et q. s.*'

His duobus locis pronomen '*hic*' referendum est ad nomen proprium, quod antecedit; in scholio ad c. II 8 in. illud nomen proprium non antecedit, sed cum pronomine coniunctum est, quod in allatis exemplis non legitur. Attamen illud '*haec*' minime delendum puto collato Acronis A scholio, ubi est: '*Scenicum principium in Varinen meretricem. Intellegitur enim per hanc invectionem aliquos praecessisse sermones, quibus noctem sibi eadem Varine iureiurando promiserit; dehinc postquam fefellit eum, in haec verba poetam velut amantem erupisse.*' Est autem Porphyrionis scholion ab Acrone A leniter mutatum et amplificatum. Illud enim quod est apud Acronem A '*eadem*', ex Porphyrionis '*haec*' ex notissima illius consuetudine mutandi ortum esse puto et hac de causa non delendum. Ex quo sequitur, ut nomen proprium antecedere debeat, ad quod referendum sit illud '*haec*'. Hic quoque

1) Cf. Petschenig. 1873, p. 2.
2) 1877, p. 33.

Acronis A auxilio uti possumus; non enim dubito, quin verba: '*in Barinen meretricem*' ex integriore Porphyrionis exemplo desumpta sint. Itaque scribendum est: '*Scaenicum principium ⟨in Barinen meretricem⟩. Intellegendum enim aliquos sermones praecessisse quibus Barine haec etc.*'

§ 31. ad c. II 15, 17: '*nec fortuitum spernere cespitem leges sinebant] sensus et ordo hic est: nec sinebant legibus spernere cespitem fortuitum id est: non licebat inridere eum qui super stipulam vel super herbam recumberet aut dormiret, per quod significat, simplicem ac sine ambitione vitam veteribus Romanorum fuisse.*' Hic iam ex lemmate apparet scribendum esse: '*nec sinebant leges*[1]) *spernere* — nam '*legesinebant*' cod. M est: '*leges sinebant* —', quod comprobatur Acronis A scholio, ubi legimus: '*nec fortuitum s. cesp.] Hic ordo versuum est: nec sinebant leges spernere cespitem fortuitum, id est, non licebat aut neglectum horrere aut ridere eum, qui super herbam recumberet aut dormiret. Per quod significat simplicem ac sine ambitu vitam veteribus Romanis fuisse nec magna cura privatas opes curatas, dum studium omne publico ornatui inpenderetur et templis.*' Simul Acronis A scholion docet illud Porphyrionis '*Romanorum*' emendandum esse in '*Romanis*'[2]); fortasse verba: '*nec magna cura — templis*' referenda sunt ad plenius Porphyrionis exemplum, sed cum desint argumenta, res comprobari non potest.

ad c. II 16, 19: '*patriae quis exul se quoque fugit.] sensus est: quis a se quoque aut vitio avaritiae suae sapientiae suae potuit fugere, qui patriam reliquit?*' Verba '*a se quoque aut vitio avaritiae suae*' integra esse non possunt propter sensum; itaque hic corruptela statuenda est, quam Acronis A auxilio emendare conemur. Acro A: '*quis a se quoque, id est a vitiis avaritiae suae potuit fugere, qui patriam dereliquit ...*' Primum igitur illud '*aut*' eiciendum est (dittographia quam dicimus ortum); deinde post '*quoque*' excidisse videtur '*id est*'; quod adtinet illud quod legitur: '*sapientiae suae*', hoc qui ceteros codices scripserunt emendare conati sunt: '*aut impatientiam suam*', quibus adductus Petschenigius[3]) scribi iussit: '*sive impotentiae*'; sed haec verba non modo inepta et supervacanea sunt, verum etiam Acronis A scholio conprobatur ea nihil esse nisi pravum additamentum,

1) Cf. Pauly. 1877, p. 33.

2) Pauly. 1876, p. 14: '*veteribus Romanis olim*', sed '*olim*' post '*veteribus*' prorsus supervacaneum est.

3) Stud. Vindob. 1881, p. 307.

quod primo supra adscriptum, deinde, sicut multa alia, in ipsius Porphyrionis verba irrepsit. Recte igitur Meyerus hanc interpolationem eiciendam censuit.

§ 32. ad c. II 18, 38: '*hic levare functum pauperem laboribus vocatus atque non vocatus audit.] belle, quia mors necessitas est; ita tamen perpetua requies laborum.*' Conferamus Acronis A scholion: '*Bene 'audit' quia mors ut necessitas est, ita perpetua est requies laborum.*' Inde apparet in Porphyrionis commentario post '*mors*' incuria librarii excidisse '*ut*'; nam cum totum Acronis A scholion Porphyrionis sit, veri simile non est illum addidisse vocem '*ut*'. Deinde Paulyus[1]) pro '*ita tamen*' scripsit '*ita etiam*', ut est apud Comm. Cruq.; sed non dubito, quin illud 'tamen' nihil sit nisi mendum librarii. Fortasse etiam inter '*requies*' et '*laborum*' intercidit '*est*', sed hoc in medio relinquam.

ad c. III 3, 46: '*qua medius liquor secernit Europen ab Afro.] Gaditanum mare fretum significat; inde enim discerni incipiunt Europa et Libya.*' Verba '*Gaditanum mare fretum*' non esse integra iam supra commemoravimus[2]), ubi quae viri docti de hoc loco senserint, exposita sunt. Equidem hic sententiam sequar Petschenigii, qui vocabulum '*fretum*' pro glossemate habendum ideoque delendum censuit. Sed quaerat hic quispiam, quomodo fieri potuerit, ut vocabulum '*mare*' addita voce '*fretum*' explicaretur? — Apud scriptores antiquae memoriae semper scriptum invenies '*Gaditanum fretum*', quod ut comprobem, hos locos afferam: Cic. fragm. ap. Charis. p. 129, 8: *Fretu, Cicero 'A Gaditano' inquit 'fretu'*; Solin. 18, 1: '*existimant enim quidam sinus istos a Gaditano freto nasci —*'; 23, 13: '*Sed Gaditanum fretum, a Gadibus dictum, —*'; 24, 11: '*Lix a Gaditano freto centum duodecim milibus* (sc. abest)'; Flor. ep. ed. Halm. p. 57, 22: '*Tiberius Nero Gaditanum fretum, quo primum maris nostri limen aperitur —*'; Plin. N. H. III praef. 4: '*Origo ab occasu Solis et Gaditano freto, quo irrumpens Oceanus Atlanticus in maria interiora diffunditur —*'; III 1, 1: '*in duas partes ab amne Tanai ad Gaditanum fretum universo orbe diviso —*'; Isidor. Orig. XIII 15: '*Nam Gaditanum fretum a Gadibus dictum —*'; Macrob. VII 12, 35: '*— in freto est Gaditano —*'; Iordan. Get. rec. Mommsen. p. 55, 10: '*— iuxta fretum Gaditanum —*'; p. 102, 1: '*— qui dicitur fretus Gaditanus —*'. '*Gaditanum mare*' autem non extat

1) 1876, p. 15.
2) Cf. huius disput. p. 166.

nisi apud Porphyrionem et apud alium, quem statim nominabo. Quid igitur veri est similius quam grammaticum quendam, cum Porphyrio '*Gaditanum mare*' scripsisset, annotasse hoc fere non dici, sed semper '*Gaditanum fretum*', quadecausa super '*mare*' adscripsit vocem '*fretum*', ut ii, qui Porphyrionis commentarios legerent, plane cognoscant, hic Gaditanum fretum intellegendum esse? Deinde illud fretum sicut multa alia inter ipsius commentatoris verba irrepsisse? — Mihi quidem hoc valde videtur esse probabile. Accedit autem aliud argumentum atque ut puto gravissimum: supra iam dixi apud alium quoque legi: '*Gaditanum mare*'; hoc autem extat apud Acronem A, ubi scriptum videmus: '*Gaditanum mare dicit, inde enim incipit Europa secerni a Libya.*' Nonne habemus Porphyrionis scholion ab Acrone lenissime mutatum? — Dubium igitur esse non potest, quin cum Petschenigio scribendum sit: '*Gaditanum mare significat*'.

§ 33. ad c. III 4, 50: '*fidens iuventus horrida brachiis] ordo est: fidens brachiis iuventus horrida. melius enim intellegitur quam 'horrida brachiis'.*' Desideratur hic id, quocum '*horrida brachiis*' comparatur, id est '*horrida iuventus*', ut est apud Acronem A: '*Melius intellegitur 'horrida iuventus' quam 'horrida brachiis'.*' Itaque illa verba apud Porphyrionem, ubi aberratione librarii omissa esse puto, addenda sunt.

ad c. III 5 in.: '*Caelo tonantem credidimus I. r.] famae, inquit, tantum de Iovis magnitudine credimus, quanto magis de Augusti credendum est, cuius virtutes et potentiam omnes non audimus, sed videmus!*' — Petschenigius[1]) ante '*famae*' addiderat '*si*', quod confirmatur Acronis A scholio, quod est: '*Ergo si famae, inquit, tantum de Iovis magnitudine credimus, quanto magis de Augusti divinitate credendum est et q. s.*'; male autem Hauthalius in editione sua ex Acrone in Porphyrionis verba vocabulum '*divinitate*' inseruit, nam haec ellipsis minime pugnat cum Porphyrionis consuetudine dicendi.[2])

ad c. III 5, 27: '*neque amissos colores lana refert medicata fuco.] ut lana, inquit, medicata id est infecta numquam ad pristinum redit colorem, ita miles ... non erit fortis.*' Conferamus cum hoc scholio, quae apud Acronem A invenimus: '*Sicut fuco, inquit, lana medicata ad pristinum iam non potest colorem reverti, ita miles etc.*' Apud Porphyrionem desideratur ablativus '*fuco*', qui

1) 1872, p. 22.
2) Cf. Urba l. c. p. 59 sqq.

est in lemmate scholii; verba autem '*id est infecta*' non extant apud Acronem A. Itaque Porphyrio scripsisse videtur: '*Vt lana, inquit, medicata fuco numquam etc.*' Deinde adscripsit nescio quis ad vocem '*medicata*' interpretationem '*id est infecta*', quae in commentarium irrepsit vocemque '*fuco*' eiecit. Propria enim est ei eadem forma, quae in interpolationibus saepissime invenitur: '*id est . .*'

ad c. III 5, 39: '*o magna Carthago probrosis altior Italiae ruinis] sic vocabatur Carthago magna, quam ait dedecore et donis malis Romanorum altiorem factam.*' Codices praeter M pro '*donis malis*', quod certe corruptum est, praebent lectionem '*dolis malis*' haud felici emendatione. Paulyus[1]) '*domi malis*' = '*domesticis malis*' scribi iussit et his verbis illud Horatianum '*Italiae ruinis*' explicari censuit. Petschenigius[2]) emendavit: '*damnis magnis*', quo illud '*ruinis*' explicaretur. Stowasserus[3]) melius scripsit: '*dedecore et damnis* (ex: *dānis*) *Romanorum*', verbum '*malis*' ex interpretamento ortum delendum ratus. Ego autem non modo '*malis*' delendum, sed etiam '*et damnis*' eiciendum puto, Acronis A auctoritate nixus, qui haec habet: '*Magna enim Carthago ab accolis vocabatur; sed hic eam*[4]) *poeta ait dedecore Romanorum maiorem factam.*' Non dubito, quin Acro A hoc scholion ex Porphyrionis exemplo sumpserit leniterque tantum ut eius erat mos mutaverit; desunt autem apud Acronem ea verba, quae totam hanc quaestionem moverunt. Quadecausa ea Porphyrionis esse non existimo eumque scripsisse mihi persuasi: '*quam ait dedecore Romanorum altiorem factam.*' Deinde ad vocem '*dedecore*' adscripta est interpretatio '*i. e. dānis malis*', quae postea ab neglegenti homine in commentarium recepta est.

§ 34. ad c. III 24 in.: '*Intactis opulentior thesauris] hac ᾠδῇ generaliter invehitur in luxuriam omnem omnia profanantem et aedificiis novis non terram tantum, verum etiam maria occupantem.*' Acronis A scholio: '*Generaliter hac ode invehitur in luxuriam omnia profanantem et aedificiis novis non terram tantum, sed etiam maria occupantem*' Meyeri sententia, qui '*omnem*' delendum ratus uncis inclusit, comprobatur, ideoque Paulyi coniecturae, qui illud '*omnem*' corruptum esse censuit ex '*hominum*' vel '*Romanorum*' vel '*omnino*', reiciendae sunt.

1) 1876, p. 17.
2) Eph. gymn. Austr. 1879, p. 804.
3) Stud. Vindob. 1890, p. 121.
4) *eum:* cod. Paris. 7900 A.

ad c. III 24, 52: '*et tenerae nimis mentes] utrum puerorum mentes teneras nimis digitisq; formandas ad asperiora studio, an vero luxuriosorum mentes teneras appellat, quas vult abiectis gemmis et auro formari ad asperiora studia?*' — Meyerus Meiseri coniecturam in editionem recepit '*dicit easque*' pro illo corrupto '*digitisq;*', Paulyus[1]) scripsit: '*dicit literisque*'. Sed nisi certum aliquem ducem sequimur, longum spatium coniecturis patet. Itaque nos convertamus ad Acronem A, cuius opera iam saepius rem difficilem expedivimus. '*[Duplex intellectus est] utrum puerorum mentes teneras dicat esse formandas ad asperiora studia [hoc est fortiora], an certe luxuriosorum mentes teneras appellat, quas vult, abiectis [luxuriae instrumentis], auro et gemmis, asperioribus studiis reformari.*' Quae uncis inclusi, ea ab Acrone aut alio addita, reliqua autem Porphyrionis sunt. Itaque si ad incuriam et levitatem librarii, quae saepissime nobis occurrit, respicimus, non alienum est putare illud '*digitisq;*' corruptum esse ex '*dicit esse*', praesertim si ea verba in codice illo Horatiano vetustissimo vel in Porphyrionis archetypo minus clare scripta erant.

ad c. III 25 in.: '*Quo me Bacche rapis tui plenum.] Hac ᾠδῇ invocat Liberum patrem petens ab eo, ut se in secreta aliqua nemorum suorum ducat, ubi numine eius mentem instinctus Caesaris Augusti laudes canat; per quae videtur allegoricos significare non sufficere spiritum suum laudibus Augusti sine Liberi numine. nam et ipse musicus deus est adhibetur.*' Varias nobis hic commendaverunt emendationes viri docti, velut Petschenigius[2]): '*— — nam et ipse musicus deus esse perhibetur*'; Paulyus[3]): '*nisi Liberi numine adiuvetur, nam et ipse musicus deus est*'; Bitschofskyus[4]): '*nisi Liberi numine — nam et ipse musicus deus est — adiuvetur*'; Beckius[5]): '*nam et ipse musicus deus a se adhibetur.*' Probatur Bitschofskyi sententia Acronis A auctoritate: '*Hac ode Liberum patrem invocat, eo quod ipse musicus deus sit, petens ab eo, ut se in secreta nemorum suorum ducat, ubi numine eius repletus Caesaris Augusti laudes canat, allegoricos significans non sufficere spiritum suum laudibus Augusti, nisi numinis eius iuvetur instinctu.*' Hoc scholio etiam verisimile fit apud Porphyrionem '*nam et ipse musicus deus est*' primo scripta fuisse post

1) 1876, p. 19.
2) 1873, p. 8.
3) 1877, p. 36.
4) Stud. Vindob. 1883, p. 169.
5) De M. Valerio Probo Berytio 1886, p. 48.

vocem '*patrem*', deinde verba illa esse omissa et falso loco postea addita; quanquam verba eo quo nunc posita sunt ordine nil habent offensionis.

§35. ad c. III 27,49: '*inpudens Orcum moror o deorum.] eadem*[1]) *inpudentia vivo, qua patriam reliqui.*' Cum Acro A habeat: '*Eadem, inquit, inpudentia vivo, qua[m] patriam reliqui*', recte Paulyus[2]) in Porphyrionis scholio vocem '*inquit*' addendam censuisse mihi videtur.

ad c. III 28, 4: '*munitaeque adhibe vim sapientiae.] munita sapientia bene dicitur, quae scilicet nulli fortunae subiecta est. Graeci autem aiunt vim sapientiae adhiberi per vinum.*' Apud Acronem A scriptum videmus: '*Bene autem ait vim sapientiae adhiberi per vinum.*' Illud '*bene*' Acronis A nos docet vocabulum '*Graeci*' corruptum et pro eo scribendum esse '*grate*'.[3]) Deinde '*aiunt*' in '*ait*' mutari debet, nam Porphyrio hic Horatium laudat; cf. id quod antecedit: '*bene dicitur.*'

ad c. III 29, 57: '*non est meum si mugiat Africis malus procellis] nec vitae nec propositi mei est, inquit, adversa, quia nec periculis me quaestus causa committo nec plura quam habeo desidero.*' Cum Horatiani versus qui secuntur, tum Acronis A scholion: '*nec vitae nec propositi mei est, inquit, timere adversa, quia etc.*', nos scribere iubent apud Porphyrionem: '*inquit, timere adversa*', id quod iam Paulyus in editione sua (a. 1858) fecerat.

ad c. IV 13, 5: '*Cupidinem lentum sollicitas.] 'ille virentis': scilicet Cupidinem, qui ideo lentus est, quoniam tu ei ingrata es per aetatem.*' Paulyus[4]) verba: '*ille virentis. scilicet Cupidinem*' delenda censuit, quia non nisi repetita essent ex sequenti scholio: '*ille virentis e. d. ps. Ch. p. e. i. g.: Cupido scilicet.*' Acronis A autem scholion me movet, ut aliter sentiam de hac re. Extat enim apud illum: '*Iuvenum scilicet Cupidinem, qui ideo lentus est, quoniam tu eis ingrata es per aetatem.*' Itaque illud '*iuvenum*' nescio quo modo corruptum esse puto ita, ut qui codicem M descripsit, illud agnoscere nondum posset; tum inepte correxit: '*ille virentis*', fortasse adductus initio proximi scholii, et cum vox '*eis*', quam invenerat, iam non haberet, ad quod pertineret, eam mutavit in '*ei*', nunc referens ad cupidinem. Quamobrem Porphyrionis scholion secundum Acronem A restituendum est.

1) M: *moror ō adeor.*
2) 1877, p. 36.
3) Pauly. 1876, p. 19.
4) 1876, p. 21.

ad c. IV 15, 3: '*ne parva Tyrrhenum per aequor vela darem] allegoricos significatur: ne magnam materiam humili generi carminis committerem.*' Apparet ex Acronis A scholio: '*per allegoriam significat magnam materiam etc.*' et ex ipsius Porphyrionis scholio ad c. II 7, 15: '*allegoricos significat — —*' scribendum esse: '*allegoricos significat et q. sq.*'[1])

Multis certe aliis locis Acronis A auxilio Porphyrionis commentarios emendari possunt, sed hoc antequam fiat scholia cod. Paris. 7900 A accuratius et a reliqua scholiorum mole separata denuo edantur necesse est, quod facile mihi concedet, qui Hauthalii editionem et praecipue eius apparatum criticum cognoverit.

Valde autem dolendum est, ut iam supra professi sumus, quod non ad omnia Horatii carmina scholia illa codicis Paris. 7900 A exstant; nam Porphyrionis commentarii, qui ad Sermones et Epistulas spectant, praecipue corrupti, mutilati, interpolati sunt; deinde ex iis Urba maxima ex parte verba deprompsit, quae ei ad definiendam Porphyrionis aetatem apta visa sunt.[2])

§ 36. Ab hac vetustiore Pseudacronianorum scholiorum recensione, de qua adhuc egimus, iam supra[3]) distinximus illam recensionem quam nobis codex Parisinus 7975 γ praebet. Cuius natura quo planius cognoscatur, Kelleri verba sequi iubeo:[4]) '*Wir unterscheiden also vorläufig die auf die Carmina, Epoden und das Carmen saeculare beschränkten älteren, kürzeren schol. A und die über den ganzen Horaz ausgedehnten späteren schol. Γ, welche bis zu c. IV 2 hin als weitläufigere Version von schol. A auftreten, von c. IV 3 bis zum Schlufs der Epoden und dem Carmen saeculare im Gegensatz zu schol. A sich befinden und daselbst teils aus Porphyrio geflossen sind, teils selbständig gearbeitet zu sein scheinen. Für die Sermonen, Episteln und die Ars poetica fehlt jeder Mafsstab, da hier nur schol. Γ (ohne schol. A) vorliegen. Diese schol. Γ teilen mit den von c. IV 3 an nachweislichen schol. Γ die merkwürdige Abhängigkeit von Porphyrio sowie einige andere Eigentümlichkeiten und dürften also wohl nur eine Fortsetzung jener schol. Γ sein.*' Haec igitur scholia Γ, quibus scholia nonnullorum aliorum codicum simillima sunt, recensionem praestant, quae Kellero auctore[5]) sub finem saeculi quinti, secundum

1) Cf. Pauly. 1877, p. 38.
2) Cf. Urba l. c. p. 42. 43.
3) Cf. huius disput. p. 167.
4) Epilegomena ad Horat. T. III p. 792.
5) Symbola philol. Bonn. p. 502.

Kukulam[1]) non ante medium saeculum sextum orta est.[2]) Quod ad emendandos Porphyrionis commentarios adtinet, scholia Γ longe distant ab vetustiore illa recensione, nam posterioribus saeculis iterum Porphyrionis particulis aucta vel e codice aliquo Porphyrioneo emendata esse videntur; deinde is qui haec scholia compilavit, Porphyrionis verba non tam saepe aut tam constanter mutavit, quam Acro A, sed plerumque integra deprompsit, ut scholia Γ plerumque ad eam formam quam proxime accedant, quam nobis codices Porphyrionis praebent. Semel Acro Γ Porphyrionis verba prorsus integra his verbis affert: 'Apud Commentatorem sic inveni relatum —'. ad A. P. 120. — Ceteris permultis locis, qui ad Porphyrionem ut fontem spectant, nec tale quid nec Porphyrionis nomen legitur. Est autem consuetudo illius Acronis Γ, quo nomine omnes qui huius recensionis scholia composuerunt et auxerunt comprehendamus, ad singulos Horatii versus complures plerumque adferre explicationes, quae coniunguntur coniunctione '*aut*', velut A. P. 234 (cf. ad c. I 28, 9; 35, 17; II 7, 22; III 1, 16; 20, 6; 20, 11; 28, 13); saepius adverbio '*aliter*', velut ad ep. 13, 5; ad Ep. I 4, 3; I 5, 9; ad A. P. 191; 343; 471; deinde voce '*alii*', velut ad ep. 2, 53; ad Serm. I 2, 76; I 3, 29; I 3, 46; I 5, 62; ad A. P. 203; ubi una et optima fere ex variis interpretationibus Porphyrionis est.

§ 37. Atque quo melius intellegatur, quam arte Acronis Γ scholia ex Porphyrione desumpta ad eam Porphyrionis commentariorum formam, quam in codicibus habemus, se applicent, nonnulla exempla afferre satis habeo.

ad c. IV 15 in. Porph.: '*Phoebus volentem proelia me loqui.] quidam separant hanc ᾠδήν a superiore, sed potest illi iungi, quoniam et hic laudes dicuntur Augusti.*' — Acro Γ: '*quidam separant hanc oden a superiore, sed potest illi iungi, quoniam et hic laudes dicuntur Augusti.*'

ad ep. 2, 17. Porph.: '*poetica phantasia finxit autumnum quasi corporalem deum pomis coronatum.*' — Acro Γ: '*poetica phantasia fingit [autem] autumnum quasi corporalem deum pomis coronatum.*'

ad ep. 2, 21. Porph.: '*et munero et muneror [in]*[3]) *activa significatione recte dicitur.*' — Acro Γ: '*munero et muneror recte dicitur in activa significatione.*'

1) De tribus Pseudo-Acron. schol. recensionibus p. 46.
2) Cf. Petschenig. 1873, p. 7, adnot. 14.
3) '*in*' delevit Paulyus 1877, p. 39.

ad ep. 2, 29. Porph.: '*'annus hibernus' pro 'hibernum tempus anni'.*' — Acro Γ: '*pro hibernum tempus anni.*'

ad ep. 2, 39. Porph.: '*non ait 'quodsi et pudica uxor rustico contingat'; nec enim existimat difficile esse rusticam uxorem pudicam esse, cum omnes pudicas esse intellegi velit. sed hoc ait: quodsi et uxorem habeat, quae alioqui pudica est. potest autem utique accidere [idioma. et est consuetudo rustica]*[1]*, ut uxor non sit, vel quia nondum ducta est, vel quia aliquo casu adempta est.*' — Acro Γ: '*non ait: quodsi et pudica uxor rustico contingit — neque enim difficile aestimat, rusticam uxorem pudicam esse, cum omnes pudicas intellegi velit — sed hoc ait: quodsi et uxorem habeat, quae alioqui pudica sit. potest autem accidere ut uxor ei non sit, quam nondum duxerit vel quod aliquo casu adempta sit.*'

ad ep. 3, 7. Porph.: '*sub hoc Canidtae nomine Gratidiam Neapolitanam unguentariam intellegi vult, quam ut veneficam Horatius semper insectatur. sed quia non licet probrosum carmen in quemquam scribere, idcirco fere poetae similia adfingunt. sic et Vergilius in Bucolicis pro Cytheride Lycoridem appellat.*' — Acro Γ: '*Sub hoc Canidiae nomine Gratidiam Neapolitanam unguentariam intellegi vult, quam ut veneficam Horatius semper insequitur. Sed quia non licet probrosum carmen in quempiam scribere, idcirco poetae similia confingunt. sicut Maro*[2] *in Bucolicis pro Cytheride Lycoridem appellat.*'

ad ep. 14 in. Porph.: '*ad Maecenatem loquitur. significat illum frequenter de se quaerere, cur neglegat carmina scribere. deinde quasi interrogationes eius volens effugere amorem causatur.*' — Acro Γ: '*Alloquitur Maecenatem significans illum frequenter de se quaerere, cur neglegat carmina scribere. deinde quasi interrogationes eius volens effugere amorem causatur.*'[3]

§ 38. Quanquam scholia Γ plerumque non tam prope accedunt ad illam pristinam formam commentariorum Porphyrionis, quam scholia A, tamen temere faceremus, si iis omnem auctoritatem abiudicaremus ad emendandum Porphyrionem, sed ubi iis utimur,

1) Haec delevit Meyerus in editione.

2) Cf. Petschenigius 1873, p. 5.

3) Omnia haec exempla sumpsi ex scholiis cod. Paris. 7975 γ ad c. IV 3 usque ad epodon c. XVI, quae Kurschatius accuratissime edidit in Progr. gymn. Tilsit. a. 1884, quia hic certiore fundamento uti potui, quam si Hauthalii editionem adhibuissem (cf. Kurschat. p. 5), quanquam de scholiis ad Sermones et Epistulas idem valet. Cf. deinde quae Kurschatius in adnotationibus ad singula scholia adscripsit.

caute agendum est, ne quae sequioris aetatis sunt, quinto vel sexto saeculo praepropere tribuamus.

Iam sequi iubeo exemplum ex epodon libro desumptum, quo Acronis *Γ* quoque auxilio Porphyrionem emendari posse comprobetur.

ad ep. 2, 63. Porph.: '— — *languido autem collo: lasso. et utique voluptas domino hinc est cogitanti, quantum utilitatis ex ratione agro contulerint.*' — Acro *Γ* habet haec: '*languido: lasso. et hinc utique domino voluptas est cogitanti, quantum utilitatis agro ex aratione contulerint.*' Inde codices Porphyrionis praeter M exhibent: '*ex aratione*'. Recte Paulyus[1]) praepositionem '*ex*' falso ante '*aratione*' (M: *ratione*) positam et scribendum esse censuit: '*aratione ex agro*'; deinde ex eo quod in M extat: '*contulerit*', concludit leni mutatione '*contigerit*' restituendum esse, quae emendatio porro postulat, ut pronomen '*sibi*' addetur. Lenior autem mutatio est pro: '*contulerit*' scribere '*contulerint*', ut est apud Acronem *Γ*, cum in cod. M talia librarii menda passim extent. Itaque scholion Porphyrionis sic est legendum: '*cogitanti, quantum utilitatis aratione ex agro contulerint.*' Sic enim bonum sensum praebet et optime respondet illis Horatii verbis antecedentibus:

'*ut iuvat pastas oves*
Videre properantes domum.'

Hoc scholion sicut alia nisi eo iam tempore ex Porphyrione desumptum est, ubi huius commentarii nondum erant in archetypo quodam codice comprehensi, at certe ad codicem Porphyrioneum spectat, qui librariorum mendis nondum erat inquinatus.

§ 39. Magna tamen scholiorum *Γ* pars e Porphyrionis commentariis deprompta est, ante quam hi in unum codicem conscriberentur. Nam incuria sive inertia eius, qui hoc fecit, plurima scholia Porphyrionis deperdita sunt, quod optime intellegimus, si multitudinem scholiorum ad carmina, epodon librum, ad Sermonum librum primum contemplamur; veri simile enim non est Porphyrionem reliquos libros tam paucis illustrasse expositionibus, quam codices nobis ad Sermonum librum secundum et ad Epistularum libros praebent.[2])

1) 1877, p. 39.

2) Annotavi locos, ubi ad decem aut plures versus Porphyrionis explicatio iam non extat: (ad c. IV 9, 13—29); ad Serm. II 3, 41—53; 103—141; 5, 56-82; 6, 18—30; 36—46; 72—117; 7, 4—17; 38—58; 72-95; 104—118; 8, 26—39; 72—86; ad Ep. I 1, 64-74; 82—94; 2, 1—20; 27—41: 41-52; 3, 15—26; 4, 4—16; 6, 1—15; 39—62; 7, 1—14; 15—30; 48—59; 59—73; 73—92; 9, 1—13; 10, 16—29; 29—40; (11, 1—7); ad A. P. 154-179; 179—189; 203—214; 221—234; 234—248; 261—273; 281—291; 375-387; 404-417.

Ad serm. I 9, 22 Porphyrio haec annotat: '*et Viscum et Varium Horatius amicos habuit. de Visco infra dicetur; Varius autem* (M: *tamen*) *de doctissimis fuit et q. sq.*' Expectamus igitur annotationem Porphyrionis ad serm. I 10, 83, ubi apud Horatium est:

'*haec utinam Viscorum laudet uterque!*'

sed haec annotatio in codicibus Porphyrionis desideratur. Apud Acronem Γ autem haec leguntur: '*Visci duo fratres fuerunt optimi poetae, alii criticos dicunt. aliter: Hi fratres fuerunt. Pater eorum Vibius Viscus, quamvis et divitiis et amicitia Augusti clarus [usus] esset, in equestri tamen ordine perduravit, cum filios suos senatores fecisset.*' Hoc scholion Kiesslingius[1]) summa cum probilitatis specie Porphyrionis esse contendit, eo quod Porphyrio eos qui de personis Horatianis scripserunt bis[2]) citat, saepius eorum sententiam attulit, haec autem de Viscis expositio optime quadrat in naturam et formam earum annotationum, de quibus modo diximus.

Habemus igitur Porphyrionis scholion ex pleniore eius exemplo depromptum et ab Acrone Γ nobis servatum. Animadvertendum autem est, quod hoc quoque scholion in iis est, quae voce '*aliter*' afferuntur et cum saepius iis locis, ubi apud Acronem Γ complures expositiones eodem vel simili modo coniunguntur, unum ex iis et optimum fere Porphyrionis sit, non alienum est putare nonnulla ab Acrone Γ similibus locis servata esse, quae Porphyrionis sunt, in eius autem codicibus iam non extant. Huc fortasse spectant scholia ad Serm. II 5, 51; 6, 20; 6, 79; 6, 93; 7, 14; 8, 78; ad Ep. I 1, 93; 2, 1; 7, 6; 7, 24; 7, 66; ad A. P. 232; 233; 288; 380.

Haec habui, quae de scholiorum Pseudacronianorum auctoritate ad emendandos reficiendosque Porphyrionis commentarios exponerem.

§ 40. Restat, ut mentionem faciam illius fragmenti Porphyrionei, quod est apud Charisium grammaticum (Keil. p. 220), quod Kiesslingius commentariis in Horatii carmina tribuit neque veri simile non est illud esse Porphyrionis annotationem ad Ep. I 3, 31[3]), ubi Horatius dixit:

'— *an male sarta*
gratia nequiquam coit et rescinditur —'

Apud Charisium enim haec extant: '*Vt Porphyrio ex Verrio et Festo: in auguralibus, inquit, libris ita est: sane sarcteque . . . tiis.*'

1) l. c. p. 6.
2) ad Serm. I 3, 21; I 3, 90.
3) De person. Horat. p. 6, adnot. 6; est hic error typographicus Ep. I 2, 31 pro Ep. I 3, 31, quem Froehdius 'De G. Iulio Romano' integrum in libellum suum transtulit; cf. p. 645.

§ 41. Postquam igitur ostendimus, si priscam Porphyrionis commentariorum formam restituere volumus, primum interpolationes virorum doctorum et indoctorum esse eiciendas, deinde codicum corruptelas esse emendandas, postremo quantum potest fieri lacunas incuria atque neglegentia consarcinatoris, ut ita dicam, ortas explendas esse, hoc facile quisque nobis concedet tum demum, ubi integrum Porphyrionem refecerimus, ex vocibus a commentatore prolatis aliquid fortasse elici posse ad eius aetatem definiendam. Sed cum nihil certius sit quam hoc nunquam prorsus in integrum Porphyrionem restitutum iri, sermonis proprietates quin pro certis ducibus habeamus fieri non potest. Itaque nihil restat nisi ut nova argumenta extrinsecus, ut ita dicam, petamus, quibus nixi quo tempore Porphyrio vixerit fortasse eruere possimus.

§ 42. Ac primum quidem extremos Porphyrionis aetati terminos ponamus. Quamobrem scriptores ab ipso laudati qui proxime ad Porphyrionis tempora accedunt indagandi sunt. Sunt hi autem Q. Terentius Scaurus, cuius verba Porphyrio ad Serm. II 5, 92 exhibet et C. Suetonius Tranquillus, quem initio secundi epistularum libri commemorat. Quorum alter Gellio teste[1]) '*divi Hadriani temporibus grammaticus vel nobilissimus*' fuit, alter ab anno fere 70 usque ad annum 160 vixit. Habemus igitur tempus, ante quod Porphyrionis aetatem ponere non possumus. Iam ad alterum terminum definiendum transeamus. Extat Charisii grammatici locus, quem iam supra[2]) commemoravimus, unde apparet Porphyrionem iam ante Charisium commentarios suos composuisse. Quo autem tempore Charisius floruerit, de hac re sententiae virorum doctorum non prorsus congruunt. Osannus[3]) enim illum sub finem saeculi quarti vixisse sibi persuasit, at contra Christius[4]) eundem grammaticum priori quarti saeculi parti adscribere vult. Itaque utrum potius sequamur diiudicandum est.

§ 43. Charisius primum laudatur a Servio ad Aeneid. IX 329, quanquam de hac re non prorsus constat inter viros doctos, deinde a Rufino[5]), quorum uterque sub finem quarti saeculi scripsit. Ex quo fit, ut Charisium ante hos vixisse statuamus. Vt autem alterum terminum ponere possimus, afferenda videntur, quae Christius[6]) de Diomede Charisii fere aequali exposuit. Diomedes enim cum de

1) Cf. Gellius, Noct. Attic. 11, 15, 3.
2) Cf. huius disput. p. 186; Keil. G. L. p. 220.
3) Beiträge z. griech. u. röm. Litt.-Gesch. T. II p. 340.
4) Philolog. XVIII p. 131.
5) Cf. Keil. Gr. L. VI p. 555.
6) L. c. p. 130.

casu septimo dissereret[1]), haec prodidit: '*studente sacerdote differentia inventa est . . . σπουδάζοντος ἱερέως ἡ διαφορὰ ηὑρέθη.*'

Iam eadem extant verba in Excerptis Anonymi Bobiensis[2]), ubi haec legimus: '*studente Sacerdote differentia inventa est . . . σπουδάζοντος Σακέρδωτος ἡ διαφορὰ ηὑρέθη.*' Quae si comparamus, errasse Diomedem concedendum est, cum vocem '*sacerdote*' nomen appellativum esse arbitraretur; ex altero enim quem attulimus loco apparet '*Sacerdotem*' fuisse nomen proprium eius grammatici, ad quem tota haec de septimo casu disputatio referenda est; erat enim huius proprium, ut in exemplis saepissime nomine suo uteretur; praeterea haec sententia confirmatur verbis, quae apud Diomedem antecedunt[3]): '*ceterum ab his quidam discrepant, qui etiam septimum casum adsumunt, qui est ablativo similis, ratione autem non congruit, cuius differentiam inserere haud piguit ita.*' Itaque Diomedes post illum grammaticum, quem Marium Plotium Sacerdotem fuisse maxime probabile est, artem suam grammaticam composuit. Cum autem illum Diocletiani temporibus, id est sub finem tertii saeculi aetate floruisse veri simile sit, neque Diomedes neque Charisius ante saeculum quartum vivere potuerunt.

Iam Charisius medio fere saeculo quarto vitam degisse mihi videtur, quae sententia comprobatur optima illa Useneri[4]) coniectura, qui apud Hieronymum chron. 2375 = ann. p. Chr. 358, ubi haec extant: '*Euanthius eruditissimus grammaticorum Constantinopoli diem obit, in cuius locum ex Africa Charistus adducitur*', '*Charisius*' legi debere summa probabilitate contendit.[5])

Quibus expositis Porphyrionem inter annos fere 160 et 358 commentarios scripsisse plane intellegitur. Simul Urbae sententia, qui commentatorem fini quarti saeculi vel potius inferiori aetati tribuere vult, optime convincitur et luculentissime apparet incertissima esse illa argumenta ex sermone alicuius scriptoris desumpta ad definiendam eius aetatem, praesertim si illius opera non integra ad nostra pervenerunt tempora.

§ 44. Sed fortasse vel angustioribus terminis Porphyrionis aetatem circumscribere possumus, in quo nos valde adiuvat res, quam Urba prorsus neglexisse videtur, cum a Charisio Porphyrionem laudatum diceret. Nam si verborum apud Charisium contextum

1) Cf. Keil. Gr. L. I p. 318.
2) Cf. ibidem p. 534.
3) Cf. ibidem p. 317 v. 23.
4) Cf. Mus. Rhen. 23, p. 492.
5) Schanz., hist. litt. Rom., Charisium c. a. 360 vixisse adnotat.

atque continuationem accuratius contemplatus eris, facile invenies illud Porphyrioneum nos non debere Charisio, sed C. Iulio Romano, cuius ex libro ἀφορμῶν ille hanc institutionis suae partem deprompsit. Ex quo fit, ut Porphyrionis terminum aetatis inferiorem aliquantum removere possimus.

Hoc loco reiciendum est, quod Schwabius[1]) statuit, qui quanquam concedit totam hanc Charisii partem Iulii Romani esse, tamen sola illa verba, quibus Porphyrio commemoratur, ab ipso Charisio Romani verbis inserta esse contendit. Quod ut faceret, iis commotus esse videtur, quae apud Urbam de Porphyrione quarto saeculo adscribendo legit.[2]) Sed ne leviter in hac re, quae summi momenti est, agere videamur, Charisione an Romano illud fragmentum Porphyrioneum tribuendum sit, diligentius disceptemus.

§ 45. Ex iis quae Charisius operi suo praeposuit: '*Amore Latini sermonis obligare te cupiens, fili karissime, artem grammaticam sollertia doctissimorum virorum politam et a me digestam in libris quinque dono tibi misi*' apparet illum cum ad institutionem grammaticam scribendam se conferret, in animo habuisse ex aliorum grammaticorum scriptis ea quae sibi viderentur excerpere et in unum quasi corpus componere. Inprimis usus est auctoribus C. Iulio Romano, Palaemone, Cominiano[3]), quorum ex libris magnas partes sine ulla immutatione in suum librum transtulit. Quod vel inde intellegitur, quod nonnullos locos, ubi auctor ad alium sui operis partem provocat[4]), prorsus integros recepit. Quadecausa plerumque difficile non est ad statuendum quem quoque loco auctorem secutus sit Charisius, praesertim cum saepenumero nomen eius, cui hanc partem debet, afferat. Itaque sine ullo labore complura Charisii capita inveniemus, quae certe ex Romani libris ille compilator sumpsit, velut '*de analogia*' (l. c. p. 116—147), '*de adverbio*' (p. 190—224), '*de coniunctione*' (p. 229—230), '*de praepositione*' (p. 236—238), '*de interiectione*' (p. 239—242). Accedunt nonnullae minores particulae, quae Romani nomen prae se ferunt. Quae si contemplamur, fugere nos non potest omnia

1) Teuffel. hist. litt. Rom.[5] p. 960; cf. etiam Schanz. hist. litt. Rom., qui eandem sententiam professus est.

2) Cf. l. c. p. 612: '*Das Zeitalter des Sex. Pompeius Festus ist unbekannt; indessen citiert er Lucan und Martial und wird selbst von Charisius (also Iulius Romanus) Gr. L. I p. 220, 28 (Porphyrio ex Verrio et Festo) — — — angeführt!!*'

3) Cf. Schottmüller. De C. Plini Secundi grammaticis I.

4) Cf. Keil. Gr. L. I p. 209, 21.

eundem praebere colorem, ut ita dicam, nam solus Romanus '*pauca praefatus magnam copiam exemplorum ex omni genere scriptorum collectam et ordine litterarum dispositam congessit. Soli illi antiquorum scriptorum frustula dilacerata quidem, sed tamen pretiosissima debemus; nullum enim nisi tritissimum scriptorem a Charisio laudatum invenies, eis exceptis capitibus quae a Romano traduxit grammaticus.*' Si nomina scriptorum, quos paene centum laudat Romanus, perlustramus, eos praecipue invenimus, quos diligentissime cognoverant ceterisque antetulerant M. Cornelius Fronto et qui eum sequebantur, velut Plautum, Ennium, Catonem, Gracchum, Lucretium, Laberium, Sallustium, alios. Cum autem in iis Charisii partibus, quae ad Cominianum et Palaemonem ut auctores spectant, paucos tantum eosque ut iam diximus tritissimos atque vulgares scriptores, in quibus praeter ceteros Vergilium, laudatos reperiamus, facere non possumus, quin ea quae ex Romano deprompta sunt '*doctrinam paulo antiquiorem redolere et vestigia eruditionis uberioris prae se ferre*' concedamus, quo efficitur, ut Romanum non paulo ante Charisium vixisse credamus.

§ 46. Id inprimis proprium est eorum capitum, quae Romano debet Charisius, quod semper pro nomine '*Vergilio*' cognomen illius poetae clarissimi posuit Romanus, semel tantum '*Vergilium*' laudat, quod Christius[1]) ita explicat, ut hic Romanum cum fontem sequeretur qui Vergilii nomen praebebat, praeter consuetudinem suam illud nomen in '*Maronem*' neglegentia quadam non commutasse censeat. Extat autem hic locus in eo capite, quo agitur de analogia[2]); ea autem in parte quam nunc spectamus, '*de adverbio*', non nisi '*Maronem*' laudatum invenies. Accedit quod nihil in hac tractatione ab ipso Charisio interpolando additum videtur.[3]) Deinde ex eo loco, quem supra commemoravimus (Gr. L. I p. 209, 21) elucet totam hanc partem integram atque inmutatam a Charisio receptam et operi insertam esse. Porro neque in ulla hoc loco discrepantia aut verborum aut sensus offendimus neque ordo rerum

1) Philol. 18, p. 122.

2) Cf. Keil. Gr. L. I p. 146, 5.

3) Quod adtinet ad Schwabii sententiam (Teuffel. hist. litt. Rom.[5] p. 1024) de Marcii Salutaris vitae temporibus, hic potius cum Kiesslingio faciam; nam ille grammaticus a Romano bis laudatur, semel tantum '*vir perfectissimus*' appellatur. Equidem veri simile puto iam ante Constantini aetatem viros claros ita nominatos esse, quanquam perfectissimatus titulus eo quo dixi tempore institutus esse videtur. '*Itaque, vir perfectissimus sine dubio a Romano profectus est*'; cf. Froehde., de C. Iulio Romano 1892, p. 648.

alphabeticus perturbatus est. Recte denique Froehdius[1]) commemoravit totum hunc articulum a Romano ex Porphyrione esse excerptum, cum etiam verba Porphyrionis nomen antecedentia cum Festo congruant. Itaque non habemus cur hic interpolationem a Charisio factam sumamus, qua in re si cum Schwabio facere vellemus, Charisium acri animo et attento hanc partem intuitum esse putandum esset, cui rei locus ille saepius laudatus (p. 209, 21) obstat. Satis igitur demonstrasse mihi videor Porphyrionem iam ab Romano commemoratum esse.

§ 47. Quae cum ita sint, proximum est, ut de Romani aetate quid statuendum sit, quaeramus. Cuius grammatici cum nemo praeter Charisium mentionem fecerit, ad ea remittimur quae apud hunc legimus. Constat igitur Iulium Romanum ante Charisium neque proxime sub huius aetatem, ut supra ostendimus[2]), vixisse. Itaque errare haud videmur, si Romanum ante saeculum quartum aetate floruisse contendimus. Porro videamus, quinam scriptores a Romano citati proxime ad huius tempora accedant. Quanquam de compluribus quo tempore scripserint nihil certi traditum est, tamen extant, qui quibus fere annis vitam degerint, dicere possimus. Laudantur autem a Romano praeter multos alios[3]) C. Suetonius Tranquillus[4]) et M. Cornelius Fronto[5]), quorum alter ab anno fere 75 usque ad annum 160 p. Chr. n., alter ab anno circiter 100 usque ad annum 175 vixit. Deinde nominantur Apuleius Platonicus[6]) et Gellius[7]), quos sub annum fere 130 natos esse viri docti demonstraverunt. Habemus igitur superiorem terminum annum fere, quo M. Aurelius imperator vita defunctus est, i. e. 180. Ex quibus perspicuum est Iulium Romanum tertio p. Chr. saeculo adscribendum esse.

§ 48. Iam veniamus ad definiendam ipsius Porphyrionis aetatem. Hic Horatii commentator bis laudat eos, ut supra commemoravimus, qui de personis Horatianis scripserunt, et Kiesslingius[8]) complures Porphyrionis locos ad eosdem referendos esse auctores docuit.

1) l. c. p. 645.
2) Cf. huius disputat. p. 190.
3) Velut Marcius Salutaris, quem quod Froehdius l. c. contendit Romani aequalem fuisse, ego miror, cum ipse dixisset Salutarem a Romano citari, ex quo ni fallor Salutarem ante Romanum vixisse sequitur.
4) Cf. Keil. Gr. L. I p. 194, 200, 236
5) Cf. ibidem p. 127, 138, 197, 206, 223.
6) Cf. ibidem p. 240.
7) Cf. ibidem p. 139.
8) l. c. p. 10—14.

Idem veri simile fecit Porphyrionem his locis non ad ipsos scriptores spectare, sed ad alium qui iam eorum libris usus sit, quem Helenium Acronem fuisse suo iure contendit. Hic autem Helenius Acro, quem Porphyrio affert ad Serm. I 8, 25[1]), ante hunc vixit, aetate autem inferior videtur esse Gellio, a quo nunquam commemoratur. Itaque veri simile est eum sub finem secundi vel initio tertii saeculi vitam degisse. Inde sequitur Porphyrionem priori tertii saeculi parti esse tribuendum, Iulium autem Romanum medio fere saeculo aetate floruisse.[2])

§ 49. Atque ut summam faciamus huius disputationis, quae reperimus, paucis repetam:

1. ea ratione qua usus est Urba, Porphyrionis aetas determinari non potest.
2. Porphyrio a G. Iulio Romano citatur ideoque ante hunc, id est initio tertii saeculi vixit.
3. scholia cod. Paris 7900 A saepissime ad pristinam Porphyrionis commentariorum formam spectant, quadecausa in emendandis his inprimis adhibenda sunt.
4. neque scholia cod. Paris 7975 γ nullius momenti sunt ad hanc emendationem.

APPENDIX.

I.

§ 50. Scripsit M. Gitlbauer in excursionibus philologicis, quas anno 1885 edidit, p. 125 sqq. de Porphyrionis exemplo Horatiano, quod ab eis, quae nunc nobis praesto sunt, diversum fuisse contendit, id quod ei, quanquam perpaucis tantum locis cognoscitur[3]), aliquo modo concedere possumus. Sed illud primum exemplum, quod, ut sententiam suam comprobaret, elegit, minime respondet expectationi. Agit autem Gitlbauer de VI primi libri carmine et

1) '*Memini me legere apud Helenium Acronem et q. sq.*'

2) Parum igitur diligenter Froehdius (l. c. p. 672) facit contendens '*Romanum librum ἀφορμῶν sub finem alterius vel initio tertii saeculi composuisse.*' Quomodo enim dicere potuerit: '*nihil docent grammatici quorum aetas incerta est, ut Helenius Acro, Porphyrio, Arruntius Celsus, Statilius Maximus*', intellegi prorsus non potest.

3) Cf. ad c. IV 15 in.

praecipue de versibus eius 13—16, quibus offensi sunt Peerlkampius, Gruppius, Meinekius, Lehrsius, Hauptius, quadecausa eos delendos existimaverunt. Gitlbauer, quanquam non minus quám illi hic offenditur, tamen eos versus non sublatos esse vult, sed auxilio aliunde petito rem optime expediri posse sperat. Porphyrionis enim commentario adhibito sibi persuasit versus illos non esse eiciendos, sed potius primo loco totius carminis ponendos, ut hic ordo versuum nascatur:

v. 13—16.
v. 1—4.
v. 5—8.
v. 9—12.
v. 17—20.

Sed ex eo commentario, quem nos ante oculos habemus, hoc effici non poterat, quadecausa id, quod multis locis evenit, ut ordo scholiorum perturbaretur, hic quoque factum arbitratus, ut Porphyrionis auxilio sententiam suam de Horatii carmine probaret, antea illa scholia ad Horatii c. I 6 ita transposuit, ut ad id, quod intendebat, idonea fierent. Videamus autem, quo iure illam commutationem instituerit.

§ 51. Qui commentarium ad illud carmen saepius commemoratum accurate considerat, ne uno quidem scholio facile ita offenditur, ut hic nonnullas particulas loco suo motas esse censeat. Gitlbauer autem causam habuit, cur id sumeret, eam, ut id quod sibi proposuerat efficeret. Quae igitur sunt eius mutationes? — Primum quidem scholion quod extat ad versum 13 posuit post verba, quae Porphyrio toti huius carminis explicationi praeposuit: '*Agrippam — contubernalis*', ea de causa, ut dicit, quia hoc scholion paene congruit cum verbis iam commemoratis, re autem vera, quia hoc loco optime respondet illi carminis formae, quam sibi mente finxerat.[1]) Nam hoc minime veri est simile Porphyrionem eandem explicationem bis, aliam post aliam, eisdem fere verbis posuisse, qui ordo scholiorum tolerari non potest, nisi unum eorum interpolatum et ob id eiciendum censemus, quod ut faciamus, satis idonea causa non extat. Contra scholion illud ad versum '*Quis Martem tunica etc.*' quo loco nunc legitur, nihil habet offensionis. Deinde ut sententiam suam nobis commendet, hoc affert, extrema verba illius scholii ad Horatii v. 13 '*qui sit Homerico spiritu*' certe referenda esse ad Horatii verba: '*Maeonii carminis aliti*', quae a Porphyrione similiter

1) Cf. Gitlbauer, l. c. p. 128, 18.

explicantur: '*ut si diceret Homericis auspiciis et q. sq.*' Sed ab Horatio nomen Homeri nusquam commemoratur, quadecausa Porphyrio illud '*qui sit Homerico spiritu*' scribere non poterat, quia non habuisset ex quo penderet ideoque omnino intellegi non potuisset, nisi antea verba '*Maeonii carminis aliti*' explicaverat. Cum autem minime ex Porphyrionis consuetudine sit, ea pro explicatis habere, quae infra demum explicaturus est, aut fieri non potest, ut scholion ad v. 13 sequatur scholion ad v. 2 aut verba '*qui sit Homerico spiritu*' Porphyrionis esse non possunt, quod ut credamus nulla re commovemur.

§ 52. Sed si hae causae non tantam vim haberent, quantam certe habent, ut iis adducti Gitlbaueri sententiam reiciamus, quomodo explicari potest ille ordo scholiorum, quem codices nobis praebent? — Si revera scholia in Porphyrionis exemplo Horatiano ita collocata fuissent, ut Gitlbauer credit, fieri non potuit, quin eodem ordine in archetypo Porphyrioneo conscriberentur. Itaque is qui commentarios ex archetypo descripsit, alio fortasse Horatii codice, qui eum quem nunc habemus ordinem versuum praebebat, adhibito scholia transponere debebat, quod, praeterquam quod sui simile non habet, vix credendum est, quia librarius ille non facile operam suscepit adhibendi codicem Horatianum; nam si hoc fecisset, lemmata, quae auxilio talis codicis adiutus facile corrigere poterat, non tam inconsiderate descripsisset et saepius perverse emendasset. Denique talis ratio prorsus aliena est ab ea neglegentia et levitate, qua ille usus est. Concedendum est in codice M multa scholia falso loco esse posita, sed hoc minime ex consilio librarii factum est. Nulla igitur est causa, cur Porphyrionis commentarium in Horati c. I 6 corruptum esse sumamus. Accedit quod omnino non opus est illa transpositione versuum Horatianorum, sed hoc non nostrum, sed eorum est, qui quaestiones Horatianas tractant.

II.

§ 53. Paucas denique addam emendationes ad Porphyrionis scholia.

ad c. I 16 in.: '*O matre pulcra filia pulcrior] hac ode παλινῳδίαν repromittit ei, in quam probrosum carmen scripserat, Tyndaridae cuidam amicae suae, id est recantaturum ea quae dixerat, dicitque se iracundia motum haec scripsisse; adfirmat autem et q. sq.*'

Verba '*id est recantaturum ea quae dixerat*' falso loco posita esse videntur; sunt enim interpretatio Graecae vocis '*παλινῳδίαν*'.

Itaque ea primum in margine adscripta fuisse, neglegentia autem deinde post '*amicae suae*' inserta esse puto; Porphyrionis esse non videntur et propterea delenda ea existimem. Cf. Comm. Cruq.: '*Cantat palinodiam, id est cantando revocat, quae scripserat iratus in amicam Gratidiam.*'

ad c. III 14, 2: '*morte venalem petiisse laurum] quam etiam morte paratus est emere*'; scribendum est: '*morte venalem petiisse laurum] i. e. laurum quam etiam morte paratus est emere.*'

ad c. III 16, 21: '*quanto quisque sibi plura negaverit, a dis plura feret] bella relatio sensus est, qua significat se non inter avaros numerari velle quia nec ipse est avarus.*'

Paulyus[1]) verba '*quae—avarus*' post scholion ad v. 23 ponenda aut totum scholion ad v. 21 hic inserendum putat ea re commotus, quod verba '*qua — significat*' explicationem continent illius Horatiani:

'*— nil cupientium*
Nudus castra peto.'

Lenior mihi videtur haec emendatio: 21) '*quanto quisque sibi plura negaverit, a dis plura feret ⟨et rel.⟩]*[2]) *bella relatio et q. sq.*', quae comprobatur Porphyrionis verbis, quae sunt in proximo scholio '*perseveravit in translatione 'transfugam' dicendo, cum supra 'castra peto' dixisset.*'

ad c. IV 1, 6: '*— — nam et hoc translative dicitur a pecoribus.*' Puto hic vocem '*translative*' interpretationem esse eius quod Porphyrio scripsit: '*μεταφορικῶς*', quod ipsa interpretatione expulsum est. Saepe enim Graeco illo vocabulo utitur Porphyrio, velut ad c. I 22, 4; ad c. I 11, 8; ad c. II 11, 21; ad c. III 16, 18; ad S. I 4, 79; ad S. II 1, 20; duobus tantum locis praeter eum de quo agitur, extat '*translative*' ad c. I 14, 7 et ad c. I 22, 8; in eodem autem carmine legitur ad v. 4: '*μεταφορικῶς.*' Habet denique Acro A, cuius scholion ex Porphyrione desumptum est: '*Et est metaphora a pecoribus.*'

1) 1876, p. 18.

2) Cf. ad S. I 4, 19: '*at tu conclusas hircinis follibus auras et reliqua] per haec significat — —.*'

SVMMARIVM.

I. § 1. Prooemium. §§ 2—4. Quid viri docti de Porphyrionis aetate existimaverint, exponitur. §§ 5—9. C. F. Urbae sententia accuratius examinatur et § 5 agitur de eius ratione in universum, §§ 6—7 de vocabulis Graecis, § 8 de vocabulis aut corruptis aut sermoni vulgari tribuendis, § 9 de iis, quae apud scriptores s. IV et V primum reperiuntur. § 10. Exemplis ab Urba allatis demonstrari non potest Porphyrionem s. IV vixisse; nam commentarios non integros ad nos pervenisse iamdudum viri docti cognoverunt, quorum sententiae afferuntur. § 11. Quomodo ea quam nunc praebent commentarii forma orta sit, exponitur. §§ 12—15. Agitur de tribus vitiorum generibus, quae ante s. IX in commentarios irrepserunt; § 16 de scholiis interpolatis, § 17 de inscriptionibus non Porphyrioneis, § 18 de incerto iudicio in nonnullis scholiis interpolatis disseritur et aliunde auxilium petendum esse docetur.

II. § 19. De scholiorum Horatianorum duabus recensionibus. § 20. De origine et natura scholiorum cod. Parisin. 7900 (A) s. IX. §§ 21—24. Quae intercedat ratio inter Porphyrionis et Acronis A scholia explicatur et exemplis demonstratur. § 25. Sequitur enumeratio locorum, quibus Acro A Porphyrionis commentariis videtur usus esse. § 26. Quomodo Acronis A auxilio Porphyrionis commentarii emendari possint, exponitur et §§ 27—35 exemplis allatis comprobatur. § 36. Agitur de natura scholiorum, quae continet cod. Parisin. 7975 (Γ). § 37. Demonstratur, quo modo scholia Acronis Γ se applicent ad Porphyrionis commentarios, quales nunc extant. § 38. Quae sit illis scholiis ad emendandum Porphyrionem auctoritas, ostenditur. § 39. De deperditis Porphyrionis scholiis, quae in scholiis Pseudacronianis servata videntur esse. § 40. De fragmento Porphyrioneo, quod est in Charisii arte grammatica. § 41. Cum Porphyrionis commentarii in pristinam formam restitui non possint, argumenta ex sermone scriptoris desumpta omittenda sunt aliaque ratione illius aetas definienda est.

III. § 42. Porphyrionis aetati termini extremi ponuntur. § 43. Charisium medio saeculo IV vixisse demonstratur. § 44. Porphyrio non a Charisio, sed a Iulio Romano citatur, quod §§ 45—46 comprobatur. § 47. Iulium Romanum saeculo tertio adscribendum esse docetur. § 48. Porphyrionem priore tertii saeculi parte floruisse ostenditur. § 49. Comprehensio.

Appendix. § 50. Refellitur sententia M. Gitlbaueri, quam professus est in 'Philolog. Streifzüge' p. 125 sq. §§ 51 et 52. De eadem re agitur. § 53. Adduntur aliquot emendationes ad Porphyrionis scholia.

HERMENEVMATA VATICANA

EMENDAVIT ILLVSTRAVIT

IMMANVEL DAVID

LESBIVS

Hermeneumata Vaticana, quae corrigere temptavi, numero glossariorum illorum adscribuntur, quae extremis antiquitatis saeculis ad graecam aut latinam linguam discendam in usu erant. Codex Vaticanus 6925 saeculi decimi, qui haec hermeneumata in foliis 67—78 exhibet, miscellaneus est. Quo tempore, quo loco, quo ab homine composita sint, non constat nobis, cum illud 'Chiffletii' quod in margine folii 67 legitur, nil indicet nisi nomen eius, cuius codex fuerat. Ex apographo Christiani Huelsen haec hermeneumata G. Goetzius in Corp. gloss. lat. vol. III p. 421—438 edidit, quam editionem ego diligenter secutus sum.

Talia medii aevi hermeneumata vel interpretamenta magni momenti esse nemo est quin videat. Nonnulla eorum colloquia (h. e. *βιβλία καθημερινῆς ὁμιλίας*) continent, in quibus de schola, de ambulatione, de balneis, de spectaculis, aliis rebus agitur. Ex his colloquiis mores illius aetatis clarius certiusque interdum cognosci possunt quam ex magnis tumidisque libris (cf. colloquia varia Corp. g. l. III p. 637 sqq., Krumbacherus in Comm. in hon. Christii ed. p. 307 sqq., Goetzius Ind. schol. Ien. aest. 1892.). Sed inprimis is maximum ex iis fructum percipiet, qui in studiis ad graecam atque latinam linguam pertinentibus versatur. Quoniam haec glossaria graece et latine loquendi causa conscripta sunt, formam et vivam imaginem utriusque linguae nobis praebere possunt, praesertim illius temporis, quod quasi caligine tectum nostram investigationem adhuc effugit. Attamen negari nequit hanc provinciam neglectam adhuc iacuisse eaque de causa non magno hucusque usui fuisse. His ipsis demum annis Hauptii, Loewii, Krumbacheri, Goetzii aliorum doctorum virorum laboribus his quoque libris debitus honos redditus est, quorum studium paullatim etiam alios inflammare coepit.

Hermeneumata Vaticana similitudinem quandam cum aliis

eius modi libris supra iam commemoratis habent. Haec sunt hermeneumata Monacensia et Montepessulana (Corp. gl. lat. III p. 119 sqq., 283 sqq.), quorum praefationem a praefatione Vaticanorum non multum differre ex comparatione quae infra instituetur facile intellegemus.

Vaticana.	Montepessulana.	Monacensia.
Ἐπειδὴ ὁρῶ σέ τε καὶ ἑτέρους πολλοὺς ἐπιθυμοῦντας, σὲ μάλιστα, βέλτιστε τῶν ἀνδρῶν, ἐμοὶ δέσποτα, ἑλληνιστὶ μαθεῖν καὶ θέλειν μετὰ τῶν Γραικῶν παίδων διαλέγεσθαι, μήτ' εὐχερῶς (εἶναι) δύνασθαι, δηλαδὴ δυσχερείας ἕνεκα καὶ πολυπληθίας ῥημάτων, διὰ τοῦτο ἐγὼ τὴν σὴν φιλῶν ἀγάπην καὶ γνησίαν διάθεσιν, οὐκ ἐφεισάμην τῷ ἐμῷ καμάτῳ τοῦ μὴ σπουδαίως αὐτὸ τοῦτο ποιεῖν, ὅπως ἂν ἐν τρισὶν ἢ καὶ τέσσαρσι βιβλίοις τῶν ἐμῶν ἑρμηνειῶν ἐπιμελέστερον συντάξω . . .	Ἐπειδὴ ὁρῶ πολλοὺς ἐπιθυμοῦντας ἑλληνιστὶ διαλέγεσθαι καὶ ῥωμαϊστί, μήτε εὐχερῶς δύνασθαι διὰ τὴν δυσχέρειαν καὶ πολυπληθίαν τῶν ῥημάτων, οὐκ ἐφεισάμην τοῦτο ποιῆσαι, ἵνα ἐν τρισὶν βιβλίοις ἑρμηνευτικοῖς πάντα τὰ ῥήματα συγγράψωμαι . . .	Epidi oro pollus epithimuntas romaisti dialegeste kai ellinisti mite eucheros dinaste dia tis discherian kai poliplithian rimaton, ti emi cacopathia kai filoponia uc efisamin tu mi pise, opos en trisin bibliis ermineumaticis panta ta rimata singrapse...

His praefationibus comparatis certe mihi assentieris, imitationem esse perspicuam; in reliquis tamen partibus non idem valet; neque enim numerus aut divisio capitum consentit, nec vocabula ipsa talia sunt, ut dici possit hermeneumata Vaticana ab aliis similibus glossariis transcripta esse. Dum enim Hermeneumata Monacensia, ut uno utar exemplo, 52 capitula, Montepessulana autem 44 continent, Vaticana 14 capitula tantum praebent, quorum novem tituli cum titulis reliquorum consentiunt. De homine, de membris hominis, de potionibus, de carnibus, de divitiis, de aureis, argenteis e. c. in hoc glossario nulla mentio fit, contra in aliis hermeneumatis hae quaestiones accuratius tractantur. In multis capitulis voces inveniuntur, quae cum titulo capituli nullo modo congruunt; item saepius inter substantiva verba occurrunt. Sed maxime digna memoria sunt vocabula illa, quae aut aliter in reliquis hermeneumatis explicantur aut omnino desunt. Exempli causa **προβατάγριον** in ceteris hermeneumatis per '*obifer*' aut '*ovifer*' explicatur, in hoc tamen glossario interpres voce rariore '*musimo*' usus est, quae

apud Plinium occurrit; item '*alica*' in reliquis hermeneumatis per *χόνδρος*, in his tamen per *ἄλιξ* explicatur, quod apud Hesychium invenias; verbum '*balare*' in aliis glossariis per *βληχᾶσθαι*, in hoc per *βαμβαίνειν* auctor reddidit; vox *ἀφύη* in aliis omnibus glossariis per '*lac marinum*', in hoc per '*mel marinum*' explicatur (conf. 'Arch. der lat. Lex.' VIII 394); *αἴγαγρος* in aliis glossariis per *caprifer*, in hoc opusculo per *ibex* vertitur, quod Plinius et Isidorus exhibent, et multa alia. Denique vocabula sunt, quae, ut supra dixi, in aliis hermeneumatis omnino desunt, apud veteres tamen scriptores quamquam rarissime occurrunt. Vox *ῥοδανός*, quae apud Homerum legitur, in hoc quoque glossario cum interpretatione Hesychii '*εὐδιάσειστος*' coniuncta invenitur. Vocabulum *apapores*, quod in his hermeneumatis occurrit, apud Isidorum tantum in etymologiis inveniri potest, vocem *antifer* (?) = *ἕσπερος*, quam hoc opusculum exhibet, unus tantum scriptor, Fulgentius, tradit. Similia sunt: *ἔναυλοι*, *ὄρπηκες*, *κυπρίζει*, *πρόδρομα*, *βῶκα* (omnia extant apud Hesychium), *laurices*, quod apud Plinium occurrit, *τρίκοκκοι*, *centenum*, *scandula*, *φονοκτονέω*, multa alia. Quonam igitur modo receptio horum vocabulorum explicanda sit? Nonnulla eorum ex Hesychio videntur fluxisse, sed quid de ceteris dicendum sit? Ex aliisne hodie nondum servatis glossariis, an recta via ex ipsis scriptoribus has voces haustas esse dicemus? Huic quaestioni accurate respondere non possum. Ex his tamen omnibus facile perspicitur differentiam huius libelli et ceterorum hermeneumatum tantam esse, ut proprium locum merito obtinere dicamus.

Videamus nunc, quid de eis enucleari possit. Atque tempus, locum, scriptorem eorum aperire difficile esse supra dixi; sed tamen ex eorum comparatione atque pervestigatione haec certe concludere nobis licet. Primum auctorem glossarii graecum hominem et sane Christianum fuisse existimo; illud ex vocabulis ipsis intellegitur, quae non solum e vetusta atque poetica, sed etiam e recentiore, ecclesiastica, denique ex ipsa vulgari lingua sumpta sint, quod vir Romanus aut peregrinus non facile fecisset. Auctorem autem Christianum fuisse ex descriptione trinitatis proprietatum (conf. § 2) atque primi hominis creationis (conf. finem) coarguitur. Porro conicio haec hermeneumata illustris viri Romani gratia graecum sermonem discere cupientis a servo aut magistello conscripta esse (conf. p. 206, 11 *βέλτιστε ἀνδρῶν*, *ἐμοὶ δέσποτα*, et 208, 1 sqq. *σοὶ παρέχων τὰς ἀφορμὰς τοῦ μαθεῖν τὰ χρήσιμα*, *ὦ φιλοπονέστατε μαθητά*). Denique suspicor glossarium non in Italia, sed inter Graecos homines conscriptum esse (vid. p. 206, 15 ubi ille

illustris Romanus cum Graecorum liberis loquendi cupiditatem habere dicitur): quamquam de loco dubitari posse concedo.

De materia huius libelli haec moneo. Lingua antiquiorum scriptorum graecorum pro fundamento est. Sed praeter hanc alia quoque vocabula passim occurrunt, quae vetustioris ac poetici aut recentioris et vulgaris sermonis sint. Nonnullae voces in glossariis rarissime inveniuntur ac ne formae quidem omnino novae desunt (*ῥοδανός, ῥοῖζος, ἄραβος, χθών, πεπυκασμένος, ἀνακρεμνάδες, παντοδέσποτον, βραδυπυγή, γαλέαγρος* e. c.). Quibus si adieceris formas *μαρυκάζω, μαρυκασμός, φορῆες* et similes, maximumque numerum mutilorum vocabulorum, varietatem atque confusionem libelli facile perspexeris. Talis confusio in aliis hermeneumatis non observatur.

Difficultas, quam latina vocabula in hoc opusculo praebent, minor est quam in graecis vocabulis, quamquam hic quoque voces rarae aut novae aut vulgares non omnino desunt. Tales formas, quas nisi corruptae sunt lexicographi neglegere non poterunt, inveni hasce: *inedisseribilis, indefinibilis, incircumscribtibilis, adstantiae, deluculentiae, vesperus hospitalis, antifer, gatto ferus, sicinia, apapores, carbatium, plumbiolum, bardia, britia, malemorium, pelagizantes, mersurae, tricali, anguena, medioterrena.* Ex his vocabulis nonnulla graecam rationem secuta esse nemo est quin videat; quo tamen modo alia explicanda sint, quae in nullo lexico inveniuntur, non certe dicam. Graeca denique vocabula latinam rationem secuta quod perpauca sunt (*κούκουβλος* = cuculus, *μάρμωρ* = marmor, *ὀλόλογος* = ululugus) alterum argumentum esse possit, fundamentum huius glossarii graecam linguam fuisse.

Nunc vero tempus est formas recentioris graecitatis, quas glossarium exhibet, componere, quarum cum magna copia sit earumque exquisitio propter hodiernam linguam graecam maximi momenti esse videatur, rem hoc loco accuratius tractare liceat.

Principalem differentiam pronuntiationis inter vetustiorem recentioremque graecam sermonem in eo esse constat, quod recentiores graeci diphthongos ut monophthongos pronuntiaverint quantitatemque literarum *η ω* omnino perdiderint. Haec mutatio, quae saeculo tertio ante Christum fieri coepit (conf. Blass 'Die Aussprache des Griechischen' p. 58), secundo autem saeculo p. Chr. perfecta est, linguam graecam vel maxime confudit. Novae formae praesentis in verbis, confusio generis et declinationis in nominibus, variae novaeque formae atque in summa omnes mutationes, quibus graeca lingua hodie insignis est, huic causae tribuendae sunt.

(Conf. Hatzidakis 'Einleitung in die neugriech. Gramm.' p. 305, 'Kuhns Zeitschr.' XXXI p. 103.) Haec transformatio linguae inter secundum undecimumque fere p. Chr. saeculum evenit (Hatzidakis 'Einleit.' p. 32). Exinde hermeneumata Vaticana, quae inter eadem saecula composita sint, exempla huius confusionis exhibere probabile est; quod verum esse ex eis quae dicam intellegetur.

1) Nomina tertiae declinationis cum terminatione *α* (serius *αν*) in accusativo propter similitudinem huius terminationis cum prima declinatione etiam nominativum atque totum singularem numerum secundum primam declinationem formaverunt. Sic etiam nunc dicitur: *ἡ γυναῖκα, ἡ ἐλπίδα, ἡ ἑβδομάδα*; in numero tamen plurali eadem vocabula terminationem suam conservaverunt (*γυναῖκες, ἐλπίδες, ἑβδομάδες*); neque hoc solum, sed etiam nomina primae declinationis in numero plurali similiter deflectuntur (*τιμές, χαρές, ὧρες*) — Conf. Hatzidakis 'Einl.' p. 379 —. Attamen in hoc glossario nomina tertiae declinationis cum primae declinationis plurali numero occurrunt haec: *ἀκτῖναι, πλειάδαι, ὑάδαι, σκιάδαι, φυκίδαι, καληφίδαι, σειρῆναι, φάραγγαι, χάρακαι.* Similes formas apud scriptores medii aevi saepius invenias, sed non vulgares me iudice sunt. Vulgus enim, ut superiore tempore ita hoc non *ἀκτῖναι, ἑβδομάδαι*, sed *ἀκτῖνες, ἑβδομάδες* dicit. Itaque has formas ab hominibus minime doctis, grammaticam tamen sequi cupientibus, creatas esse puto.

2) Nomina quae exeunt in *ιον*, saepissime apud scriptores mediae aetatis atque in vulgari sermone terminationem *ιν* habent; exempli causa *φεγγάριν, ποτήριν·* quo modo haec forma explicanda sit? De hac difficili quaestione multi docti viri docte scripserunt, sed nondum verum excogitatum est (conf. Psichari 'Essais de phonétique néogrecque' p. 32, Foy 'Lautsystem' p. 126, Hatzidakis in 'Kuhns Zeitschr.' XXXI 109 et 'Einleit.' p. 315, Ritschelius 'de declin. quadam lat. record.' p. 3 = Op. IV p. 446). Sententia Ritschelii, qui latinismum in ea terminatione invenit, verisimilior videtur. Huius formae in hoc opusculo exempla haec sunt: *αἰγοστάσιν, πολυπόδιν, ἀκάτιν, κεγχρίν, κόριν,* porro *ἀνήθιν, σινάπιν, ἐντύβιν, ἀλλίκιν.*

206, 15 *μητατων αρτισων*] quid in corrupto vocabulo lateat, certe dici non potest. Scripsi '*μετὰ τῶν Γραικῶν*', quae scriptura cum latina interpretatione *graecorum* congruat.

206, 29 *οὐκ ἐφεισάμην τῷ ἐμῷ καμάτῳ*] confer Hermeneumata Monacensia: *τῇ ἐμῇ κακοπαθείᾳ ... οὐκ ἐφεισάμην*. De inusitata con-

structione verbi *φείδομαι* cum dativo vide Krumbacherum (Comment. in honor. Christii p. 352).

206, 33 *ποιειν* [*οχι*] *facere*] constructionem verborum coniunctivum *facerem* hoc loco postulare quis non videt? quod tamen non restitui, quia aliis quoque locis similem constructionem invenias (conf. C. Gloss. lat. III p. 228—119). De simili re Krumbacherus in commentario l. s. s. tractavit. Quid autem '*οχι*' hoc loco valeat vel quid lateat non video. In initio Herm. Monac. (C. G. L. III 119), quod in praefatione cum initio Hermeneumaticum Vatic. comparavi, hanc constructionem habet locus: *οὐκ ἐφεισάμην τοῦ μὴ ποιῆσαι non peperci ut non facerem:* fortasse igitur ex illo *non οχι* explicandum est.

206, 42 *φερεπτειν*] hoc mea sententia nihil aliud est quam *φέρ' εἰπεῖν*, ab eoque genetivi proximi *λόγων ἐπῶν* e. c. dependent, quos usque ad *βουλομένοις* appositionem praecedentis genetivi *ἑρμηνειῶν* esse puto. Latina versio *verbotenus* non bene respondet, de cuius adverbii diversa significatione conf. Woelfflini Arch. I 421.

206, 51 *προτάσεων*] latina interpretatio *substantiarum* indicat, graece quoque *ὑποστάσεων* scriptum fuisse.

207, 4 *ἐνπιπτόντων*] vocabulum pro substantivo positum esse similemque significationem cum sequente *πτώσεων* habere latina versio *incurrentium ve*⟨*l*⟩ *casuum* docet. Scribendum igitur *ἐνπιπτόντων ἢ πτώσεων*.

207, 10 *ητιδανοινομαι vel quippiam*] corruptum vocabulum quo modo emendari possit non certe dicam. Suspicor hoc loco aut *ἤ τι τούτοις ὅμοιον* aut *ἢ τικοτοῦν* latere. Infinitivum proximum *fulgere* in *facere* mutandum esse facile patet.

207, 15 *ὀμματισθέντες*] cf. Anast. Sinait. 1076 l.: *μὴ ἀποκάμῃς ἡμᾶς ὀφθαλμίζουσα καὶ ὀμματίζουσα πρὸς τὸ καλῶς καλλιεργεῖν*.

207, 34 *προειπόντως καὶ εὐζώνως*] primum vocabulum in *προσηκόντως* potius quam *πρεπόντως* corrigendum est. Alterum *εὐζώνως* non corruptum videtur, etsi graece *εὐζώνως λέγειν* ut latine *succincte* non dicitur. Quamquam *τὸ εὔζωνον* in arte rhetorica elegantem quandam tenuitatem, quae tamen vi et nervis careret, fuisse non me fugit. De hac ratione graeca latinis vel latina graecis ad verbum exprimendi neglectis linguarum proprietatibus confer quae Lachmannus (Klein. Schrift. II 200) et Goetzius (Ind. Ien. a. 1892/93 p. IV) composuerunt.

208, 6 *ἐν μὲν οὖν ἐπουρανίαις ἀψῖσι ἐκείνη μόνη*] his latina versio respondet: *Itaque ergo supercaelestibus aedibus regi*⟨*i*⟩*s stat illa sola* e. q. s., unde videmus primum, vocabulum *ἀψῖσι* latine *aedibus regiis* versum esse, deinde graecam constructionem verbo, quod in latino contextu exstat, omnino carere. Ea de causa vocabulum quoddam ante *ἐκείνη* exstitisse suspicor, quod similitudinis causa facile intercidere potuerit. Itaque corrigendum puto: *ἐν μὲν οὖν ἐπουρανίαις ἀψῖσι οἰκεῖ ἐκείνη* e. q. s.

208, 26 *δόξα περαστράπτουσα*] praepositio *ὑπέρ* in compositione sine littera *υ* occurrit. Confer paulo infra *περμεγέθη*. Sic hodie *περήφανος* pro *ὑπερήφανος* dicitur, *πιρέχω* pro *ὑπερέχω*, *πιρβαίνω* pro *ὑπερβαίνω*. Idem etiam in praepositione *ὑπὸ* observatur: *ποταχτικός* = *ὑποτακτικός*, *πόδημα* = *ὑπόδημα*, multa alia.

208, 42 *ἀκατάληημπτος*] littera *μ* ante *ψ πτ* et *φθ* in formis a

15*

verbo *λαμβάνειν* derivatis et in codicibus et in inscriptionibus saepissime occurrit. Cf. Boeckh Corp. inscript. gr. III p. 140, 141, 145.

209, 25 *κυροτήντων*] scripsi *κυριοτήτων* quamquam de forma *κυρός* (= *κύριος*), quae valde in usu apud Byzantinos scriptores erat, abstractum etiam nomen *κυρότης* fortasse derivari poterat. Sed quo modo littera *ν* inserta est? Hunc errorem librario tribuerem, nisi eandem litteram in alio quoque simili abstracto nomine invenissem; cf. 212, 28 *αὐχμηρόντης*.

209, 43 *ασχιστος mansuetudo*] primum vocabulum nullo modo sanari posse videtur, nisi in duas partes diviseris, scilicet *ασχισ-τος*, quarum prima vocem fere integram *ἰσχύς* praebet, altera vocabuli *κράτος* terminationem continere mihi videtur. Scripsi igitur *ἰσχύς, κράτος*, quorum significatio huc maxime pertinet. Latinam autem versionem *mansuetudo* cum proximo vocabulo *πραύτης* coniungendam esse putavi. Denique forma *πραύτης* rara, sed non inusitata est. Cf. Sophoclis lexicon.

210, 18 *λαρότης*] fortasse sic pro *ἱλαρότης* pronuntiabatur, sicut apud recentiores Graecos *μέρα* pro *ἡμέρα*, *'ρήνη* pro *εἰρήνη* et similia dicuntur. Tales formas in hoc glossario inveni etiam hasce: *ἀρινή* = *ἐαρινή*, *σφάλαξ* = *ἀσφάλαξ*, *σκαλαβώτης* = *ἀσκαλαβώτης*, *λιευτική* = *ἁλιευτική*, *στραγαλῖνος* = *ἀστραγαλῖνος*.

210, 28 *περμεγέθη*] neutra adiectivorum, quae hanc formam in hoc opusculo habent, in praefatione p. 204 enumeravi. Hoc loco de ipsa forma perpauca dicere velim. Vulgari usui hanc attribuere nequeo; vulgaris enim usus talia adiectiva in *ης*, *ες* omnino ignorat. Exempli causa neutra *ἀκριβές, ἀμαθές, ἀβλαβές, ἀπρεπές, ἀτυχές* in vulgari sermone *ἀκριβό, ἄμαθο, ἄβλαβο, ἄπρεπο, ἄτυχο* facta sunt. (Cf. Meyer gramm. Sim. Port. p. 155.) Adiectiva tamen in *υς, εια, υ* usque ad haec tempora terminationem suam conservaverunt: *τὸ βαρύ, τὸ παχύ, τὸ βαθύ* (sed *τὸ γλυκό*). Itaque suspicor adiectiva etiam *ὑπερμεγέθης, εὐθαλής, διετής* et similia aut has formas secuta esse (*εὐθαλῆ, διετῆ* ut *παχύ, βαθύ* e. c.), aut apud scriptores minime doctos declinationem suam omnino perdidisse.

210, 29 *μεγαλοφυές magnissimum*] quamquam latina forma exemplis non caret, tamen propter graecum vocabulum, quod in positivo gradu sit, in *magnificum* corrigendum esse putavi. Cf. C. Gloss. lat. II 266 *μεγαλοφυής magnificus*.

210, 39 *ποιταιπαεροσηληνο*] scribendum est: *τροπαί, πληροσέληνον·* primum vocabulum in aliis etiam hermeneumatis occurrit, sed aliam significationem habet. (Cf. C. Gloss. lat. III p. 294.) Hoc tamen loco, quo modo latinae versioni *demutationes* respondere possit, Hesychius docet, qui *τροπαί* per *ἀλλοιώσεις* explicat.

210, 41 *δαδουχήματασαε ακγειναι*] his verbis latina interpretatio *deluculentiae stillae* respondet. Quod ad novum vocabulum *deluculentiae* attinet, corrigendum puto *diluculentiae* (a voce *diluculum* fortasse derivatum). Alterum vocabulum *stillae*, quod graece *σταγόνες* significet, nullum sensum hoc loco, ubi de sideribus agitur, habere posse mihi videtur; scripsi igitur *stellae* (nisi forte *stillae* et *stellae* posterior aetas confudit). Denique graeca vocabula sic restitui: *δαδουχήματα καὶ ἀκτεῖναι*, qua forma scriptores secundi iam saeculi post Chr. natum usi sunt (cf. Hatzid. 'Einleit. in die neugriech. Gramm.' p. 79).

Alias eius modi formas, quas in hoc opusculo inveni, in praefatione enumeravi.

210, 47 *Ἀστέρων vesperus hospitalis* — *ἕσπερος antifer*] sic haec leguntur, sed tamen perturbata esse quis non videt? Ad locum sanandum vocabulum *Ἀστέρων*, cum repetitio eiusdem vocabuli sit, quod in versu praecedente legitur, excludendum verbaque *vesperus hospitalis* ad *ἕσπερος* referenda esse putavi. Scripsi igitur: *ἕσπερος antifer, vesperus hospitalis*. Vox *antifer* quid significet, nescio. Fortasse in *noctifer* corrigendum erat: cf. Catull. 63: *Nimirum aetherios ostendit noctifer ignes*. Miro tamen modo stella *ἕσπερος* idem nomen (h. e. *antifer*) apud Fulgentium Mythol. 2, 16 habet, ubi haec leguntur: 'unde et *ὑπερηφανία* graece superbia dicitur, sed *ὑπερηφανία* proprie superapparitio nuncupatur, quod in istis duobus signis, quae eorum fratrum vocabulo nuncupaverunt, unus superappareat, alter vero vergat: *sicut lucifer et antifer*'. Vox itaque *antifer* quam in Fulgentii loco alii in *argifer*, alii in *noctifer* mutare voluerunt, hoc glossario nunc confirmatur. Aliam difficultatem vocabulum *hospitalis*, quo nomine *ἕσπερος* hoc tantum loco nominatur, praebet. Fortasse sic appellabatur, quod noctis nuntius est atque homines pecudesque e laboribus ad domum revocat. Cf. Virg. Eclog. X 77: Ite domum saturae, venit Hesperus, ite capellae.

211, 23 *ἐπομβρία oblatio imbrietas*] vocabulum *oblatio* retinui, quamquam *abundantia* pro *oblatio* maluerim, alterum tamen in *imbris nimietas* mutavi.

211, 25 *ξερασία*] haec forma pro *ξηρασία* etiam pagina 168 Corp. Gl. lat. III occurrit.

211, 30 *ροιος rigor*] *κρύος* potius quam *ῥῖγος* corrigendum esse putavi.

211, 40 *σκοπλα φεγγες*] corrigendum est *σκοτία, φέγγος*, quorum primum tantum in linguam latinam *obscurum* translatum est.

211, 42 *ἐνωρίτερον*] comparativa forma huius adverbii est *ἐνωρότερον*. Apud Athen. 4, 142 etiam forma *ἐνωρίστερον* invenitur. *Ἐνωρίτερον* vel *ἐνωρίτερα* hodie apud Graecos in usu est. Ea de causa hanc formam retinui.

211, 45 *προι προσρι mane manistente*] quid in corruptis vocabulis lateat, non facile dici potest. E multis coniecturis, quae hoc loco excogitari possunt, emendationem *πρωῒ πρωῒ mane maniscente* ut verisimilem in textum recepi, primum quia hic modus dicendi (sc. *πρωῒ πρωῒ*) hodie etiam apud Graecos maxime in usu est, deinde quod verbum *manisco* a *mane* facile derivari poterat.

211, 47 *αωρια αυπος*] de *πρωΐας αὐγαζούσης* cogitavi, quod latinae versione *albente matutino* respondet.

211, 48 *διαφαινα*] *διαφανία* mutavi, quamquam et *διάφανμα* corrigi posse concedo cf. C. Gloss. lat. III 295 et Pseudophiloxenum s. v. *Diluculum*.

211, 51 *ἰσημερία ἐαρινή solistitium prima vera*] latina versio *prima vera* non bene quadrat, sed tamen forma recta et non reicienda est: cf. 'Archiv. f. lat. Lex.' IV 449.

211, 53 *καθημέρα*] hanc quoque formam pro *καθημέραν*, cum hodierno usu confirmetur, in textu retinui.

212, 3 *πρὸ βραχύ*] haec constructio perturbationi declinationis

nominum (cf. Hatzidakis 'Einleit. in d. neugr. Gramm.' p. 380) tribuenda esse videtur. Quamquam pro βραχύ nescio an βραχῦ rectius scribendum sit; similia exempla loco, quem modo commemoravi, inveniuntur. Latina adverbia *paulum*, *pusillum*, *modicum* accuratius tractata sunt in 'Archiv. f. lat. Lex.' II 127.

212, 13 μεσημβριων *meridies*] apud Graecos hodie *meridies* μεσημέρι appellatur, cuius plena forma μεσημέριον est. De hoc vocabulo formam μεσήμβριον (ut μεσημερία = μεσημβρία) ortam esse suspicor. Errori librarii non tribuenda est, quod alio quoque loco invenitur. Cf. Corp. Gloss. lat. III 295, 39.

212, 26 ἀχλύς, γνόφος, καιεν *caligo aurugo*] difficultatem vocabula καιεν et *aurugo* (cuius significatio ἴκτερος ad hunc locum non pertinet) praebent. Quae quoniam similem significationem cum praecedentibus habere videntur, corrigere ausus sum in σκότος et *ferrugo*. Vox *ferrugo* talem significationem habere ex Tibullo IV 43 aliisque locis conicias.

212, 32 τοισουτος αρα *quis* (not. tir. *ille noscit*)] hoc loco parvum colloquium inter magistrum discipulosque nominum ventorum ediscendorum causa statuendum est. Magister igitur interrogat: τίς οὗτος ἄρα; (sc. ventus), quam interrogationem responsa diversa secuntur; *ille* quod nota tironiana exhibet ad graecum vocabulum οὗτος respondet, quamquam constructio non nominativum sed accusativum expostulat.

212, 45 σπιλλας *subitanum*] σπιλάς rupes aut saxa significat, quae in mari praeeminent. Cf. Hesychium: σπιλάδες = αἱ περιεχόμεναι τῇ θαλάσσῃ πέτραι. Attamen in Corp. Gloss. lat. II 435 et III 294 legitur σπιλλάς *procella*. Hanc significationem hoc quoque loco vocabulum habere puto, quam interpres per *subitanum* latine reddidit. De forma *subitanus* vide 'Arch. f. lat. Lex.' I p. 188.

213, 8 μεσόγεια] pro *medioterrena* exspectamus *mediterranea*.

213, 46 ὅρπηγες *tamarae*] ὅρπηγες secundum Hesychium rami aut surculi sunt ex radice arboris enati. Latinum tamen vocabulum in nullo lexico invenitur.

213, 51 αποῤῥωξ *propago*] vocabulum graecum, quod latinae versioni non bene respondet, in ἀπῶρυξ mutavi: cf. C. Gloss. lat. III 300.

213, 57 βρυωνία *vincula*] conf. C. Gloss. lat. III p. 553 *brionia cucurbita silvatica*, p. 608 *brionia cucurbita agrestis*, p. 617 *brionia id est cucurbita*. In lexicis tamen per *vitis alba* explicatur, quod fortasse hoc quoque loco latet.

213, 59 πέταλον *pampenum*] forma latina aliis etiam locis confirmatur, cf. C. Gloss. lat. III 300: ἀμπελόφυλλον = *pampenum*.

214, 5 επιραμας φιμαγος *racimus*] quid in primo vocabulo lateat, latina interpretatio docet: cf. C. Gloss. lat. II p. 312 *racemus* ἐπιφυλλίς et III p. 265 ἐπιφυλλίς *racemus uvarum*. In Stephani lexico etiam haec leguntur: ἐπιφυλλίς = racemus per se parvus, ita dictus quod tegatur τοῖς φύλλοις· vide Aristoph. Schol. (ran. 92). Quod ad alterum vocabulum attinet, corrigendum putavi ἐπίτραγος. Hoc enim aliud nomen vocabuli ἐπιφυλλίς fuisse Magn. Etymolog. testatur, ubi legitur: ἐπιφυλλὶς τὰ πρὸς τοὺς βότρυας, οἱ καλούμενοι ἐπίτραγοι.

214, 8 φυλλαναλογημος] corrigendum est φυλλολογημός, quod de verbo φυλλολογῶ derivari potest, ut τρυγῶ τρυγημός, κλαδεύω κλαδεμός,

atque in vulgari lingua hodie invenitur. Terminatio *μος* apud recentiores Graecos usitatissima est (cf. Hatzidakis 'Einleit.' p. 180). Sed tamen saepius pro hac terminatione etiam *μα* occurrit: *φυλλολόγημα*, *τρύγημα*, *κλάδεμα*.

214, 12 *ακροδρυον οπωρα pomum turion*] *ἀκρόδρυον* in Corp. Gloss. lat. II p. 223 explicatur per *cacumen rami*, inde repetenda esse videtur explicatio *turio*[*n*], quae vox arbustorum summos ramunculos significat. Cf. etiam C. Gloss. lat. III 186: *arodria tiriones*, ubi corrigendum est *acrodrya turiones*, et 256 *ἀκρόδρυα tirones, poma, nuces*.

214, 15 Caproficus] forma *caproficus* pro *caprificus* etiam in Corp. Gloss. III 359 invenitur.

214, 16 *κανακες καρακαι amiculis sudatum*] haec corrupta vocabula sic restituenda esse puto: *κάμακες χάρακαι adminiculi sudatum*. Videamus nunc quid significare possint. Apud Hesychium *κάμακες* — *ὀρθὰ ξύλα ὑπὸ ταῖς ἀναδενδράδεσι* et *κάμαξι τοῖς ὑποβαστάζουσι τὰς ἀμπέλους ξύλοις*, hoc est pedamenta adminicula vitis. Eandem significationem etiam vocabulum *ἡ χάραξ* apud Suidam habet: *χάρακα ἀρσενικῶς τὸ στρατόπεδον, θηλυκῶς τὸν τῆς ἀμπέλου*. Cf. etiam Eustathium p. 1163. Denique utroque vocabulo Pollux usus est. Idem, quod graeca *κάμακες χάρακες* significant, latina etiam vocabula *adminicula* et *sudes* significare scriptores latini testantur. Cicero nat. d. II 47: *vites claviculis adminicula tamquam manibus apprehendunt* — Plin. XVII 36, 1: *adminicula viti addere*. His expositis de affinitate vocabulorum certe mihi assentieris. Quid autem de forma statuendum sit, difficilius est dictu. Formam graeci vocabuli *χάρακαι* vulgarem atque de nominativo *ἡ χάρακα* ortam esse facile intellegitur; quid tamen de vocabulo *sudatum*, pro quo *sudes* exspectamus, dicendum sit, nescio.

214, 17 *φορνες baiuli*] correxi *φορῆες*, quae forma facilius quam *φορεῖς* in *φορνες* corrumpi potuerit. Formam Ionicam suspectam esse dixeris, sed raras formas in hoc opusculo saepius inveneris. Nec neglegendum est quod hanc formam etiam Hesychius tradit, qui per *οἱ βαστάζοντες οἱ φέροντές τι* eam explicat. Quem tamen sensum vocabulum *baiulus* hoc loco, ubi de arboribus agitur, habere possit? Non de hominibus, sed de pedamentis, de fulcris, de similibus instrumentis agi puto, quae supra nomine *κάμακες* et *χάρακες* significantur.

214, 18 *ροδανονευδιασιστο nemus*] scribendum est: *ῥοδανόν, εὐδιάσειστον*. Rarissimum vocabulum *ῥοδανόν*, quod semel tantum apud Homerum (Il. Σ 576) occurrit et a veteribus grammaticis multum tractatum est, quo modo in hoc opusculum devenerit, non facile dici potest. Huius vocabuli Eustathius duplicem lectionem commemorat *ῥοδανός* et *ῥαδαλός* (cf. M. Etymolog. p. 701). Utrumque vocabulum etiam Hesychius exhibet, qui primum per *τρυφερός*, alterum per *εὐδιάσειστος* interpretatus est. Latina interpretatio *nemus* non ad ea vocabula, sed ad substantivum quoddam, quod excidit, pertinet, ad quod omnia adiectiva *ῥοδανόν*, *εὐδιάσειστον*, *εὐθαλῆ* referenda esse puto.

214, 19 *εὐθαλῆ gratum germinans*] *gratum* nihil aliud quam translatio graecae particulae *εὐ* esse videtur.

214, 22 *αχειτοχαωρον iuncum*] emendationem *σχοῖνον χλωρὸν* haesitans in textum recepi.

214, 24 *φοίνιξ καρυηα palma nucaria*] vox *nucaria* per se ferri

potest (conf. C. Gloss. lat. III 555 *cariodendro arbore nucario*), forma tamen καρυηα, quae pro καρυώτης aut καρυωτός posita est, fortasse in καρυηρά mutanda est.

214, 26 μηλέα κοκκύμηλον *melaria, pronum*] *melaria* pomum esse videtur: cf. Du Cange. Formam *pronum* in *prunum* mutare non ausus sum. Cf. C. Gloss. lat. II 352, 1.

214, 27 πρόδρομα *praecox*] vocabulum πρόδρομος de aliis quoque fructibus usurpatur, proprie tamen πρόδρομοι sunt σῦκα quaedam, quae maturitate praecurrunt cetera, cf. Athen. III 77 et Plin. XVI 26: *ficus et praecoces habet, quas Athenis prodromos vocant.* Item Hesychius πρόδρομα σῦκα commemorat. Haec πρόδρομα σῦκα hodie apud Graecos (in Lesbo insula) πλῶροι appellantur, sed cave putes hanc formam corruptelam vocabuli πρώϊμος esse, hoc enim hodie πρῶμος pronuntiatur de omnibusque fructibus dicitur, contra πλῶροι *ficus* tantum significant.

214, 29 θάσιον] hoc vocabulum, fructum amygdalorum significare hodiernus usus testatur. Non tamen omnia amygdala, sed genus tantum eorum, quod fragili putamine est, sic hodie appellatur. Contra quae duro cortice sunt amygdala, πετράτα nominantur.

214, 35 ῥοδοδάφνη *rorandrum*] arbor ῥοδοδάφνη latine praecipue *taxus* dicitur (cf. C. Gloss. lat. II 195—428 et III 300). Sed in C. Gloss. III p. 191 *rudrandrum* et p. 264 *rodandrum* occurrit, quae corrupta esse puto. Forma tamen *rorandrum*, quae hoc loco invenitur recta via e forma *laurandrum* derivata esse mihi videtur. Sic enim vocabulum in C. Gloss. II p. 428 legitur. Itaque ut de *cauda* = *coda, saurus* = *sorus*, sic de *laurandrum* (= *lorandrum*) *rorandrum* factum est. Permutatio litterarum *r* et *l* multis exemplis confirmatur. Cf. C. Gloss. lat. V p. 339 *achalantis vel luscinia vel roscinia*, p. 324 *protirum ante ianuam quod vitiose vulgo dicitur protulum.*

214, 37 *Harundineum*] hanc vocem in *harundinetum* corrigendam et ad vocabulum καλαμών referendam esse puto.

214, 46 παρακλιδων] quid in corrupta voce lateat, certe dici non potest. Fortasse vulgaris quaedam forma παρακλάδιον, aut vocabulum περικλύμενον. Sed cum latina versio desit, res in incerto manebit.

214, 48 *festucum*] *festuca* exspectamus.

215, 4 τρίκοκκοι *vertices*] quid τρίκοκκοι valeat, apparet apud Diosc. 1, 169: καρπὸν φέρον ... ἔχοντα τρία ὀστάρια ἔνδοθεν, ἀφ' ὧν καὶ τρίκοκκόν τινες αὐτὸν ὀνομάζουσι. Latina tamen versio, cum corrupta sit, fortasse corrigenda est *verrucariae*. Plinius enim (XXII 29) de nomine tricocci haec dicit: *verrucas cum sale tollit sucus e folio, unde nostri verrucariam herbam appellavere.*

215, 11 κηκή] haec forma pro κηκίς alibi non invenitur: cf. praefationem p. 203.

215, 17 *genestum*] forma *genesta* pro *genista* inveniri potest, non tamen etiam forma *genestum.*

215, 18 βατόμορος *morula*] graecum vocabulum fortasse βατόμορον scribendum est; βατόμουρα enim hodie aut βάτσινα fructus rubi nominant. Eandem significationem latinum etiam vocabulum habere atque deminutivum vocis *morus* esse puto.

215, 30 στερρόν *firme*] propter antecedentia adiectiva *intribile, fragile, debile* etiam *firme* pro *firmum* dictum esse videtur.

215, 49 *reoletio*] *reoletio* quid sit non invenio, nisi forte pro *redolentia* dictum est.

215, 50 *flagrantia*] pro *fragrantia* positum est.

215, 53 *κυπριζι prorumpi*] primum vocabulum *κυπρίζει* scribendum est, quod *florere* significat. Etiam latinam interpretationem *prorumpi* (scr. *prorumpit*) retinui, quamquam significatio eius non bene quadrat. Eratne *progerminat* aut *floruit*, quod librarius confusione quadam cum terminatione sequentis vocabuli *campi* ita deformavit?

216, 2 *παραφυμλον pagus*] primum vocabulum *παράφυλλον* scribendum esse videtur, quamquam in lexicis non invenitur, alterum tamen omnino corruptum est.

216, 4 *εὖ πεπυκασμένον*] in *εὖ πεποικιλμένον* propter *variatum* mutare non ausus sum.

216, 12 *melica*] scribendum *medica*; cf. C. Gloss. lat. III 265 *μηδική medica*· idem autem vocabulum per *τρίφυλλος* explicatum esse in lexicis invenias.

216, 28 *σεκαινζεα centenum scandt*] correxi: *σεκάλη ζέα centenum, scandula.* Haec recte restituta esse facile mihi assentieris, si quae de vocabulis *centenum scandula* in Forcellinii lexico scripta sunt, comparaveris: 'centenum frumenti genus idem ac secale conf. Isidor. 17, 3 centenum appellatum eo, quod in plerisque locis iactus seminis eius in incrementum frugis centesimum renascatur'. — Plin. XVIII 16, 40: *secale nascitur qualicumque solo cum centesimo grano.* — *Scandula* autem est *speltae* seu *hordei* genus, et *spelta* genus frumenti, quod idem putatur cum zea. Cf. etiam Blümner, der Maximaltar. des Dioclet. 63.

216, 38 *ἔλυμος panicum*] latina forma *paniceum* nescio an retinenda sit: cf. C. Gloss. II 141 *panictum* et III 299 *panicium*.

216, 43 *ἄλιξ alica*] cf. C. Gloss. lat. II 477 *χόνδρος alica* et III 183 *chondros alica;* item Hesych. *χόνδρος οὗτος ὁ ἄλιξ* et *χόνδροι ἀλῶν παχεῖς ἄλες*.

216, 44 *γαλιγνα lomentum*] primum vocabulum *σμῆγμα* scribendum est: cf. C. Gloss. lat. II p. 434.

216, 51 *κηπια αιλια escarias faragi*] corrigenda sunt *κήπεια ἕλεια escarii asfaragi.* *Asparagus* vario genere esse, variaque nomina a locis, in quibus nascitur, habuisse videtur (cf. Diosc. 2, 152). Appellabatur scilicet *ὄρειος* aut *πετραῖος* aut *κήπειος* aut *ἕλειος ἀσπάραγος*. Hoc ultimum adiectivum praevaluit, cuius neutrum saepius pro substantivo *ἀσπάραγος* ponebatur (conf. C. Gloss. lat. III p. 16 et 185). Cum hac significatione hoc quoque loco ponitur; quod cum ita sit, alio adiectivo *κήπεια* ad genus explicandum opus erat. Itaque *κήπεια ἕλεια* idem est quod *κήπειοι ἀσπάραγοι*, qui ad edendum optimi erant, idque latina interpretatio *escarii asfaragi* indicat.

216, 53 *μολοχηαι*] malvae *μολόχαι* et *μολόχια* dicuntur, unde fortasse interpolatio litterae *η* explicanda est.

216, 55 *ἀσπάραγοι cimae*] cf. C. Gloss. lat. III 317 et Blümner, der Maximaltar. des Dioclet. 89.

216, 56 *χουριν coliandrum*] cf. C. Gloss. III 359 *κολίανδρον coliandrum,* 317 *coriandrum κορίανδρον,* 265 et 186 *κόριον coriandrum.* Huius vocabuli hoc quoque loco vulgarem formam *κόριν* pro *κόριον* fuisse puto, quae corruptela quadam in *χουριν* mutata est.

216, 62 *Ἀνακρεμνάδες apapores*] lexica graecam formam non exhibent, sed tamen sana mihi videtur esse eaque de causa conservanda. Latinam vocem *apapores* apud Isidorum Orig. XVII 10, 16 tantum invenias, qui eam *apopores* scribit atque inter cucurbitarum genera enumerat. Itaque aut illic *apapores* aut hoc loco *apopores* corrigendum est.

217, 6 *ελκαραι tursi*] quid *ελκαραι* sit nescio. In gloss. graecolatino *tursi* per *καυλοί* explicantur.

217, 19 *εὔζωμος heruca*] vulgare huic nomen apud Graecos hodie est *ῥόκα*, cuius affinitas cum latino vocabulo facile perspicitur (cf. Heldreich, die Nutzpflanz. Griech. 41).

217, 26 *χρυσολαχανον ανδρω holus* et *πελια atriplice*] mutilatum vocabulum *ανδρω* cum sequente *πελια* coniunxi, ita ut legi possit: *χρυσολάχανον ἀνδράφαξις* = *holus atriplice*. Eandem enim significationem utrumque vocabulum habet (cf. C. Gloss. III 266). Similis corruptela etiam pagina 186 observatur: *andraplexia atriplex*. Denique forma *atriplice* fortasse vulgaris est.

217, 41 *οφυν vicia*] in corrupto graeco vocabulo forma *ἀφάκη* an vulgaris *ὁ βίκος* (cf. Heldreich, die Nutzpflanz. Griech. 41) lateat nescio. In aliis glossariis per *βίκια* aut *ἀφάκη* explicatur; cf. C. Gloss. III 267—299—357.

217, 57 *ναρκος*] in hoc opusculo etiam *ναβυσσος* pro *ἄβυσσος* inveni, sed litteram *ν* non eidem causae attribuendam esse puto, quae vocabula *νῶμος* pro *ὦμος*, *νύπνος* pro *ὕπνος*, *νοικοκύρης* pro *οἰκοκύρης* produxit (cf. Corais Atact. 1, 183 — Hatzid. 'Einleit.' 51). Hoc loco corruptelam magis articuli *ἡ* accipio. Itaque scripsi *ἡ ἄρκος*, *ἡ ἄβυσος*. Formam *ἄρκος* pro *ἄρκτος* non solum Hesychius exhibet, sed etiam alia glossaria cf. C. Gloss. lat. III p. 18—90—320), atque hodiernus usus confirmat. Hodie enim *ἀρκοῦδα* dicitur.

217, 61 *Αλοπος vulpis*] apud Hesychium forma *ἀλωπώ* et *ἀλωπά* occurrit, item forma *ἀλωπός*, quae tamen non animal ipsum, sed hominem astutum aut fraudulentum significat. Formam tamen *ἀλωπός* cum significatione *vulpis* hodiernus usus confirmat; dicitur enim apud Graecos *ἀλωπός* aut *ἀλουπός*, *ἀλιπός* pro *ὁ ἀλώπηξ* et *ἀλωποῦ* aut *ἀλουποῦ*, *ἀλιποῦ* pro *ἡ ἀλώπηξ*.

218, 2 *λακωνικός*] usque ad hunc diem canes quidem venatici *λαγωνικά* appellantur (vide Heldreich, la faune de la Grèce 10). Sed hoc nomen potius de *λαγωός* quam de vetere voce *λακωνικός* derivari potest. Littera enim *κ* non facile in *γ* in vulgari sermone mutatur. Cf. Meyer, Gramm. S. Port. 86. Latina versio peregrinum vocabulum (Gallicum) a lexicographis esse dicitur, variaeque eius formae occurrunt: *veltagra, vertagra, vertraga vertagus*.

218, 9 *μαρυκᾶται*] haec forma pro *μηρυκᾶται* non solum aetate Hesychii (*μηρυκάζει* = *μαρυκᾶται*), sed etiam hodie in Cypro alibique (*μαρουκιοῦμαι*) conservata est (cf. Hatzid. 'Einleit.' 99).

218, 12 *dammus*] *damma* exspectamus.

218, 16 *αἴγαγρος hebex*] latinum vocabulum in *ibex* corrigendum est, quod apud Isidor. XII 1, 16 et Plin. VIII 79, 2 occurrit. *Ibices* etiam Hieronymus memorat, qui eosdem esse putat quos Graeci *τραγελάφους* nominant (cf. etiam C. Gloss. lat. III p. 90 egagrion *bix*).

218, 18 *προβατάγριον murio*] compositio graeci vocabuli ana-

logiam vocabulorum *ὄναγρος*, *αἴγαγρος*, *ἵππαγρος* e. c. secuta est, sed contra usum compositionis recentioris graeci sermonis, qui adiectivum *ἄγριος* in compositione semper in initio vocabuli positum expostulat, exempli causa: *ἀγριόκαττα*, *ἀγριόχοιρος*, *ἀγριοκρόβατο*, *ἀγριοπερίστερο* e. c. In latina versione corrigendum esse puto *musimo* aut *musmo*, quod animal Strabo V 225 et Plinius VIII 75, 1 memorant; idem pater domesticae ovis fuisse putabatur.

218, 20 *viverrus*] pro *viverra* positum est.

218, 25 *δαφνιγε laurices*] latinum vocabulum, quod apud Plinium VIII 55, 81 tantum inveni, similem quodammodo significationem cum praecedente *cuniculus* habet. *δαφνιγε* quomodo corrigendum sit difficile dicas: at non improbabile existimo olim *λαύρικες* (= *λάβρικες*) extitisse latino vocabulo graece scripto, et inde natam corruptelam.

218, 27 *αρχομυς melus*] correxi *ἀρκόμυς meles*· formam *ἀρκόμυς* pro *ἀρκτόμυς* malui, propterea quod in hoc opusculo etiam *ἄρκος* pro *ἄρκτος* (p. 217, 57) et *ἀπαρκίας* sc. ventus pro *ἀπαρκτίας* (p. 212, 37) inveni.

218, 33 *γαλήαγρος suro*] forma *γαλήαγρος* aut potius *γαλέαγρος* in lexicis non invenitur. Latinum vocabulum fortasse in *sorex* mutandum est.

218, 34 *βάθραξ rana*] multiplices formas vocabuli *βάτραχος* apud Graecos vide in Stephani lexico. Haec forma, quae ibi non enumeratur, alio loco confirmatur; cf. C. Gloss. lat. III 189 bathrax *rana*.

218, 39 *sanguisuia*] formam *sanguisuia* pro *sanguisuga* non inveni.

218, 42 *pedunculus*] idem pro *peduculus* etiam pagina 260 C. Gloss. lat. III occurrit.

218, 45 *κοριλαις* = *κόρεις*] littera *λ* fortuita mihi non videtur. Fortasse pro littera *ζ* ponitur, hodie enim vocabulum *κόριζες* pronuntiatur. Item suspecta est littera *ζ*, quae paulo infra in vocabulo *μιζια* = *μυῖα* occurrit, quae hodie *μυῖγα* appellatur.

218, 50 *κελαδεῖ*] hoc antiquissimo verbo etiam nunc Graeci utuntur cum eadem significatione, quam hoc loco habet, sc. *cantare*; praecipue tamen de avium cantibus semper dicitur.

218, 59 *κακότροπον malemorium*] *malemoratum* inveniri potest sed *malemorium* omnino novum est.

219, 13 *μόσκος*] hanc formam pro *μόσχος* retinui, hodie enim *μοσκάριον* pro *μοσχάριον* dicitur, sicut *σχολειό* = *σχολεῖον*, *σκοινί* = *σχοινίον*, *σκίζω* = *σχίζω* et alia.

219, 28 *λαφνισκος britia*] primum fortasse in *ἀμνίσκος* mutari potest, quid tamen *britia* sit nescio.

219, 37 *βαμβαίνει ballat*] usus verbi *βαμβαίνειν* admirabilis est. Nullo loco hoc verbum, sed semper *βληχῶμαι* invenies. Cf. C. Gloss. III 73—440—478 et II 258.

219, 48 *οργατονεος subat*] latinae interpretationi *subat* duo primae syllabae *ὀργᾷ* sufficiebant. Quid tamen monstruosum *οργατονεος* significat? Vulgarem quandam formam hoc loco latere conicio, atque non solum hoc, sed etiam aliud vocabulum admixtum esse. Sed meam coniecturam (*ὀργατόνει ὗς*) in textum accipere nolui.

219, 49 *ἐκτομάζει*] haec quoque forma vulgaris videtur esse.

220, 1 *βασιλίσκος regariolus*] cf. C. Gloss. lat. III 19 *regnariolus*. In aliis gloss. per *regulus* aut *basiliscus* explicatur: cf. Gl. Nom. 149.

220, 6 *τυφλίς caeciola*] cf. C. Gloss. III 19 *τυφλίς caecilia* 305 *τυφλίης ceciola*.

220, 9 *ἀσπίς lusca celia*] in omnibus aliis glossariis per *aspis* explicatur.

220, 10 *μυοθήρα*] pro *μυοθήρας*; cf. C. Gloss. III 305.

220, 11 *χενδριον anguis*] corrigendum est *χένδριον*, quam formam in lexicis frustra requisiveris, vulgarem tamen esse hodiernus usus docet. Significat autem anguem illum, qui supra nomine *ἔχιδνα* designatus est. Hoc nomen multas mutationes expertum est. In insula Thera *ἔχενδρα*, in insula Kreta *ὄχεντρα* dicitur. De origine litterae *o* cf. quae W. Meyer in Gramm. S. Port. 79 docuit. In insula Lesbo praeter *ὄχεντρα* etiam forma *χέντριον* vel *χέντρι* auditur. Quo tamen modo explicandae sint formae *σκόχεντρα* et *σκόντριχα*, quibus in eadem insula utuntur, dicere non possum.

220, 12 *διψας sitiuncula*] in aliis gloss. *siticula* pro *sitiuncula* invenitur.

220, 13 *κορκόδειλος*] haec quoque forma pro *κροκόδειλος* hodie in usu est.

220, 14 *ἕλμιγξ*] pro *ἕλμινς*; cf. C. Gloss. III 19—190 305 et II 295.

220, 15 *stilio*] pro *stelio*; cf. C. Gloss. III 19.

220, 16 *μαρκος veneficus*] corr. *φαρμακός*.

220, 40 *gurges*] pro *gurgites* dictum esse videtur.

220, 48 *τρικυμίαι undarum digiti*] latinam interpretationem, quae nullum sensum habere possit, in *undarum mugitus* mutavi; quamquam dubito.

221, 2 *ακιαλος αυ.ριασαε litus atrum*] quid corrupta vocabula graeca significent, latina interpretatio docet. Correxi igitur: *αἰγιαλός, μαύρη ἀκτή*: cur tamen *ἀκτή* dicatur *μαύρη* non assequor.

221, 17 *ποντοποι pelagizantes*] primum vocabulum in *ποντοπόροι* corrigendum est, alterum graecismum esse unusquisque videbit. De graecis formis azo et izo in latino sermone accuratissime Funckius tractavit ('Archiv. f. lat. Lex.' III p. 398—442, IV 317, V 371), sed hoc verbum in illa collectione non invenias.

221, 26 *ορμος culimbos*] haec quoque vocabula corrupta sunt; scribendum *κόρυμβος corymbus*. Verisimile tamen est formam *culymbos* pro *corymbus* vulgarem fuisse. Usus litterae *l* pro *r* aliis quoque exemplis confirmatur. Cf. *veltragus* pro *vertragus*, *coliandrum* pro *coriandrum*: similia vide in 'Archiv. f. lat. Lex.' IV 428, 431.

221, 32 *διφθέραι tegestres*] *segestres* pro *segestra* correxi, quod in pagina 297 C. Gloss. III formam *segester* inveni.

221, 50 *timones*] pro *temones*; vid. gloss. Pseudophiloxeni.

221, 52 *officinae*] *fodinae* exspectamus.

222, 21 *θρόες terrores*] *θρόοι* scripsi; pro *terrores* exspectamus *rumores*.

222, 27 *tintinnus*] in *tinnitus* fortasse corrigendum est.

223, 7 *κατατνικτινος milvus*] scripsi *καταρράκτης, ἰκτῖνος*· primum enim *καταρράκτης* rapax avis est; cf. Eustath. in Dion. P. (220): *καταρράκτης καλεῖται ὡς ἄνωθεν καταρράσσων ἐν τῷ θηρεύειν τὰ ὄρνεα*.

Deinde eodem genere est cum *milvo*; cf. Suidas: καταῤῥάκτης εἶδος ὀρνέου θαλασσίου (sed etiam *milvum* marinum exstitisse apud Ovid. et Horat. invenias). Denique terminatio eius vocabuli κτης propter similem syllabam alterius vocabuli ἰκτῖνος facile excidere poterat.

223, 11 ἔποκος] hanc formam pro ἔποψ apud Hesych. invenias.

223, 15 λάρος] in aliis glossis per *fulica* aut *gavia* explicatur; pro *follunculus* igitur fortasse *fulicunculus* corrigendum est.

223, 16 κούκουβλος *cuculus*] avis, quae in aliis hermeneumatis κόκκυξ dicitur, hoc loco κούκουβλος appellatur. Forma terminatioque latinismum produnt, littera tamen β quo modo inserta sit, non certe dicam. Cf. graeca vocabula κικκάβη, κουκκουβάγια.

223, 28 σκοριδαμος *barbio*] fortasse in κορυδαλλός bardea corrigi potest. Cf. gloss. Philoxeni et C. Gloss. III 361.

223, 30 στραγαλῖνος *cardelius*] scripsi ἀστραγαλῖνος *cardellus*, de qua forma Goetzius (commentat. Woelfflinianae p. 127) accuratius tractavit. Vulgare nomen avis hodie est: καρδερίνα (cf. Heldreich, la faune de la Grèce 39).

223, 33 *luscinius*] de hac forma pro *luscinia* vide gloss. Pseudophiloxeni et C. Gloss. lat. III 360—319.

223, 35 ἄνθος *anthus*] nomen non unius avis, sed totius generis esse videtur (Heldreich, la faune de la Grèce 45).

223, 36 βραδυπυγή *ave tarda*] auctor huius vocabuli falsam formam σεισοπυγή imitatus est. Latina etiam compositio non melior videtur, sed forma *ave tarda* non reicienda est (cf. Loewius 'Archiv. f. lat. Lex.' I 24—33 et 'Gloss. Nominum' p. 166). De significatione vocabuli vide Pseudocyrillum p. 666, 29 ὠτὶς τὸ ὄρνεον *avis tarda*.

223, 56 σκῖφες *scabrio*] latinum vocabulum in *scabro* mutavi, quod in gloss. Pseudophiloxeni per κάνθαρος explicatur.

224, 8 ὑδροσπάταλος *ceruleus*] piscem *ceruleum* Isidorus et alii commemorant, quid tamen graecum vocabulum vel potius altera pars eius πάταλος sit nescio; Hesychius piscem quendam ψωροπέταλον commemorat. Cf. p. 225, 9 et Iuven. XV 7, ubi Buechelerus duce Scaligero *caeruleum* restituit.

224, 4 δελφῖνος] pro δελφίν; cf. C. Gloss. III 318—355—89.

224, 9 ακανθλος *aurata*] primum ἀκανθίας corrigendum est, alterum *aurata* non ad ἀκανθίας sed ad proximum χρύσοφρυς pertinere facile intellegitur (cf. C. Gloss. II 26—479 et III 16—186—256).

224, 11 φαγροσσυδους *dentix*] scribendum φάγρος, συνόδους. Nomen ei pisci hodie συναγρίδα est (Heldreich, la f. d. Gr. 85).

224, 12 χαλησιε *boiae*] scripsi χαλκίδες; cf. C. Gloss. III p. 17—187—257, quibus tamen locis per *gerriculae* aut *corriculae* explicatur.

224, 30 πελάμη = πηλαμύς] in C. Gloss. III 89 legitur *pelamis*, p. 17 παλαμίς. Hodie autem παλαμίδα dicitur, quod secundum Hatzidak. vulgaris etymologia a παλάμη est.

224, 37 τεμινοι = τελλῖνοι] pro τελλῖναι; cf. C. Gloss. III 17.

224, 44 χαλιφίδαι] scripsi καληφίδαι, quod idem quam ἀκαλῆφαι esse hodiernus usus (κοληφάδες) testatur. Nisi forte hic etiam χαλκίδες vel χαλκίδαι scribendum, latina autem versio *gerriculae*, quae vox Plinio teste piscem quendam significat.

224, 53 *δράκων*] in aliis glossariis *δράκων* per *araneus* tantum, *musaraneus* autem per *μυγαλῆ* explicatur.

224, 58 *βοκη boea*] scripsi *βῶκα boca*. Piscem *bocam* Isidorus commemorat, qui graece *βώξ* appellatur. Cf. C. Gloss. 318 *βῶξ voca*. Formam *βόκη* in *βῶκα* mutavi, quae apud Hesychium invenitur. Fortasse tamen et nominativus *βώκη* pro *βώξ* in usu erat.

224, 60 *αλαικιν allix*] correxi *ἀλλίκιν* = *ἀλλίκιον*, quod deminutivum formam vocabuli *ἄλλιξ* esse puto.

224, 64 *αω///νιοι mustuli*] fortasse scribendum est *κωβιοί musculi* cf. gloss. Pseudophiloxeni.

225, 1 *βρύον lana marina*] cf. C. Gloss. II 260 *βρύον haec alga lana marina*.

225, 2 *τιμοκαριδες gammariunculi*] mira forma deminutivi pro *gammarunculi*. Primum vocabulum fortasse in *ποταμοκαρίδες* corrigi potest.

225, 4 *βατισριμοσχιος vitulus*] *βατίς* in aliis glossariis per *raea* aut *reza* aut *rina* explicatur; cf. C. Gloss. lat. III 17—186—355. Itaque syllabam interpositam *ρι* in *raea* correxi: *βατίς raea, μόσχος*.

225, 46 *φονοκτοθισης enecata*] scribendum *φονοκτονηθείσης*, quod Eustathius inter verba *ἐξ ἰσοδυνάμων λέξεων* composita, teste Stephano, annotavit. Latina interpretatio non bene quadrat; non enim *enecata*, sed *caede polluta* verbum significat.

225, 48 *χοιρον limosum*] primum vocabulum in *χοϊκόν* mutandum est.

226, 26 *ὑπὸ τοῦ αντικειμον* = *ὑπὸ τοῦ ἀντικειμένου*] *Ἀντικείμενος* in recentiore sermone et maxime apud scriptores ecclesiasticos idem est quod *διάβολος*.

ADDENDA AD COMMENTATIONEM SECUNDAM.

Edito libello, qui inscribitur de Megalopolitarum rebus gestis et de communi Arcadum re publica, in manus meas pervenit ephemeris Britannica 'the Society for the promotion of hellenic studies, Excavations at Megalopolis, London 1892', in qua tituli maximi momenti nuper ex ruinis Megalopolitanis in lucem prolati inveniuntur.

In dissertationis pag. 105 et 106 infra adnotaveram: Fortasse illis temporibus titulus compositus est, de quo Le Bas egit (inscriptions grecques et latines recueillies par la commission de Morée), ubi '*Λυκαειτῶν φυλή*' commemoratur. Cum hoc nomen solum notum sit, tamen urbs in tribus videtur divisa esse ... Incertum est, num nomen cum delubro Iovis Lycaei cohaereat: nec minus ad Lycaeam, Maenaliorum oppidum, pertinere potest.' (Titulus apud Le Bas-Waddington 331[b] excavations at Megalopolis XVII, pag. 136).

Sed nunc Britannorum merito et opera de tribubus Megalopolitarum multo certiores facti sumus: nam in sedibus theatri e tenebris in lucem vocati haec nomina inventa sunt (pag. 123/6):

sub 1: (*Φυλ*)*ῆς Παρ*(*ρασίων*)
sub 2: *Ἀρκαδισίας*
Ἀπολλωνίας
Παναθαναίας
Ἡρακλείας
Πανίας

quae certe possunt legi, cum extremum adeo mutilatum sit, ut coniecturam *Ἡραίας* in dubium vocari oporteat.

Viri docti, qui haec ediderunt, ex litterarum forma secundo ante Chr. n. saeculo ea attribuunt.

Sequitur alter ordo ex sedum fronte sumptus, cuius nomina altero post Chr. n. saeculo incisa esse iidem ad sententiam inclinant.

sub 3: *φυλὴ Μαιναλίων*
Λυκαειτῶν
Παρρασίων
Πανιατῶν
Ἀπολλωνιατῶν.

Ibidem tribum *Λυκαειτῶν* iam pridem nobis notam denuo reperimus. Nec dubium est, quin nomen *Λυκοατᾶν* (tit. XXII excav. at Megal.) ab altero declinans ad eandem tribum pertineat.

Tribus '*Πανιατῶν*' et '*Ἀπολλωνιατῶν*' respondent nominibus '*Πανίας*' et '*Ἀπολλωνίας*' in priore titulo inventis.

Si nomina singularum tribuum paullo accuratius perspexerimus, ea duplici genere esse intellegemus: altera pars pertinet ad totam Arcadiam et ad eas gentes, quae imprimis Megalopolis conditae participes erant, altera ad delubra deorum referenda est. Ad universam regionem pertinent tribus 'Arcadisia' et Pania vel 'Paniatarum', si Stephani Byzantii rationem habemus, qui sub voce *Ἀρκάδες* (*Ἀρκαδία*) haec affert: *ἐκαλεῖτο Πελασγία ... ἐκλήθη δὲ καὶ Παρρασία ... οἱ δὲ καὶ Ἀζανίαν καὶ Πανίαν.*

Hanc rarissimam vocem ad regionem circumiacentem referre velim atque eam una cum 'Arcadisia' tribu ad communem Arcadum rem publicam pertinere memoriamque illius foederis repraesentare censeo. Tribus aliae ad delubra in singulis oppidi partibus exstructa referendae sunt, sicut Mantineae tribuum *ἐπ' Ἀλέας*, *Ἐνυαλίας*, *Ὁπλοδμίας*, *Ποσοιδαίας*, *Ϝανακισίας* nomina ad Minervam Aleam, Enyalium, Iovem 'Hoplosmium', Neptunum, Castorem Pollucemque pertinent.

Tegeae quoque inventi sunt '*ἐπ' Ἀθαναίαν πολῖται*' atque '*Ἀπολλωνιᾶται*'. — Etsi nomina alterius ordinis (sicut litterae sub 1) secundum virorum Britannorum auctoritatem posteriori demum aetati addicenda sunt, tamen divisionem in tribus factam iam ad primordia Megalopolitarum urbis referendam esse censeo.

In theatro porro tituli inventi sunt, qui summa cum probabilitate ad Antiochum, Arcadum legatum cum Pelopida ad regem Persarum profectum pertinent, praesertim cum iisdem auctoribus litterarum forma tituli ter repetiti ad quartum saeculum referenda sit. Ob eam rem haud scio an hic Antiochus '*ἀγωνοθετήσας*' idem sit atque Antiochus '*ὁ παγκρατιαστής*', cuius Xenophon in historia graeca mentionem facit. Lepreo eum fuisse oriundum apparet ex Pausania (VI 3, 9), quod oppidum (sicut maxima Triphyliae pars) post pugnam Leuctricam in communem Arcadum rem publicam contributum fuit.

Ad pag. 105, ubi in adnotatione de Megalopolitarum concilio imperii Romani temporibus egi, addere me oportet hos titulos: excav. at Megal. IV:

τὸ σ]υνέδριον κύριον ἔστω
εἰ δόξει τῷ συνεδρίῳ
VII A *τὸ συνέδριον βουλευόμενον*

(Le Bas-Waddington 331[e]) VII B *ἔδοξε τοῖς συνέδροις*, quamquam hos titulos ante Corinthum deletam compositos esse verisimile est.

Quo tempore muri refecti sint, de quibus apud Le Bas-Waddington 331[c] 331[d] 331[e] (excav. at Megal. VII A) agitur, prorsus in dubio relinquendum est, cum ex civium nominibus, qui huic negotio interfuerunt,

nihil omnino intellegi possit. Hoc tantum conicio post bellum Cleomeneum urbemque dirutam id accidisse. Moenia oppidi insequenti quoque tempore haud integra fuisse apparet ex pecunia ab Antiocho Epiphane Megalopolitis data, cuius rei supra (pag. 101) mentionem feci.

Ceterum in quarto ephemeridis titulo duo magistratus *νομογράφος* et (voce suppleta) *γραμματοφύλαξ* commemorantur, quorum uterque leges memoriae causa in libellos videtur rettulisse: (*μή*) *τις μήτε νομογράφος μήτε γ(ραμματοφύλαξ) ἀλλοτριωθῆναι τὰ βυβλία*. Titulum VII B viri docti Britanni ad Aratum filium pertinere putant, id quod in medio relinquam, cum vestigia nominis desint. Divini honores filio cuiusdam civis de oppido optime meriti hic decerni videntur. Etiam ii tituli, qui sub numero octavo editi sunt, nihil memorabile, quod attinet ad historiam Arcadiae, praebent. Ne tempus quidem, quo hi compositi sint, definiri potest ob eamque rem Boeckhii coniectura (ad C. I. G. 1534) prorsus incerta est, qui Aristodamum Proxeni patrem eundem esse ac tyrannum censuit. Thearidae porro et Aristandri nomina nihil valent, cum eadem Megalopoli usitata fuisse videantur: ne de Philopoemene quidem aliquid certi affirmem. Hoc tantum certum videbitur hos titulos post Cleomeneum bellum esse incisos. Ceterum non minus incertum est, qua aetate Aristander, porticus aedificator, viguerit. Initio VIII B verba mutilata haud dubie '*ἐπὶ δαμιοργῶν*' legenda sunt, qui foedere Achaico dissoluto Megalopoli quoque senatui ad tempus videntur praefuisse. Senatus enim bis in exitu titulorum commemoratur (XIX et XXVI), ubi '*ψηφίσματι βουλῆς*' supplendum est. Illos in alterum post Chr. n. saeculum cadere verisimillimum sit atque ad sententiam inclino Megalopoli agoranomum, cuius in septimo decimo titulo mentio fit et '*ἐπίσκοπον*' illum (in XIX) ad eundem magistratum pertinere Arcadii Charisii iuris consulti ratione habita (Digest. L 4, 18 ed. Mommsen p. 847): 'Episcopi, qui praesunt pani et ceteris venalibus rebus, quae civitatium populis ad cotidianum victum usui sunt'. Cf. Le Bas-Waddington ad 1990; tales episcopi saepe commemorantur in Auranitide regione, velut 1989, 2298.

Praeterea in eodem titulo verba '*τῶν Ἀρκάδων*' ad cives Arcadisiae tribus referam neque *τὸ κοινὸν* suppleam. Titulus duodevicesimus et graece et latine compositus pertinet certe ad Domitianum, cum et magistratuum anni ad eum referendi sint et ex litterarum reliquiis in Vespasianum patrem quadrantibus intellegatur. Domitianus porticum quandam incendio deletam suo sumptu Megalopolitis restituit.

Contra ea tituli XVII et XXVI sequenti saeculo attribuendi sunt, quorum in utroque eiusdem Claudiae Iulittae mentio fit e Lycaitarum tribu oriundae. Huius feminae divitiis abundantis frater Tiberius Claudius, ad quem etiam sextus decimus titulus pertinere videtur, fuit agoranomus (sive episcopus).

Iam ex his titulis apparet, Megalopoli illis temporibus haud exiguum numerum civium civitate Romana donatum esse.

Posteriore etiam aetate Megalopoli gratam Philopoemenis memoriam haud exstinctam esse ex titulo tertio decimo intellegitur (Le Bas-Waddington 331[a]).

Leviter tantummodo perstringo in eadem urbe fragmenta edicti Diocletiani haud exigua esse inventa, quae edita sunt et in 'Journal of hellenic studies' XI (1890) et in libro, qui inscribitur 'der Maximaltarif des Diocletian' (Th. Mommsen et H. Bluemner, Berlin 1893).

Restat, ut Claudiani in Rufinum versus respiciam (II 186 sq.), qui accuratius quam Zosimi locus a me allatus (p. 107) ad calamitatem Arcadiae oppidis ab Allaricho illatam pertinent:

'Si tunc his animis acies collata fuisset,
Prodita non tantas vidisset Graecia caedes,
Oppida semoto Pelopeia Marte vigerent,
Starent Arcadiae, starent Lacedaemonis arces.' ed. Th. Birt.

Usque eo rem perduxi.

COMMENTATIONES PHILOLOGAE

IENENSES

EDIDERVNT

SEMINARII PHILOLOGORVM IENENSIS PROFESSORES

VOLVMINIS SEXTI FASCICVLVS PRIOR



LIPSIAE,

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI.

MDCCCXCVI.

LIPSIAE, TYPIS B. G. TEVBNERI

INDEX DISSERTATIONVM.

QVAESTIONES RVTILIANAE

SCRIPSIT

THILO KRIEG

Quaestionibus quae ad P. Rutilii Lupi de figuris libros pertinent solvendis non semel viri docti operam dederunt: inter quos primo loco nominandi sunt Gustavus Dzialas (quaestiones Rutilianae ed. Vratislaviae a. 1860) et Ioannes Draheim (schedae Rutilianae, ed. Berolini a. 1874). Sed quoniam iis quae hi duo viri docti proposuerunt non omni in re, quod videam, adsensi sunt qui post illos difficultates attigerunt magis quam expediverunt, res postulare videtur, ut post interiectum tantum spatium tota quaestio de integro retractetur.

Ac primum quidem, sintne ex ipsius manu Rutilii duo quos habemus libri profecti necne, deinde quam ab origine totus liber Rutilianus habuerit formam, denique qualis inter Rutilium et Gorgiam intercedat ratio, disceptare in animo est.

I.

DVOS DE SCHEMATIBVS LEXEOS LIBROS QVI RVTILII NOMINE ETIAMNVNC EXSTANT EX IPSIVS RVTILII MANV PROFECTOS ESSE DEMONSTRATVR.

Duo libri qui sunt de schematibus lexeos Rutilii nomine ad nos venerunt. Quos cum ab ipso Rutilio sic ut nunc habentur conscriptos esse viri docti Dzialas, Blass, Birt negaverint, horum omnium sententiae deinceps diligenter tractandae sunt.

§ 1. Dzialasii sententia examinatur.

Atque in Dzialasii argumentis examinandis et refellendis iam Draheim versatus est. Sed cum ipse haud pauca habeam quae de meo addam, dilucide disposita quaecunque ea de re in fine Dzia-

lasii libelli et passim apud Draheimium contra illum leguntur repetenda ac quae mihi ipsi adsunt nova cum his conectenda sunt.

Dzialas igitur Rutilii libros duos quos habemus ex ipsius manu esse profectos negat et magistri alicuius, qui fortasse saeculo altero exeunte et ineunte tertio integrum Rutilii librum in brevius contraxerit, epitomen esse contendit. Huius sententiae fundamentum hoc est: a Quintiliano Rutilium dignum iudicatum, quem potissimum sequeretur, videlicet propter praeclaram descriptionem figurarum. Atqui in libris qui Rutilii nomine supersint plura animadverti, qualia non possint nisi ab homine mediocris ingenii profecta esse. Ergo ab ipso Rutilio hos duos libros non posse non abiudicari. — Esse autem tria quae homine eo cuius tantam rationem Quintilianus habuerit plane indigna esse adpareat. Primum mirum in modum interdum ordinem figurarum turbatum videri, ita ut figurae eae quae artissime inter sese cohaereant aliis interpositis figuris seiunctae sint: sic figuram *παρονομασίας* a figuris *παρομοίου ὁμοιοπτώτου ὁμοιοτελεύτου ἰσοκώλου* separatam legi (cf. Dz. p. 35). Omnino sine ulla ratione ex ordine figuras collocatas esse: longe alium haud dubie ipsius Rutilii veterem ordinem fuisse (cf. Dz. p. 38). — Deinde magna neglegentia multas figuras descriptas esse: conferendam *παρομοίου ὁμοιοπτώτου ὁμοιοτελεύτου* (II 12—14) figurarum tractationem, inter quas quid intersit, scriptorem ignorare adpareat (cf. Dz. p. 37). — Tum, quamquam ceteroquin tantummodo lexeos schemata pars Rutilii nobis servata habeat, *ἀντιθέτου* tamen figurae genus utrumque exstare, quod Rutilium tractasse Quintilianus testis sit: figuris verborum genus alterum huius figurae, sententiarum scilicet, nulla addita differentia immixtum esse: quattuor enim genera *ἀντιθέτου* legi, quorum primum et alterum schema dianoeas, tertium et quartum schema lexeos efficiant (cf. Dz. p. 36). — Ad tria haec argumenta, quae libros servatos non posse ab eo scriptos esse quem ipse Quintilianus tanti fecerit satis dilucide indicent, accedere quartum, quod Quintilianus IX III 89, ubi de declinatione schematum dianoeas et lexeos agat, haec omnia copiosius esse exsecutos cum alios qui proprios libros figuris dedicaverint tum Rutilium dicat, cuius quidem declinationis, tametsi eius generis figuras a Quintiliano memoratas in libris Rutilii qui supersint habeamus, nihil apud illum legatur (cf. Dz. p. 37).

Haec igitur Dzialas. At ne fundamentum quidem ipsum eorum quae proposuit satis certum est. Maximi enim aestimatum esse Rutilium a Quintiliano non constat (cf. Drah. p. 12). Ipse per-

lustrans locos eos, quibus ex eo Quintilianus hausit, nusquam vidi aperte eum ab illo laudatum disertisque verbis dignum iudicatum, quem potissimum sequeretur. Decem locis Rutilii nomen apud Quintilianum legitur; quattuor aliis omisso nomine exempla ex eius libello petita exstant. Atque inquirens, quemadmodum eius rationem Quintilianus in libro nono habuerit, inveni haec:

Aut exempla ille e Rutilio petivit, quae ei apta ad illustrandum viderentur, nullo addito verbo (cf. III 68: *cui confinis est quae ἀντανάκλασις dicitur, eiusdem verbi contraria significatio* ... sequitur exemplum Proculeianum e Rut. I 5 petitum — III 75 ... *similium fere quadruplex ratio est. Nam est primum, quotiens verbum verbo aut non dissimile valde quaeritur ... aut certe par et extremis syllabis consonans: non verbis, sed armis* ...; quod exemplum ex Rut. II 12 [fig. παρομοίου] extractum est — III 84 in descriptione antitheti: *nec semper quod adversum est contra ponitur, quale est apud Rutilium:* sequitur exemplum e Rut. II 16 petitum): aut notavit quaedam, in quibus Rutilius discederet a ceteris vel quae apud eum solum legerentur, ita quidem ut nihil de iis quid ipse iudicaret profiteretur (cf. II 101: *et Celsus tamen et non neglegens auctor Visellius in hac eam parte posuerunt* sc. comparationem in figuris sententiarum, *Rutilius quidem Lupus in utroque genere idque ἀντίθετον* vocat — II 102 *praeter illa vero quae Cicero inter lumina posuit sententiarum multa alia et idem Rutilius Gorgiam secutus ... et Celsus, videlicet Rutilio accedens, posuerunt schemata;* secuntur II 103 quinque figurae sententiarum — II 106 *Rutilius sive Gorgias ἀναγκαῖον ἀνάμνησιν ἀνθυποφοράν ἀντίρρησιν παραύξησιν προέκθεσιν ... ἐναντιότητα .. μετάληψιν etiam* sc. inter figuras sententiarum solus posuit — III 36 in descriptione fig. πολυπτώτου: *interim variatur casibus haec et generibus retractatio ... et apud Rutilium longa περιόδῳ, sed haec initia sententiarum sunt;* sequitur exemplum e Rut. I 10 extractum — III 89 *etiam in personae fictione accidere quidam idem putaverunt, ut in verbis esset haec figura: crudelitatis mater est avaritia* ...; quae verba ad Rutilium potissimum pertinere adparet: ille enim προσωποποιίαν inter schemata lexeos posuit II 6 exemplumque illud Quintiliani ex eodem petitum est): aut extraxit ex eo figuras complures quas ipse addubitaret vel se non prorsus intellegere fateretur (cf. III 65: *huic* sc. συνοικειώσει *diversam volunt esse distinctionem, cui dant nomen παραδιαστολήν, qua similia discernuntur: cum te pro astuto sapientem appelles, pro confidente fortem, pro inliberali diligentem* [quinam alii ita statu-

erint ignoramus: certe Rutilius hanc figuram habet I 4 exemplumque Quintiliani ibidem legitur]; *quod totum pendet ex finitione ideoque an figura sit dubito* — III 91 *quaedam omnino non sunt figurae, sicut ordo, dinumeratio, circumscriptio, sive hoc nomine significatur comprensa breviter sententia sive finitio: nam et hoc Cornificius atque Rutilius schema λέξεως putant* [Rut. II 5 ὁρισμός] — III 92 *sed mutatio, si ea est quam Rutilius ἀλλοίωσιν vocat, dissimilitudinem ostendit hominum, rerum, factorum: quae si latius fiat, figura non est, si angustius, in ἀντίθετον cadet, si vero haec appellatio significat ὑπαλλαγήν, satis de ea dictum est* — III 93 *nam de illo dubitari possit, an schema sit, in distributis subiecta ratio, quod apud eundem* sc. Rutilium *primo loco positum est. προσαπόδοσιν dicit* et quae sqq. — III 99 *item Rutilius praeter ea quae apud alios quoque sunt* sc. schemata lexeos *παρομολογίαν* et quae sqq. ..., *de quibus idem dico* sc. aut sententiarum potius ea schemata aut omnino nulla esse).[1])

Quid igitur? Numquid legitur his quattuordecim locis, quo Dzialasii illa opinio confirmetur? Immo quamquam Rutilium nusquam aperte reprehendit, ut non liceat contendere omnino parvi eum esse a Quintiliano aestimatum, tamen ne laudat quidem eum ullo verbo, cum Visellium, quo quidem item usus est, IX II 101 *non neglegentem auctorem* dicat. In excerpendis igitur et ex parte examinandis Rutilii figuris non propter figurarum praeclaram descriptionem, sed ea sola de causa Quintilianum versatum esse ex ipsis quos supra sub unum conspectum proposui Rutilianis apud illum locis adparet, quod multis in rebus Rutilius discedebat a ceterorum usu et doctrina, multas habebat figuras quae apud alios non legerentur[2]) idemque — hoc addo gravissimum — nondum

1) Praeterea una cum pluribus aliis memoratur Rutilii nomen ita, ut is locus quartus decimus numero inter tres has quasi categorias, quibus Rutiliana apud Quintilianum subiunxi, referri nequeat, III 89, ubi Quintilianus, postquam de declinatione schematum lexeos et dianoeas egit, sic pergit: *haec omnia copiosius sunt exsecuti, qui non ut partem operis transcurrerunt, sed proprie libros huic operi dedicaverunt, sicut Caecilius, Dionysius, Rutilius, Cornificius, Visellius aliique non pauci.*

2) Simili de causa, ni fallor, Celsi Quintilianus in descriptione figurarum rationem habuit, qui, praeterquam quod e Rutilio hausit ipso a ceteris discedente et e Visellio, multas ipse figuras posuit quas alii non haberent. Ne hunc quidem, inquam, propter descriptas magno ingenii acumine figuras Quintilianus secutus est; nam ceteroquin quid de illo iudicaverit, satis constat: quamquam enim IX I 18, ubi reprehendit *nimia novitatis cupiditate* ab illo verbis et sententiis figuras colorum ad-

ex iis erat qui perverse et inepte dabant operam, ut figuras excogitarent quam possent plurimas: inter hos quidem Rutilium a Quintiliano ipso non esse relatum certum est, quippe de quibus sic ille IX III 99 iudicet: *nam eos quidem auctores, qui nullum prope finem fecerunt exquirendis nominibus, praeteribo.*[1])

Quamquam igitur hunc in modum eorum quae Dzialas collegit, ut Rutiliani libri partem servatam esse genuinam negaret, vel fundamentum eversum est, operae tamen pretium duco etiam illa tria quae hoc fundamento nituntur argumenta rectene se habeant necne investigare.

Atque haec quidem argumenta, ad quae accedit illud quartum numero supra memoratum, quod fundamento illo iam subducto non aeque atque illa tria nititur, partim habent aliquid veri, ut necesse sit aliquo pacto ea explicare, primum scilicet et alterum argumentum, partim per errores posita sunt facile detegendos, tertium scilicet et quartum numero.

a) Ac primum revera plures apud Rutilium quem nos habemus figurae verborum non eo sunt ordine collocatae, qualem exspectamus, i. e. qualem et ipsi per nos iudicamus rectum esse et a Quintiliano summo auctore institutum videmus. Id quidem Dzialasio facile concedo ad eius rei exemplum ab illo positum quod supra memoravi[2]) ipse addens has figuras apud Rutilium disiunctas,

iectas, *eruditum alioqui virum* eum vocat ac quamquam X I 124 scripsisse eum *non parum multā* memorat *non sine cultu ac nitore,* id quod ad dicendi genus pertinet, alio tamen loco, XII XI 24, *mediocri virum ingenio* eum dicit.

1) Quae cum ita sint, sc. cum a Quintiliano Rutilium inter eos, qui *nullum prope finem fecerint exquirendis nominibus,* non esse habitum constet, facere non possum, ut adsentiar iis, quae leguntur in Teuffelii-Schwabei hist. lit. Rom. § 270, 2 adparere ex libro Rutiliano, quam minuta et inutili subtilitate multiplicandis verborum figuris posterioris aetatis rhetores operam dederint. Hoc opprobrio vertendum potius Aquilae Romano, qui, ut unum exemplum afferam, eius generis repetitionis, *cum id quod dictum semel est quo sit gravius iteratur,* quattuor figuras discernit p. 31 et 32 (ex Halmii ed. rhet. lat. min.): *παλιλογίαν, ἐπανάληψιν, ἀναδίπλωσιν, προσαποδόσιν* —, et Pseudo-Rufiniano de schem. lex. p. 49 et 50, qui item quattuor statuit: *ἐπανάληψιν, παλιλογίαν, ἀναδίπλωσιν, ἐπαναδίπλωσιν,* cum ipse Rutilius eiusdem generis unam figuram habeat I 11 *ἐπανάληψιν* et quamquam *id interdum fieri uno verbo, interdum plurium verborum coniunctione* dicit, uno tamen nomine haec duo quae ipse statuit genera comprehendat.

2) Alterum quod apud Dzialasium legitur p. 35 exemplum mihi improbatur. Tametsi enim similis ratio inter figuras *προσαποδόσεως* I 1 et *ἀλλοιώσεως* II 2 intercedere videtur exempla introspicienti — in exem-

quas utpote eiusdem vel similis generis inter se coniungendas potius esse statuo:

ἀντιμεταβολήν I 6 et ἀντίθετον II 16, quae Rutilii figurae apud Quint. IX III 84 et 85 coniunctae leguntur: 81 *contrapositum* (*ἀντίθετον dicitur*) *non uno fit modo* ... (enumerantur plures modi cum alii tum hic:) *nec semper quod adversum est contra ponitur, quale est apud Rutilium* (sequitur exemplum e Rut. II 16 deprompitum) .. *fit etiam adsumpta illa figura, qua verba declinata repetuntur, quod ἀντιμεταβολή dicitur*, cf. Rut. I 6.

ἀνάκλασιν I 5 et διαφοράν I 12; cf. Quint. IX III 68: *cui* sc. παρονομασίᾳ *confinis est quae ἀντανάκλασις dicitur, eiusdem verbi contraria significatio;* quae Quintiliani ἀντανάκλασις, quamquam eius exemplum ab illo positum apud Rut. non legitur I 12, sed I 5, eadem tamen est atque Rutilii διαφορά I 12 *(hoc schema est cum verbum iteratum aliam sententiam significat ac significavit primo dictum);* cuius schematis διαφορᾶς quasi speciem apud eundem esse adparet ἀνάκλασιν I 5, quae ab illa hac tantum re differt, quod in fig. ἀνακλάσεως duobus hominibus opus est, quorum unus verbum aliquod expromit, alter idem verbum, contraria tamen significatione repetit (cf. Rut. I 5: *hoc schema fieri solet, cum id quod ab altero dictum est non in eam mentem quae intellegitur, sed in aliam aut contrariam accipitur.*

Eandem ἀνάκλασιν I 5 ac διαφοράν I 12 et παρονομασίαν I 3; cf. eundem quem modo citavi apud Quint. locum IX III 68.

παραδιαστολήν I 4 et συνοικείωσιν II 9; cf. Quint. IX III 64 et 65 *(... coniunctionem συνοικείωσιν vocant, quae duas res diversas colligat ... huic diversam volunt esse distinctionem, cui dant nomen παραδιαστολήν, qua similia discernuntur)* et ipsius Rutilii definitiones συνοικειώσεως *(hoc schema docet diversas res coniungere et communi opinioni cum ratione adversari)* et παραδιαστολῆς *(hoc schema plures res aut duas quae videntur unam vim habere disiungit et quantum distent docet).*

plis enim utrimque duae vel plures personae aut res separantur ac contraponuntur inter se —, tamen, in definitionibus quid commune hae duae figurae inter se habeant, ut quod seiunctae sint tanto intervallo mirere, non video: etiam Quintilianus, ubi harum figurarum mentionem facit IX III 92—95, unam prorsus alio modo definit atque alteram. Ego figuram ἀλλοιώσεως, si quidem est figura, id quod Quintilianus recte addubitat, iis subiungendam figuris putaverim, quae antitheti nomine comprehenduntur; eodem vero illa altera figura προσαποδόσεως referri nullo modo potest, ut vel inde eluceat similis generis has duas figuras non esse.

Etiam figuras προσαποδόσεως I 1 et αἰτιολογίας II 19 addiderim. Quamquam enim apud Rutilium figurae αἰτιολογίας ipsa definitio has duas figuras cohaerere quodammodo inter se non dilucide indicat, ex exemplis tamen utrimque allatis coniungendas eas esse mea sententia elucet. Sic enim res se habere mihi videtur, ut in figura αἰτιολογίας uni sententiae propositae ratio subiungatur, cum in figura προσαποδόσεως, ut ipsius Rutilii verbis utar, *sententiis duabus aut pluribus propositis sua cuique ratio vel posterius reddatur vel statim sub unaquaque subiungatur;* cf. Quint. IX III 93, ubi αἰτιολογία dicitur *ad propositum subiecta ratio*, προσαπόδοσις *in distributis subiecta ratio.*[1])

Ne sim longus, apud Rutilium multas figuras nexu quodam inter se cohaerentes disiunctas legi certum est. At ne quis me putet haec congessisse exempla, quibus stabilirem ac veri simillimum redderem quod inde collegit Dzialas, sufficere ea, uti partem Rutiliani libri servatam esse genuinam negemus, mihi cum Draheimio non videntur.

Primum enim non omnes figuras similes seiunctas esse a Rutilio ipse Dzialas animadvertit, veluti figurae ἐπιβολῆς ἐπιφορᾶς κοινότητος πολυπτώτου ἐπαναλήψεως I 7—11 (cf. Quint. IX III 28 et quae sqq.) coniunctae exstant (cf. Dz. p. 35). Idem cadere in figuras παραδιαστολῆς ἀνακλάσεως ἀντιμεταβολῆς I 4—6 Draheim statuit (cf. Drah. p. 15). Ipse addo figuras παρομοίου ὁμοιοπτώτου ὁμοιοτελεύτου ἰσοκώλου ἀντιθέτου II 12—16 (cf.

1) Ceterum Volkmann, cum in libro de rhetorica Graecorum et Romanorum p. 470 (ed. alterius) Rutilianam προσαπόδοσιν eandem dicit esse atque ἐπάνοδον vel regressionem, apud Rut. illa figura quid sibi velit, non intellexisse videtur. Quintiliani quidem ἐπάνοδος IX III 35 repetendi genus id est, quod *simul proposita iterat et dividit:*

Iphitus et Pelias mecum, quorum Iphitus aevo
iam gravior, Pelias et vulnere tardus Ulixei.

ἐπάνοδος dicitur graece, nostri regressionem vocant. Ac Volkmann, ut hoc schema ἐπανόδου apud Rut. vocari προσαπόδοσιν statueret, exemplo fortasse motus est quod apud illum priore loco legitur: *non enim pari ratione Philippus atque nos adversis rebus medetur, sed ille usque eo nititur, quoad restituat atque exsuperet: nos contra statim vinci meditamur* et quae sqq., quippe ubi item *simul proposita iterentur et dividantur.* At alterum exemplum ipsaque definitio hanc figuram eandem iudicare atque ἐπανόδου figuram Quintiliani vetant. Quintiliani quoque fig. προσαποδόσεως definitio quam supra memoravi eaque quae in carminis de figuris v. 112 legitur definitio, ne cum Volkmanno faciam, obstat (cf. etiam Cic. de oratore III 54 *in distributis supposita ratio* = Quint. IX III 93 = προσαπόδοσις apud Rut.).

Quint. IX III 75—81), praeterea figuras πολυσυνδέτου et διαλύσεως I 14 et 15 (cf. Quint. IX III 50; διάλυσις apud Rut. = ἀσύνδετον apud Quint.). Errat igitur qui rationem quandam in singularum collocatione Rutilii figurarum desiderat ideoque ordinem eum quem nos habemus esse genuinum addubitat.

Deinde figurarum earum ordo quas Quintilianus IX III 99 enumerans aut sententiarum potius figuras aut nullas putat esse — sunt autem figurae παρομολογίας ἀναγκαίου ἠθοποιίας δικαιολογίας προλήψεως χαρακτηρισμοῦ βραχυλογίας παρασιωπήσεως παρρησίας — ita cum Rutilio quem nos habemus congruit, ut Quintilianum, has figuras verborum quae ipsi improbarentur cum colligeret, eo ordine quo apud Rutilium etiamnunc leguntur collegisse eas manifestum sit. Quod quidem idem Dzialas primus vidit (cf. Dz. p. 35, 36) neque eum fugit eodem quo apud Rutilium ordine etiam figuras ἐπιβολῆς ἐπιφορᾶς κοινότητος πολυπτώτου ἐπαναλήψεως omissis nominibus Graecis, nisi quod fig. ἐπαναλήψεως Rutiliana prima harum quinque memoretur, apud Quintilianum exstare, statuitque aliqua sane ex parte veterem Rutilii ordinem servatum videri. At Quintiliani, quippe qui integro Rutilii libro usus sit, ea in re auctoritas debet esse summa, ut, ubi quae ille e Rutilio affert cum Rutilii quem nos habemus ordine congruant, firmissimum hoc sit contra Dzialasium argumentum: ipse igitur ex iis quae contra suam ipsius sententiam ille indagavit, cum praesertim alia accedant, omni in re nobis praebere libros servatos ipsius Rutilii ordinem colligo.

Omnium autem maxume id ipsum, quod supra Dzialasio concessi multas figuras simillimas apud Rutilium quem nunc habemus diremptas quodammodo legi, facile explicari potest, ita ut non necesse sit eo quo ille vir doctus confugiamus. Adsentior enim Draheimio, qui, si quis omnino schemata ex ordine collocari velit, ei posteriores adeundos dicit, Quintilianum et Phoebammonem, qui categorias certas schematum statuerunt (cf. Dr. p. 14). Cavendum scilicet, ne nimium hac in re a Rutilio, nimium omnino ab iis qui ante Quintilianum scripserunt de figuris postulemus. Introspiciamus libros eorum qui ante Gorgiam sive Rutilium hanc materiam tractaverunt, incerti scilicet auctoris ad Herennium et Ciceronis, qui librorum suorum partem saltem describendis figuris dedicavere: sane alterum horum, incertum auctorem ad Herennium sive adulescentulum illum, qui omnia quae in scholis ad praecepta et dictata magistri sui latini, fortasse L. Plotii Galli, conscripserat domi modo ad verbum transcripsit modo paululum mutavit et addita-

mentis auxit[1]), non sine ratione figuras suas collocasse in promptu est: ut exempla quaedam afferam, apud illum recte coniunctae inter se leguntur *repetitio conversio complexio* (IV c. XIII § 19, 20; = *ἐπιβολή ἐπιφορά κοινότης* apud Rut.), *compar similiter cadens similiter desinens* (IV c. XX; = *ἰσόκωλον ὁμοιόπτωτον ὁμοιοτέλευτον* apud Rut.), decem exornationes verborum, quarum omnium hoc est proprium, ut *ab usitata verborum potestate recedatur atque in aliam rationem cum quadam venustate oratio conferatur* (IV c. XXXI et quae sqq.; quae figurae postea a rhetoribus tropis adscriptae sunt). Neque usquam apud eum similes figuras seiunctas vidi. At nihilominus dilucide disponere figuras suas ne hic quidem conatus est. Alter vero, Cicero, multas ille quidem figuras similes inter se conexuit, cf. in tertii de oratore c. 54: . . *eiusdem verbi crebra tum a primo repetitio tum in extremum conversio et in eadem verba impetus et conclusio* = *ἐπιβολή ἐπιφορά κοινότης* apud Rutilium (eodem modo in Oratoris cap. 39: *cum aut ab eodem verbo ducitur saepius oratio aut in idem conicitur aut utrumque*); ibidem: *illa quae similiter desinunt aut cadunt similiter aut quae paribus paria referuntur* = *ὁμοιοτέλευτον ὁμοιόπτωτον ἰσόκωλον* apud Rut., ac plura huiusmodi; non tamen eo vitio prorsus abstinuit, ut figuras haud dubie coniungendas separaret, veluti (cf. de or. III 54) *geminationem* = *ἀναδίπλωσιν* disiunxit ab eiusdem generis, adiectionis scilicet, figuris *eiusdem verbi a primo repetitionis, in extremum conversionis, in eadem verba impetus et conclusionis*, figuram *quod in multis casibus ponitur* = *πολύπτωτον* ab iisdem quas modo enumeravi figuris, figuram *paulum immutatum verbum atque deflexum* = *παρονομασίαν* ab eiusdem generis figuris *quae similiter desinunt, quae cadunt similiter, quae paribus paria referuntur* et cetera. — Horum autem utriusque rationem figuras collocandi cômparasse cum Rutilio ideo haud ineptum iudico, quod haec mecum reputanti eo mihi firmior visa est Draheimii sententia, qui hanc quae est revera aliqua ex parte in coniunctione figurarum neglegentiam inde, quod illa aetate accurate disponendi atque etiam certis categoriis subiungendi figuras ratio nondum ex usu fuit, studet explicare.[2])

1) Cf. in edit. inc. auct. de rat. dic. ad C. Her. librorum IV a Friderico Marxio a. 1894 parata prolegomenon paginas 84—96, 147—156; qui vir eruditus plane nova eademque satis probabili ratione quaestiones quae ad illos libros pertinent persolvere conatus est.

2) Quod Dzialas adfirmat p. 38 hanc figurarum sine ulla ratione ex ordine collocationem, qualem in Rutilii libris servatis statuit, posteriori-

b) Etiam in descriptionibus figurarum Rutilii neglegentiam quandam Dzialas recte animadvertit — non dico descriptionum dicendi genus, de quo infra in capite tertio exponam, sed parum accurate non semel indicatam singularum figurarum notionem —, sed ne haec quidem neglegentia postulat, ut ab ipso Rutilio duos libros eius nomine servatos abiudicemus.

Facile concedo definitiones in universum perlustrantibus tantummodo descriptiones potius quam finitiones distinctas videri.[2])

bus demum temporibus videri usu venisse, non de omnibus posterioris aetatis rhetoribus, quod videam, recte dicitur. Sane ex Alexandri Numenii epitomatore, Tiberio, Zonaeo nullam qua disposuerint singulas figuras rationem elicere possum; ac de Pseudo-Rufiniano de schem. lex. idem quod de Rutilio statuendum est partim ab eo recte coniunctas figuras similes partim sine ulla causa disiunctas esse. At praeterquam quod posterioris aetatis rhetores Quintilianus et Phoebammo alter verborum figuras tribus categoriis, alter quattuor categoriis et verborum figuras et sententiarum subiunxerunt, etiam Aquila Romanus schematum lexeos duas quasi categorias constituere conatus saltem est, quarum una comprehendit figuras *ad ornandum tantum et quasi ad pingendam orationem accommodatas* (§ 21) vel *ad ostensionem facientes* (§ 42), altera figuras *ad accendendam pugnam dicendi valentes* (§ 30) vel *ad certamen facientes* (§ 42). Uni generi subiunxit eas, in quibus *paribus paria redduntur aut simili casu aut sono determinantur* (§ 42), recte coniungens inter se figuras *ἀντιθέτου ἰσοκώλου παρίσου ὁμοιοπτώτου ὁμοιοτελεύτου παρονομασίας* (22—27). *πλοκήν* et *παλιλογίαν* non ad formandam magis orationem quam ad accendendam pugnam dicendi valere dicit alterique generi plerasque earum quae consecuntur subiungit, conectens inter se cohaerentes figuras repetitionis *ἐπαναλήψεως ἀναδιπλώσεως προσαποδόσεως ἐπαναφορᾶς ἀντιστροφῆς συμπλοκῆς πολυπτώτου* (31—37) iisque fig. *συνωνυμίας ταυτολογίας κλίμακος ἀσυνδέτου* adiiciens; postremo contrarias inter se figuras *διεζευγμένου* et *ὑπεζευγμένου* (43, 44), *πλεονασμοῦ* et *ἐλλείψεως* (45, 46) memorat. Cum non satis certas esse has duas categorias et utrique earum multas quas Aquila Romanus posuit figuras posse adscribi manifestum sit, non certe illi contigit, ut plane dilucidam dispositionem suam redderet apteque figuras cunctas subiungeret, attamen sine ratione ex ordine collocasse figuras suas ne hunc quidem dicere licet. Cf. Martianum Capellam, qui divisionem illam quidem non retinuit (quamquam enim unum genus recepit — vide § 40 —, postea tamen ipse dubitasse de hac divisione videtur, ita ut alterum plane omitteret), sed singulas figuras sic ut coniunctas inter se optime apud Aquilam Romanum legerat descripsit.

2) Quod attinet ad I 21, ubi *ἠθοποιίας* solum nomen legitur, usque ad tantam neglegentiam progressum esse Rutilium, ut hanc figuram omnino non describeret, absimile vero est; itaque hoc quidem loco definitionem figurae casu quodam intercidisse eodem modo atque I 1 certum puto.

Nec mihi improbatur quod Dzialas dicit ipsum scriptorem, quid intersit inter figuras παρομοίου ὁμοιοπτώτου ὁμοιοτελεύτου (II 12—14), non habuisse compertum: quamquam enim παρομοίου et ὁμοιοπτώτου figuras descripsit (παρόμοιον .. *hoc paromoeon verborum efficit similitudinem; ὁμοιόπτωτον. hoc in duobus verbis eundem habet casum aut eandem novissimam syllabam*), ὁμοιοτελεύτου tamen figuram ita descripsisse satis habuit, ut hoc schema minus evidens esse atque superius neque omnino idem atque illud diceret (*neque tam paria duo verba sunt neque eundem habent casum et sonum vocis* sc. ut in fig. ὁμοιοπτώτου). Itaque cum ὁμοιοτελεύτου vim non satis cognitam haberet, ne distinguere quidem accuratissume has tres figuras inter se poterat. Nec vero hoc ego testimonium duco gravissimum quo evincatur ipsum Rutilium hos quos habemus libros non scripsisse, cum praesertim fundamentum illud eorum quae Dzialas posuit iam supra caducum factum sit; sed mea quidem sententia hoc loco sic fortasse res se habet, ut in transferendo Rutilius Gorgiae definitiones differentiamque indicatam parum intellexerit, id quod in figuris ὁμοιοπτώτου et ὁμοιοτελεύτου eo poterat facilius fieri, quia revera hae duae figurae vix inter sese differunt nec nisi species quodammodo ὁμοιοτελεύτου figura ὁμοιοπτώτου est (cf. Volkm. p. 483): quapropter maluit ad uniuscuiusque figurae exempla et ad ipsum Gorgiae librum, *ubi pluribus uniuscuiusque ratio redditur*, nos relegare. Huius autem sententiae meae augetur verisimilitudo, si comparabimus fig. ὁμοιοπτώτου et ὁμοιοτελεύτου exempla. Quamquam enim ea exempla non esse plane apta figuris suis quivis videt, non tamen cum Dzialasio p. 20 miro quodam casu inter se mutata ideoque ad sanandum locum transponenda esse *nam qui secundis rebus — insidiantur* et *nam res publica — legum* censuerim, immo ipsum Rutilium exempla sic, ut nunc quoque, non certe suo quodque loco, leguntur, posuisse iudicaverim. Ac qui id factum putas? Firmatur videlicet quod modo conieci, illae figurae apud Gorgiam quid sibi vellent, Rutilium non satis perspexisse: quamobrem in transferendo etiam exempla quae apud illum legerat recte collocata inter se confudit. — Iis autem qui offendunt in Rutilii ratione figuras definiendi respondeo valere argumentum iam a Drabeimio indagatum (cf. Drah. p. 15): scilicet exemplis potius quam definitionibus rem illustrare Rutilium voluisse, ita ut prae illis definitiones aliqua sane in re neglegenter tractaret.

c) Tertium illud argumentum, quod Dzialas statuit figuram ἀντιθέτου et sententiarum et elocutionis nobis esse servatam, in

errore versari iam Draheim ostendit p. 2, qui apud Rut. II 16 non de utroque genere, sed de unoquoque dici nec quattuor ibi genera, quorum primum et alterum sint sententiarum, tertium et quartum verborum, sed tria tantummodo, tres scilicet quasi species uni generi eique *ἀντιθέτου* figurae verborum subiunctas enumerari recte animadvertit.

Vehementer dolet, quantum video, Dzialas p. 37, quod demonstrare nequit etiam figurae *ἀναγκαίου* I 20 genus utrumque, quod teste Quintiliano Rutilius posuit, nobis esse servatum: ne hac quidem figura uti licet ita, ut nisi epitomatorem neminem adeo sine ratione potuisse figuras commiscere probetur. Quamquam enim duo sane ibi exempla posita sunt, haec tamen unius atque eiusdem generis esse adparet neque quicquam in ipsa definitione de duobus generibus legitur, sed de tribus potius uni generi subiunctis, si quidem ipse Rutilius eiusmodi quasi species hoc loco distinguere voluit *(omnis eius utilitas in eo est, cum volumus ostendere necessitudinem aut naturae aut temporis aut alicuius personae)*: quod unum genus elocutionis esse ex Quint. IX III 99 elucet, ubi figura *ἀναγκαίου* antecedente sicut apud Rut. quem nos habemus figura *παρομολογίας*, sequente *ἠθοποιίας* inter verborum figuras, eas tamen quas ipse Quintilianus aut sententiarum potius aut nullas censet, enumeratur.

d) Ne quartum quidem Dzialasii argumentum satis firmum est. Tametsi enim concedo ea quae de personae fictionis figura apud Quint. IX III 89 leguntur ad Rutilium potissimum spectare, haec tamen verba nil aliud sibi velle mihi videntur plane simplicem in modum ea consideranti nisi hoc Rutilium personae fictionem vel *προσωποποιίαν* verborum figuris adnumerasse, cum alii inter sententiarum figuras eam haberent: non igitur hanc esse huius loci sententiam iudico, quasi Rutilius et inter verborum et inter sententiarum figuras *προσωποποιίαν* posuerit. — Quod si quibus non placet, scilicet si qui dicunt, quae de personae fictione ibi leguntur ad Rutilium spectantia, sic intellegenda, ut utrumque genus *προσωποποιίας* Rutilium tractasse statuamus, atque etiam quae de dubitationis et correctionis figurarum declinatione Quintilianus profert, ea ad Rutilium inprimis spectare, cuius in libris duobus servatis quamquam eae figurae memorantur II 10 (*ἀπορία*), I 16 (*μετάνοια*), II 6 (*προσωποποιία*), nil tamen de hac declinatione legitur, respondeo his potuisse Rutilium eam declinationem *copiosius exsequi* in libri sui parte deperdita ac dianoeas schemata continente, cum praesertim ibidem eum de dianoeas schematibus *ἀντι-*

θέτου et *ἀναγκαίου* eorumque ab eiusdem nominis schematibus lexeos differentia egisse certum sit.

Non esse igitur quae Dzialas indagavit ea quibus stabiliatur ullo pacto eius sententia extra omnem dubitationem est. Videamus porro, quantum sit Blassii argumentis tribuendum.

§ 2. Blassii sententia examinatur.

Atque Fridericus Blass in libro quem scripsit de Graecorum eloquentia inde ab Alexandro usque ad Augusti aetatem a. 1865 edito excerptos esse hos duos quos habemus libros primum idcirco censet (p. 97 ann. 5), quod sine ordine singulae figurae collocatae sint, deinde quod figurae verborum et sententiarum confusae ibi atque permixtae legantur, cum ipse Rutilius distinxerit haud dubie utrumque genus figurarum ac separatim tractaverit.

At nequaquam omni carere ordine has figuras Rutilianas, cum quamvis multae eiusdem generis disiunctae exstent, aliae plures recte inter se coniunctae legantur, iam supra contra Dzialasium uberius demonstravi monuique praeterea, ne ab illius aetatis rhetoribus certam quandam ad unam omnes figuras collocandi rationem postulemus.

Quibus vero de causis Blass et verborum figuras et sententiarum promiscue his duobus libris contineri opinetur, omnino non intellego — nihil sane ipse quo confirmet sententiam suam indicat —, ac tale quid eum statuisse eo magis miror, quod de Rutilio verba facienti ei notus esse debuit libellus ille a. 1863 a Dzialasio editus, qui quidem p. 30 et 31 singulas Rutilii percurrens figuras tantummodo lexeos schemata exhibere duos libros servatos evicit; quocirca denuo id demonstrare supersedeo. Itaque cum verborum has esse figuras ad unam omnes partim primo aspectu pateat partim Quintilianus testetur, qui quamquam ex iis complures non probat, ipsum tamen Rutilium verborum figuris eas adnumerasse significat, non erat Blassio, cur permultas Rutilii figuras a Quintiliano commemoratas, omnes scilicet sententiarum figuras quas ille ut Rutilianas affert, in his duobus libris desideraret.

Adparet igitur ne ea quidem argumenta quae hic vir doctissimus attulit, ut excerptos esse illos duos libros comprobaret, ullam vim habere.

§ 3. Birtii sententia examinatur.

Restat examinanda sententia Theodori Birt. Proficiscitur ille a codicum testimoniis. Atque codices noti, scilicet Mediceus saec. XIV, Mediceus saec. XV, Riccardianus saec. XV continens lib. I §§ 1—9, Vindobonensis lat. 179, hanc habent inscriptionem: *P. Rutilii Lupi schemata dianoeas ex Graeco uorsa Gorgia,* nisi quod Vindobonensis omisit *dianoeas:* in fine tamen libri alterius idem Vindobonensis exhibet haec: *P. Rutilii Lupi schemata dianoeas ex Graeco. Gorgia uorsa. explicit. incipit Romani Aquilae.* Praeterea autem initio libri alterius in cod. Mediceis A et B inscriptio legitur haec: *P. Rutilii Lupi schemata lexeos de libro secundo* et in Vindobonensi: *schemata lexeos. De libro II.* Ex qua quidem inscriptione Birt in libro quem scripsit de veterum re libraria p. 384, cum praesertim quae duobus libris servatis continentur ea vix ad unum volumen explendum ei sufficere viderentur, hos ipsos quos habemus libros excerptos esse collegit.

a) Argumentorum igitur quae ille vir eruditus posuit unum in ea quam modo indicavi codicum inscriptione quae legitur in Rutilii libro altero versatur: quae inscriptio cum non solum in Mediceis codicibus verum etiam in Vindobonensi exstet, in communi horum codicum archetypo haud dubie fuit.

Ac de excerptis posse intellegi ea verba *de libro secundo* quivis concedet. Ut exempla quaedam ponam, e quibus quae fuerit consuetudo eiusmodi excerpta inscribendi cognosci queat, Pauli Diaconi cod. Monacensis et Guelferbytanus sic inscribuntur: *excerpta ex libris Pompeii Festi de significatu verborum;* Martialis libri spectaculorum cod. Thuaneus hanc praebet inscriptionem: *ex libris M. Valeri Martialis epigrammaton breviatum.* Sed praepositio *de* ad significanda excerpta peraeque atque *ex* adhibetur: cf. quae eiusdem libri spectaculorum cod. Vossianus exhibet: *incipit excerptio de libris Martialis epigrammat̃;* Audacisque grammatici excerpta in cod. Bern. et Monac. sic inscribuntur: *Audacis de Scauri et Palladii libris excerpta per interrogationem et responsionem.* Quod in his inscriptionibus additum legitur vocabulum *excerpta* vel simile quid, eodem modo atque in Rutiliana illa codicum inscriptione saepissume omissum est: vide codicum inscriptiones quas praebet bibliothecae catalogus antiquus ecclesiae Centulensis sive S. Richarii: *De libris S. Augustini .. De libris S. Gregorii .. De libris Isidori .. De libris Origenis,* et cetera — et Coenobii S. Galli saec. IX catalogus: ... *De libris veteris testa-*

menti ... item de libris novi testamenti ... de libris beati Gregorii papae .. de libris Hieronimi PRBI .. De libris SCI Augustini EPI ... De libris SCI Ambrosii EPI .. De libris Prosperi EPI ... De libris Bedae PRBI ... De libris Ysidori EPI .. De libris Cassiodori .. De libris Eusebii et quae sqq.[1])

Videtur igitur Birtii hoc argumentum ex ipsis codicibus Rutilii petitum primo quasi obtutu vix posse refutari. At nihilominus hos duos quos habemus libros minime esse excerptos persuasissimum mihi est. Itaque cum in antecedentibus acquieverim in eo, ut et Dzialasii et Blassii argumenta sufficere ad probandam eorum opinionem negarem, iam contra Birtium necesse est proferam quae in universum obstant, ne de excerptis ex integro Rutilio factis omnino cogitemus.

Atque a Quintiliano ut proficiscar, quem integro Rutilii libro usum esse constat, sedecim ille schemata lexeos Rutiliana memorat (IX II 101 *ἀντίθετον*, III 65 *παραδιαστολήν*, 89 *personae fictionem* = *προσωποποιίαν*, 91 *finitionem* = *ὁρισμόν*, 92 *ἀλλοίωσιν*, 93 *αἰτιολογίαν προσαπόδοσιν*, 99 *παρομολογίαν ἀναγκαῖον ἠθοποιίαν δικαιολογίαν πρόληψιν χαρακτηρισμόν βραχυλογίαν παρασιώπησιν παρρησίαν*): quae quidem ad unum omnia in duobus qui nobis praesto sunt libris exstant. Quodsi quis excerpsisset ipsius Rutilii schemata lexeos i. e. numerum quendam horum lexeos schematum omisisset, nonne optimo iure miraremur earum quas ille in excerpendo omisit figurarum ne unam quidem legi apud Quintilianum, cum tot ille figuras verborum, ut modo vidimus, ex ipso Rutilio afferat? Mea sententia inde, quod, quascunque figuras elocutionis Rutilii Quintilianus commemorat, harum nulla non legitur in illis duobus quos habemus libris, grave argumentum petere licet quo demonstretur ipsius Rutiliani qualis Quintiliano adfuit libri partem eam quae erat de schematibus lexeos non exhibuisse plures figuras quam his duobus qui aetatem tulerunt libris continentur.

Omnium autem maxume ipse numerus illorum quae etiamnunc exstant schematum lexeos — sunt enim quadraginta unum — obstat, ne excerpta esse ea ex libro qui multo etiam plura habuerit huius generis schemata putemus. Non quo plus quadraginta unam figuras verborum omnino nunquam notatas esse a rhetoribus

1) Quae ultimo loco posui exempla petita sunt ex libro quem scripsit Gustavus Becker de catalogis bibliothecarum antiquis (Bonnae a. 1885), ubi qui plura volet huiusmodi exempla inveniet.

credam: septuaginta fere schemata lexeos apud Quintilianum enumerantur, sexaginta unum carmen de figuris exhibet. Sed tenendum est quod supra statui ipso teste Quintiliano Rutilium non fuisse ex iis qui *nullum prope finem facerent exquirendis nominibus.* Quodsi introspicimus aliorum complurium libros quos non operam dedisse, ut figuras statuerent quam possent plurimas, satis constat, auctor ad Herennium quadraginta sex figuras verborum habet (re quidem vera tantummodo triginta sex sunt, cum, quas ultimo loco ille ponit decem exornationes verborum, eae postea inter tropos relatae sint), Cicero in tertio de oratore quadraginta unam enumerat, ipse etiam Quintilianus quadraginta fere, ex parte sine latinis appellationibus, accurate describit, cum triginta fere quae ipsi improbentur tantummodo nominatim afferat: nonne igitur cum his numerus figurarum quem duo libri Rutilii nomine servati praebent optime congruit? Nec desunt qui aliquanto etiam minorem numerum eius generis figurarum statuerint; cf. Pseudo-Rufinianum de schem. lex., qui viginti sex habet, omnesque illos qui vel epitomas fecerunt Alexandri Numenii libri vel hauserunt saltem ex illo, velut is qui proprie dicitur Alexandri Numenii epitomator viginti septem schemata lexeos habet, Phoebammo viginti sex, Tiberius viginti quinque, Zonaeus viginti sex.

Itaque cum plures verborum figuras quam in duobus libris servatis exstant, plus videlicet quadraginta unam numero posuisse ipsum Rutilium per se prorsus incredibile sit, sequitur, ut ex ipsius manu Rutilii hi duo libri profecti sint.

Fortasse dixerit quispiam, cum excerptos non esse eos libros certum sit, de epitome saltem posse cogitari, scilicet posterioris aetatis doctum quendam hominem figuras illas quidem omnes Rutilii retinuisse, sed definitiones contraxisse in brevius, etiam exempla quaedam omisisse.

Quaeritur, num etiam epitomas inscribendi ratio eadem fuerit quae in illa Rutilii codicum inscriptione cernitur. Atque incerti auctoris fragmentum quod inscribitur de praenominibus — additamentum hoc exstat in codicibus ad Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium libros novem — in cod. Vaticano epitomatoris Iulii Paridis et Bernensi Valerii Maximi hanc exhibet subscriptionem: *C. Titi Probi finit epitoma historiarum diuersarum exemplorumque Romanorum.* Aurelii Victoris vero epitoma in duobus codicibus Gudianis sic inscribitur: *libellus de uita et moribus imperatorum breuiatus ex libris Sex. Aurelii Victoris a Caesare Aug. usque ad Theodosium.* Atque etiam praepositionem *de*

usurpatam videmus in inscriptionibus quas praebent Flori cod. Bamb. et Nazar.: *epitoma Iulii Flori de T. Liuio bellorum omnium annorum DCC libri duo* et *L. Annei Flori epitoma de T. Liuio.* Quare etiam de epitome posse intellegi illam Rutilii codicum inscriptionem putaverim hunc in modum: P. Rutilii Lupi schemata lexeos (breviata) de libro secundo.

Quod utut est, si perlustramus ipsius Rutilii definitiones figurarum atque exempla, num forte quid requiritur in his, scilicet ut sint ampliores definitiones maiorque sit numerus exemplorum? Lege Zonaei libellum: hic quidem uno brevi enuntiato solet definitionem absolvere nec nisi unum exemplum unicuique figurae addit: hanc esse epitomen nemo non statim videt. Longe aliter res se apud Rutilium habet: descriptiones potius satis amplas quam distinctas brevesque finitiones esse eius figurarum definitiones supra exposui; nonnullorum schematum ibi plura genera describuntur, bina figurarum *προσαποδόσεως συναθροισμοῦ παραδιαστολῆς ἐπιβολῆς ἐπαναλήψεως μεταβάσεως ὁρισμοῦ προσωποποιίας*, tria *ἀντιθέτου*; sane septem figurae sunt singulis tantum exemplis illustratae, at viginti sex habent bina exempla, figurae *προσαποδόσεως συναθροισμοῦ ἀντιμεταβολῆς ἐπιβολῆς ἐπαναλήψεως προσωποποιίας* terna, figurae *συνοικειώσεως* et *ἀντιθέτου* etiam quaterna.

Nec nullius momenti puto quod verba illa quae alio nexu sententiarum supra memoravi II 12: *tamen quid intersit ... multo diligentius* scilicet cognoscere poteris *ex Graeco Gorgiae libro, ubi pluribus uniuscuiusque ratio redditur* ... absurda videntur, si epitomatorem ea scripsisse credimus: mea sententia si quis in brevius contrahere quae apud ipsum Rutilium legerat habebat in animo, ei haec quidem verba quibus ad Gorgiam relegamur plane omittenda erant — nisi forte quicunque epitomatorem statuerunt hunc prorsus stolidum hominem ac temerarium haberi volunt.

Sed nihil desiderari neque in descriptionibus figurarum neque in exemplis quo cogamur epitomatori attribuere illos duos libros probatum est.

Quae cum ita sint, cum neque de excerptis nec de epitome cogitare liceat, illa quae exstat in Rutilii libro altero inscriptio codicum *schemata lexeos de libro secundo* nihili facienda est: quae quemadmodum potuerit oriri, vix posse indagari puto. Accedit, quod talis inscriptio tantummodo secundi initio libri invenitur: nihil eiusmodi neque in inscriptione primi libri — eiusdem subscriptio deest — neque in alterius subscriptione legitur.

De iis autem quae primi initio libri et in fine alterius le-

guntur quid sit iudicandum, scilicet num inde escendere liceat ad genuinam Rutiliani libri inscriptionem, videbimus infra.

b) Ac ne alterum quidem illud quod huius initio paragraphi memoravi Birtii argumentum firmissimum mihi videtur esse.

Habet enim Rutilii liber primus, id quod ea ratione quam Birt indicavit annot. ad p. 310 effeci, versus trecentos septuaginta quinque[1]), alter trecentos septuaginta duos. At ille vir doctissimus librorum qui sunt prosa oratione conscripti accuratissima instituta comparatione cum maximum numerum versuum fere quinque milium invenisset, minimum numerum esse mille centum statuit: quapropter cum miraretur in duos libros dispertita apud Rutilium legi quae par esset uno volumine comprehendi, excerptos esse hos ipsos, videlicet dum volumina in codices redigerentur, censuit.

Sed non possum non adsentiri Erwino Rohde, qui in censura Birtii libri (vide Gött. Gel. Anz. a. 1882, vol. II maxume p. 1551 et quae sqq.), quamvis perraro acciderit, ut destinatum modum voluminis scriptores egrederentur, eo saepius infra illum quem Birt statuerat minimum numerum versuum eos descendisse rectissume monuit collegitque inde necessitatem quasi intra modum quendam sese continendi quae scriptoribus imposita sit ipsis voluminibus revera, maxume ad minimum numerum versuum quod attinet, nequaquam tantam fuisse quantam Birt vult. Neque ipsum illum fugit aliquanto esse minores modos adhibitos a compluribus (cf. Birt p. 322): ut exempla quaedam afferam librorum quorum numerus versuum sit longe infra illum numerum mille centum versuum, Caesaris belli Gallici liber III v. 638 habet, rhetoricorum ad C. Herennium l. I 620, Hermogenis *περὶ εὑρέσεως τόμος* A tantummodo 440, *τόμος* B 454. Nec vero quisquam adhuc excerptos esse hos libros aut epitomas contendit. Animadvertit ipse Birt eos potissimum, quorum munus esset aridam quandam ac ieiunam materiam tractare, respicientes legentium animos, ut voluminis modum quam possent minimum conficerent, operam dedisse indeque explicare studet, quod Vitruvius, Pomponius Mela, auctor ad Herennium, alii infra illum quem ipse statuerat minimum numerum versuum descenderunt[2]): referre eodem illi licebat mea

1) Fuit tamen primi libri numerus versuum paulo etiam maior, cum, quae in contextu verborum servato desiderantur inter I 5 et 6 atque I 21, ea ducere in hac ratione non liceat.

2) Rhetoricorum ad Her. l. I, ut modo dixi, 620 tantum versus habet; sed vel is numerus ipsi auctori ad Her. nimis magnus videtur fuisse, utpote qui in fine libri sic scribat: *quoniam satis huius voluminis*

sententia Rutilii hos duos libros rhetoricos. Quamquam igitur Aeliani var. hist. libros, quorum quintus tantummodo 160 versus exhibet, et Apicii de coquinaria libros, quorum l. I, II, III 200, IX 130, X 98 habet, excerptos haud dubie esse recte Birt censuit, non tamen suo iure eodem modo de Rutilii libris iudicasse eum puto, quorum numerus versuum nequaquam mihi videtur adeo exiguus esse, ut hos quoque libros adnumerari excerptis necesse sit.

Praeterea autem si fingimus ipsius Rutilii libros duos plures versus habuisse quam servati libri duo exhibent — exempli gratia pono sescentos fere, quamquam etiam hic numerus longe infra Birtii illum minimum numerum versuum est —, sequitur, ut sexaginta fere schemata lexeos hi duo libri continuerint. At iam recurrendum eo quod omnino potuisse plures figuras verborum exhibere ipsius Rutilii libros quam in servatis libris leguntur supra negavi.

Refutatis igitur etiam iis quae Birt attulit ut finem huic capiti imponam, ipsi Rutilio adscribendos esse hos duos qui illius nomine ad nos venerunt libros certissimum puto, ut genuini libri Rutiliani partem saltem quamvis ne hanc quidem plane integram — plures enim lacunae exstant, cf. I 6, I 21, II 1, II 5 — etiamnunc in manibus habeamus.

II.

GENVINA TOTIVS LIBRI RVTILIANI FORMA RESTITVITVR.

Transeo ad totius libri Rutiliani formam genuinam restituendam.

§ 4. De adiumentis quae ad restituendos Rutilii libros praesto sint.

Rem ipsam antequam aggredior, quaerendum, quibus liceat ad hanc alteram diiudicandam quaestionem adiumentis uti.

a) Atque apud rhetores latinos minores quorum libri praesto nobis sunt nomen Rutilii nusquam legitur. Quod certe minimi ponderis est. Nam praeterquam quod ne carminis quidem de figuris

magnitudo crevit, commodius est in altero libro de ceteris rebus deinceps exponere, ne qua propter multitudinem litterarum possit animum tuum defatigatio retardare.

auctor incertus Rutilium nominat idemque usus illo haud dubie est, ut alia quoque exempla afferam, Aquila Romanus hausisse se ex Alexandro Numenio nullo verbo indicat, quod tamen ex iis a quibus incipit Iulii Rufiniani additamentum: *hactenus Aquila Romanus ex Alexandro Numenio* compertum habemus atque etiam comparatio cum Alexandri Numenii quam habemus epitome docet; itemque Martianum Capellam magnam partem Aquilae libri descripsisse omisso eius nomine Ruhnken in editione Rutilii Lupi, Aquilae Romani, Iulii Rufiniani annot. ad pag. 149 recte monuit. Comparandae igitur cum ceteris figurae ipsae Rutilii sunt, ut, utrum hauserit ex eo latinorum posterioris aetatis rhetorum minorum quispiam necne, disceptemus.

At ne quis speraverit ex Aquila Romano, Iulio Rufiniano, Pseudo-Rufiniano, auctore incerto schematum dianoeas, Fortunatiano, Martiano Capella, Isidoro Hispalensi, Beda Venerabili — de auctore incerto carminis de figuris infra separatim agam — quicquam referri ad Rutilium posse: quod quo melius intellegatur, quae comparatione accuratissuma effeci, infra ponam, ita tamen ut figurarum definitiones et Rutilii et ceterorum quos specto rhetorum, quas suo quisque loco a me collato introspiciat, ne sim longus, omittam[1]):

Ac primum quidem multas figuras Rutilianas eodem sensu illas quidem, sed prorsus alia significatione earundemque nonnullas etiam inter schemata dianoeas ab illis quos supra enumeravi latinis rhetoribus fere omnibus positas vidi: vel hoc adversatur conicientibus illorum aliquem Rutilium secutum esse.

Pertinent autem huc hae Rutilii verborum figurae:

1) Cum graecis posterioris aetatis rhetoribus Rutilii figuras non comparabo, quippe qui latinorum rhetorum nunquam rationem habuisse videantur: ne Quintiliani quidem nomen apud ullum eorum qui post illum de figuris scripserunt legitur. Rutilium vero quod adhiberent, omnino non habebant hi graeci rhetores mea sententia, cum, si quidem haurire e tali fonte vellent, suum introspicere Gorgiam iis liceret, cuius Rutilius libros in latinum sermonem transtulerat. Rectius igitur cum ipso Gorgia hos graecos rhetores conferri iudico. — Ceterum eo quod hunc in modum separatim posteriores latinos rhetores minores et graecos conferam, differt mea ratio comparandi a Dzialasio, qui quidem p. 15–21 omnes una rhetores cum ipso Rutilio contulit; praeterea quadraginta unius Rutilii figurarum partem tantum, scilicet viginti tres ille contulit, ipse omnes comparabo; denique eam retractare comparationem ideo non supervacaneum duco, quod Dzialas, cui quidem Halmiana rhet. lat. min. editio a. 1863 parata nondum adfuit, plures qui de figuris scripserunt, velut Fortunatianum, Martianum Capellam, Isidorum, Bedam, in comparationem omnino non adduxit.

ἐπιβολή Rut. I 7; diversum nomen, quamvis eandem notionem praebent Aq. Rom. p. 29 et 32 (ex Halmii ed. rhet. lat. min.), quem sequitur Mart. Cap. p. 481, Pseudo-Ruf. de schem. lex. p. 49, Beda p. 609, qui omnes *ἐπαναφοράν* eam figuram nominant (Beda simul *ἀναφοράν* dicit); cf. etiam Fortun. p. 127.

ἐπιφορά Rut. I 8; *ἀντιστροφή* eadem figura apud Aq. Rom. p. 33 (cf. Mart. Cap. p. 481; vide etiam Fortun. p. 127), *ἐπιστροφή* apud Ps.-Ruf. de schem. lex. p. 52 dicitur.[1])

κοινότης Rut. I 9; at eandem *συμπλοκήν* Aq. Rom. p. 31 (cf. Mart. Cap. p. 482) vocat.

διαφορά Rut. I 12; eandem *ἀντανάκλασιν* Isidorus p. 519, *ἀντίστασιν* Ps.-Ruf. de schem. lex. p. 54, *πλοκήν* Aq. Rom. p. 31 (cf. Mart. Cap. p. 481) dicit. — Ceterum Isidorus huius figurae affert exemplum Proculeianum, quod et apud Rut. I 5 et apud Quint. IX III 68 legitur: at petitum hoc esse non e Rutilio, sed ex Quintiliano manifestum est, qui item ut Isidorus in brevius contractum rettulit quod pluribus exposuit Rutilius; praeterea hoc apud Quint. item ut apud Isidorum *ἀντανακλάσεως* sive *διαφορᾶς* figurae, apud Rut. vero *ἀνακλάσεως* I 5 exemplum legitur.

ἐπιπλοκή Rut. I 13; eadem fig. *κλῖμαξ* apud Aq. Rom. p. 34 (cf. Mart. Cap. p. 482), Ps.-Ruf. de schem. lex. p. 52, Isidor. p. 517.

διάλυσις Rut. I 15; eadem fig. *ἀσύνδετον* apud Aq. Rom. p. 35, quem sequitur Mart. Cap. p. 482 (vide etiam Fortun. p. 126), *ἀσύνδετον* vel *διάλυτον* apud Ps.-Ruf. de schem. lex. p. 52, Bedam p. 611.

μετάνοια Rut. I 16; eandem *ἐπανόρθωσιν* Ps.-Ruf. de schem. lex. p. 52 vocat.

πρόληψις Rut. II 4; contra eandem figuram *προκατάληψιν* Ps.-Ruf. de schem. dian. p. 60, auctor inc. schem. dian. p. 75, Isid. p. 520 (item inter schemata dianoeas), *προπαρασκευήν* sive *προκατασκευήν* Fortun. p. 110 (inter partes orationis, non inter figuras), *προϋπεργασίαν* vel *προπαρασκευήν* Iul. Ruf. p. 46 appellat.

ἀπορία Rut. II 10; eadem *διαπόρησις* apud Aq. Rom. p. 25 (inter schem. dian.), auct. inc. schem. dian. p. 75.

παρασιώπησις Rut. II 11; eandem *παράλειψιν* Aq. Rom. p. 24 (inter schem. dian.; cf. Mart. Cap. p. 478), auctor inc. schem. dian. p. 74 dicit. —

1) Erravit Dzial. p. 17, cum *ἐπιφοράν* Rutilianam a Ps.-Ruf. de schem. lex. *ἐπαναδίπλωσιν* appellatam contenderet: fig. *ἐπαναδιπλώσεως* quae apud illum exstat p. 50 *(cum idem verbum in eadem sententia et primum est et extremum)* longe est alia, eadem scilicet atque ea quam *προσαπόδοσιν* Aq. Rom. p. 32 vocat; cf. Quint. IX III 34, qui de hac ipsa figura verba facit *(respondent primis et ultima)* omissa appellatione.

Deinde figurae multae Rutilii sane eodem nomine eodemque sensu apud illos rhetores latinos nobis occurrunt; sed praeterquam quod hae fere omnes sunt vulgatissimae, ut, quod consentiant cum ceteris, non sit mirandum, ad verbum si definitiones comparamus inter se, non intercedere similitudinem tantam, ut e Rutilio hausisse illorum quispiam putandus sit, adparet; praeterea autem harum quae eodem nomine eodemque sensu etiam apud alios exstant figurarum plures, quae apud ipsum Rutilium sunt verborum, alibi inter sententiarum figuras enumerantur.

Huc numerandae figurae hae: *παρονομασία* Rut. I 3; cf. Aq. Rom. p. 30 (Mart. Cap. p. 481), Ps.-Ruf. de schem. lex. p. 51, auct. inc. schem. dian. p. 75, Bedam p. 609 (vide etiam Fortun. p. 127); apud quos omnes definitionum ipsa verba a Rutilii eiusdem et nominis et notionis figura valde differunt (unus etiam inter schem. dian. eam refert).

Idem cadit in ceteras figuras quas infra ponam:

παραδιαστολή Rut. I 4; cf. Ps.-Ruf. de schem. lex. p. 43, Isid. p. 518.[1]) — Quod Isid. habet exemplum *παραδιαστολῆς*, quamquam etiam apud Rut. legitur I 4, tamen ex Quintiliano potius IX III 65, sicut sequentis apud eundem Isid. figurae *ἀντανακλάσεως* exemplum, petitum est.

πολύπτωτον Rut. I 10; cf. Aq. Rom. p. 33 (Mart. Cap. p. 482; vide etiam Fortun. p. 126), Bedam p. 610.

ἐπανάληψις Rut. I 11; cf. Aq. Rom. p. 31 (Mart. Cap. p. 481), Iul. Ruf. p. 46, Ps.-Ruf. de schem. lex. p. 49, Bedam p. 609.

πολυσύνδετον Rut. I 14; cf. Bedam p. 611.

παρένθεσις Rut. I 17; cf. Ps.-Ruf. de schem. lex. p. 51, Bedam p. 614.

προσωποποιία Rut. II 6; cf. Aq. Rom. p. 29, Ps.-Ruf. de schem. dian. p. 62, auct. inc. schem. dian. p. 72, Isidor. p. 514 et 522, apud quos omnes inter schemata dianoeas legitur.

χαρακτηρισμός Rut. II 7; cf. auct. inc. schem. dian. p. 72, Isidor. p. 521, apud utrumque inter schem. dian.

ἀπορία Rut. II 10 (vide supra); cf. Iul. Ruf. p. 40 (ubi etiam *διαπόρησις* vocatur), Isid. p. 520 (inter schem. dian.).

ὁμοιόπτωτον Rut. II 13; cf. Aq. Rom. p. 30 (Mart. Cap. p. 480), Bedam p. 610.

1) Per errorem igitur Dzialas p. 16 non apud alios eam appellationem inveniri statuit: quales errores qui apud eum saepius occurrunt, cum ex parte inde explicandi sint, quod posteriorum rhetorum plures non introspexit, ex hoc inde loco non iam memorabo.

ἰσόκωλον Rut. II 15; cf. Aq. Rom. p. 30 (Mart. Cap. p. 480).

ἀντίθετον Rut. II 16; cf. Aq. Rom. p. 29 (Mart. Cap. p. 480), Isid. p. 518.

ἐπιτροπή Rut. II 17; cf. Iul. Ruf. p. 45, Isid. p. 520 (inter schem. dian.).

παρρησία Rut. II 18; cf. Iul. Ruf. p. 46, Isid. p. 520 (inter schem. dian.).

αἰτιολογία Rut. II 19; cf. auct. inc. schem. diav. p. 73, Isid. p. 521, apud utrumque inter schem. dianoeas. —

Tum complurium figurarum, quarum quidem nonnullas apud ceterorum rhetorum plerosque eodem sensu, sed alio nomine exstare supra demonstravi, apud quosdam rhetores nomina plane eadem leguntur, sed longe aliud quid ibi significant, veluti:

προσαπόδοσις Rut. I 1; quod idem nomen apud Aq. Rom. p. 32 (cf. Mart. Cap. p. 481) legitur, ea tamen notione, ut eadem haec sit figura atque *ἐπαναδίπλωσις* apud Ps.-Ruf. de schem. lex. p. 50.

συναθροισμός Rut. I 2; eodem nomine auctor inc. schem. dian. p. 75 utitur, cuius tamen figura *συναθροισμοῦ* prorsus singularem habet vim et a Rutilii figura alienam.[1])

ἐπιβολή Rut. I 7 (vide supra); quam eiusdem nominis figuram (*ἐπιβολήν sive iniectionem*) Aq. Rom. p. 36 habet, hanc esse speciem quasi *ὑπεζευγμένου* figuras statuo.

ἐπανάληψις Rut. I 11 (vide supra); nec figura *ἐπαναλήψεως* vel *ταυτολογίας* apud inc. auct. schem. dian. p. 76, quae est eadem atque tautologia vel *ἐπανάληψις* apud Quint. VIII III 51, neque illa apud Isid. p. 521, quae eadem est atque *ἄφοδος* apud Quint. IX III 87, quicquam habent cum Rutiliana commune.

1) Hoc loco facere non possum quin adverser Volkmanno p. 473 per errorem adfirmanti Quintilianum VIII IV 27 non solum plurium rerum congeriem, sed etiam unius rei multiplicationem *συναθροισμόν* vocasse. Immo tantummodo *plurium rerum congeriem*, quam ab illa altera figura disertis verbis separat VIII IV 27, *συναθροισμόν* Quintilianus dicit, *unius rei multiplicationem* graece omnino non appellat; cf. apud eundem IX III 45: *congregantur quoque verba idem significantia* (§ 46: *hoc Caecilio πλεονασμός videtur* ...) = *unius rei multiplicatio* et § 48: *congeruntur et diversa* = *plurium rerum congeries* vel *συναθροισμός*. Ac consentit Quintilianus cum Rutilio, qui item — vide exempla — *συναθροισμόν* tantummodo plurium rerum congeriem esse voluit: hanc quidem figuram apud ceteros latinos rhetores praeter auct. inc. carm. de fig. v. 139 nusquam inveniri, cum revera omnino non sit figura, non est quod miremur; illa altera, unius rei multiplicatio, quam esse *arte aliqua novatam formam dicendi* nemo negabit, saepius apud posteriores legitur: *συνωνυμία* apud Aq. Rom. p. 34 (cf. Mart. Cap. p. 482), Isid. p. 518 vocatur.

μετάβασις Rut. II 1; inter hanc et *μετάστασιν* vel *μετάβασιν* apud Ps.-Ruf. de schem. lex. p. 54 similitudo nulla intercedit.[1])

πρόληψις Rut. II 4 (vide supra); quae est fig. *προλήψεως* apud Ps.-Ruf. de schem. lex. p. 48 et Isid. p. 608, minime quadrat in eiusdem nominis figuram Rutilii, sed potius ratio dicendi est, quod videam, quam *ὕστερον πρότερον* Cicero vocat, Diomedes grammaticus inter tropos numerat *ὑπερβάτου* tropo subiungens.

παρόμοιον Rut. II 12; longe alia eiusdem nominis figura apud Bedam p. 610, eadem scilicet quae apud Mart. Cap. p. 474 homoeoprophoron dicitur neque inter figuras, sed inter vitia orationis, nimias videlicet litterarum adsiduitates, refertur.

Denique figurae quaedam sic ut Rutilius appellat eas definitque apud hunc leguntur solum i. e. neque alio nomine, sed eodem sensu neque eodem nomine eodemque sensu neque eodem nomine, sed alio sensu apud ullum eorum quos conferendos mihi proposueram rhetorum inveniuntur; quo referendae sunt e Rutilii figuris quadraginta una hae decem numero:

ἀνάκλασις I 5; *μερισμός* I 18; *παρομολογία* I 19; *ἀναγκαῖον* I 20; *ἀλλοίωσις* II 2; *δικαιολογία* II 3; *ὁρισμός* II 5; *βραχυλογία* II 8; *συνοικείωσις* II 9; *τάξις* II 20.[2])

Itaque cum verborum hae Rutilii figurae ab iis quas modo contuli omni in re discedant, ut illorum rhetorum nemini in componendis figuris suis adfuisse eas certum sit, de sententiarum figuris Rutilii deperditis idem statuendum est nec potest igitur, ut recurram eo quapropter hanc comparationem omnino institui, ad restituendum librum Rutilii ex his quos comparavi posterioris aetatis rhetoribus fructus ullus percipi.

b) Restat, ut comparem ex rhetoribus latinis minoribus incerti auctoris carmen de figuris.

1) Ipse Rutilius qualem hanc figuram *μεταβάσεως* esse voluerit, non satis intellego: duas enim diversas figuras videtur uno nomine complexus esse, cum unum exemplum, ni fallor, eius sit figurae quae ceteroquin *ἀποστροφή* dicitur, alterum illius quam Quint. *ἄφοδον*, Isid. *ἐπανάληψιν* appellat.

2) Omisi hac in comparatione figuram eam quae Rut. I 6 legitur, ubi quidem lacuna in codicibus exstat (nomen *ἀντιμεταβολῆς* ex carmine de figuris Halm substituit), praeterea *ἠθοποιίαν* I 20, cuius definitio interiit, *ὁμοιοτέλευτον* II 14, cuius definitio quae est nulla — accedit exemplum ei figurae quae apud ceteros hoc nomine occurrit non accommodatum — vetat in comparationem eam adducere (ceterum de Rut. II 12—14 vide quae alio nexu sententiarum supra disputavi).

Inter hoc et Rutilium qualis intercedat ratio, cum maxume Dzialas p. 21—28 et Herm. Krupp in libello de carmine incerti auctoris de figuris Ienae a. 1874 edito (cf. etiam R. Schmidt: carmen de figuris vel schematibus qua sit aetate conscriptum. ed. Ienae a. 1874) iam satis superque inquisiverint, ipse, ne acta agam, quae constare videntur hoc loco paucis comprehendisse satis habebo.

Atque carmen de figuris non ante quartum p. Chr. saeculum (cf. Krupp p. 28), fortasse Iulii Rufiniani temporibus quarti initio saeculi (cf. Schmidt p. 22) compositum, ad quam definiendam aetatem et sermo incerti auctoris et res metrica plurimum valet (cf. Krupp p. 23—28, Schmidt p. 11—22)[1]), lexeos tantum schemata praebet, id quod et carminis ipsius v. 1 et comparatio cum Rutilio docet. Habet autem partes duas, quarum prior tribus primis prooemii versibus et vv. 13—150, posterior prooemii vv. 4—12 et vv. 151—186 constat; in priore ex ordine alphabetico figurae enumerantur, in posteriore, quod quasi supplementum est ad antecedentes figuras, is ordo neglegitur (cf. Krupp p. 6, Schmidt p. 5 et 6). Atque in vv. 13—150 versificator usus est Rutilio ita, ut ab initio usque ad finem primum eas figuras notaret quae a littera α inciperent, deinde quae a littera β, γ totumque alphabetum graecum percurreret (cf. Dzial. p. 21—24). Quod non est semper is ordo servatus, non mirum, quia plures figurae artissume inter se coniunctae leguntur apud Rut., ut ne versificatori quidem eas divellere veniret in mentem (cf. ibidem p. 24—26). Nonnullas Rutilii figuras ideo haud dubie versificator non recepit, quod ipsi sententiarum potius videbantur esse (cf. Schmidt p. 7). Sed praeter figuras eas e Rutilio petitas in hac ipsa priore parte plures exstant quas versificator solus habet, ut adpareat eum praeter Rutilium alios etiam scriptores nobis ignotos adhibuisse et unaquaque littera a qua incipiant Rutilii figurae absoluta quaslibet ex iis figuras supposuisse; ex ipso Gorgia haec petita esse nullo modo possunt ideo, quod Quintilianus, ubi inusitatas Rutilii figuras enumerat, harum quidem nullam memorat (cf. Dzial. p. 26—28). In prooemii vv. 4—12 et vv. 151—186 versificatorem hausisse ex Alexandro Numenio manifestum est (cf. Dzial. p. 28, Schmidt p. 8 et 9). Ipsas autem has duas partes, cum in priore parte descriptio figu-

1) Rectissuma haec est ratio aetatem carminis indagandi, si verum est quod Mauritius Haupt contendit Messium, quem auctor carminis in exordio alloquitur, intellegendum esse Messium Arusianum, qui exempla elocutionum Olybrio et Probino anni p. Chr. n. 395 consulibus dedicavit (cf. Hauptii opusc. III p. 427, 428 [= Hermae t. III p. 223] et 634).

rae uno semper versu absolvatur, duobus insequentibus exempla addantur, at in altera octies ea consuetudo neglegatur cumque in altera complures figurae tractentur, quae aliis nominibus iam in priore descriptae sunt, a diversis auctoribus esse profectas veri est simillimum (cf. Krupp p. 7—11, Schmidt p. 9), ita ut carmen quae eius fuit forma principalis secundum Rutilium prooemii vv. 1—3 et vv. 13—150 praeter fig. *πάντα πρὸς πάντα* vv. 136—138, quae pluribus de causis non potest nisi ab alio quodam addita esse (cf. Krupp p. 12), constet, prooemii autem vv. 4—12 et vv. 151—186 ab alio auctore, fortasse ab huius versificatoris discipulo quodam, qui ex Alexandro Numenio figuras plures in exemplari suo huius carminis in usum scholarum compositi notavit, adiectos esse probabile sit (cf. Schmidt p. 10).

Hactenus adsentior his viris doctis: illud tamen mihi improbatur quod Dzialas credit iam in eo exemplari Rutilii quo versificator usus est illam lacunam fuisse quae in Rutilii libro qualem nos habemus I 5—6 exstat (cf. Dzial. p. 27; vide etiam Teuffelii-Schwabii hist. litt. rom. p. 648 ann. 3). Quaeritur enim, ea lacuna quemadmodum explenda sit. Ac Dzialas inter I 5 et 6 plures intercidisse figuras opinatur: hoc vero iure negavit Draheim, cum p. 15 fig. *ἀντιμεταβολῆς* simillimam esse proxime antecedentium *ἀνακλάσεως* et *παραδιαστολῆς*, has scilicet omnes fieri notionum aut verborum similitudine ac mutatione moneret.[1]) Revera igitur apud Rut. I 6 unius tantummodo nomen figurae ac definitio primique exempli pars interierunt; at in carm. de fig. v. 16 leguntur haec: *ἀντιμεταβολή permutatio fit vice cum convertimu' verba;* quae figura habet duo exempla: unum idem est Theophrasteum quod apud Rut. I 6 legitur, alterum ex Alex. Num. (cf. Alex. Num. p. 37 ex Spengelio) petitum est. Itaque hoc loco versificator Rutilio usus est nondum ita mutilato, qualem nunc habemus, ut illa lacuna post illius demum tempora i. e. post quartum saeculum orta sit.

Ad totum igitur librum Rutilii restituendum ne hoc quidem carmen quicquam confert: tantummodo ad lexeos schemata pertinet quod apud Rut. I 6 nomen *ἀντιμεταβολῆς* legendum esse ex eo carmine peraeque atque ex Alexandro Numenio discimus.

c) Quo aegrius ferendum, quod alius cuiusdam qui post Rutilium fuit scriptoris latini, quem hausisse ex illo satis constat, totius libri pars ea quae cum in rhetorica tum in figuris describendis

1) Idem p. 8, quod Ruhnken suspicatus est sententiarum figuras, quae cum a Quintiliano commemorentur, apud Rut. non exstent, inter I 5 et 6 tractatas fuisse, recte refutavit.

versata est interiit. Quintilianus enim IX II 102 tradit praeter illa quae Cicero inter lumina posuit sententiarum multa alia et Rutilium Gorgiam secutum posuisse schemata et, videlicet Rutilio accedentem, Celsum, illum A. Cornelium Celsum qui encyclopaediam, ut ita dicam, qua rei rusticae et militaris et medicinae et rhetoricae et philosophiae et iuris continebantur praecepta, conscripsit, quorum tamen librorum omnium de medicina libri octo soli aetatem tulerunt. Is igitur Celsus dicitur accessisse Rutilio; accedit autem alicui, ut Ruhnkenii verbis utar quae in eius edit. Rut. Lupi, Aq. Rom., Iul. Ruf. praef. p. XIV leguntur, is qui sententiam alterius sequitur, probat, ut in figurarum tractatione adfuisse illi Rutilium manifestum sit.

Hunc autem Celsum cum idem ille e quo eum usum esse Rutilio cognitum habemus Quintilianus in figurarum descriptione saepius memoret, quaeritur, possitne horum quicquam nobis ad cognoscendam genuinam Rutilii formam usui esse. Sed eos locos quibus in noni libri cap. I—III Celsi nomen occurrit si introspicimus, primum in tertio capite quod est de verborum figuris ille omnino non nominatur (quamquam etiam de verborum figuris Celsum egisse per sese quasi intellegitur et, cum Rutilium ab eo adhibitum esse certum sit, ex verborum quoque illius figuris hausisse eum veri simillimum est), deinde in altero capite quod est de sententiarum figuris non solum Rutilium adfuisse Celso videmus ex paragr. 102, verum etiam Visellium (§ 106: *Visellius, quamquam paucissimas faciat figuras, ἐνθύμημα tamen, quod commentum vocat, et rationem appellans ἐπιχείρημα inter eas habet. Quod quidem recipit quodammodo et Celsus: nam consequens an epichirema sit dubitat)* multasque praeterea eum ipsum finxisse figuras ex paragr. 104 elucet (*praeter haec Celsus excludere, adseverare, detrectare, excitare iudicem, proverbiis uti, et versibus et ioco et invidia et invocatione intendere crimen, quod est δείνωσις, adulari, ignoscere, fastidire, admonere, satisfacere, precari, corripere figuras putat* scilicet sententiarum); etiam quae leguntur § 22 (§ 20: *communicatio* . . .; § 22: *sed nonnumquam communicantes aliquid inexpectatum subiungimus, quod et per se schema est . . hoc Celsus sustentationem vocat*) et § 40 (*illa vero, ut ait Cicero, sub oculos subiectio tum fieri solet, cum res non gesta indicatur, sed ut sit gesta ostenditur, nec universa, sed per partis: quem locum proximo libro subiecimus evidentiae, et Celsus hoc nomen isti figurae dedit)* ad ipsius ingenium referenda sunt. Itaque tantummodo eas quae § 103 leguntur sententiarum figuras (*consummationem* . . *διαλλαγήν*, *consequens* . . *ἐπακολούθησιν*, *collectionem* . .

συλλογισμόν, minas .. *κατάπληξιν, exhortationem* .. *παραινετικόν*) e Rutilio petitas esse a Celso extra omnem dubitationem est: sed de his duabus paragraphis 102 et 103 infra plura verba faciendi offeretur occasio.

d) Iam sunt comparandi graeci posteriorum temporum rhetores, quos cum usos esse, si quidem usi sunt, ipso Rutilio nec potius Gorgia suo absimile vero supra iudicaverim, hi quidem cum ipso Gorgia rectius conferuntur. Ac ne quis, cum meminerit ipsum Gorgiae librum temporum iniuria periisse, eiusmodi rationis comparandi fundamenta desideret, haec e ratione quae intercedit inter Rutilium et Gorgiam petenda sunt. Sed utrum omnes ad unam Gorgiae figuras Rutilius transtulerit necne, hoc quidem loco nil refert — vide tamen quae infra in capite tertio ea de re disputabo —, nam illud certe dubium non est, quin hae verborum figurae quadraginta una numero, quae nobis praesto sunt, e Gorgia cunctae translatae sint nec nomina solum eadem apud Gorgiam, verum etiam eandem vim habuerint, ut has Rutilianas easdem Gorgianas dicere liceat: iure igitur quodam mihi videor Gorgiam, etiamsi huius libros de figuris quattuor in manibus non iam habemus, cum ceteris qui post eum fuerunt rhetoribus graecis comparaturus esse.[1])

Sed praeterquam quod nomen Gorgiae apud ceteros omnes quorum libros habemus rhetores graecos nusquam legitur[2]), similis instituta comparatio edocuit me ex illis — ratio autem maxume Alexandri Numenii epitomatoris, Phoebammonis, Tiberii, Herodiani, Zonaei, trium praeterea qui de figuris scripserunt anonymorum habenda est — nil posse ad Gorgiam sive Rutilium referri. Iisdem quas supra statui quattuor quasi categoriis subiungere singulas figuras licet:

Ac primum figura *ἐπιβολῆς* Gorg. (Rut. I 7) eodem illa quidem sensu, sed prorsus alio nomine legitur apud Alex. Num. p. 20 (ex Spengelii ed. rhet. graec. vol. III) *inter schem. dian. et p. 29 inter schem. lex., Phoeb. p. 46, Tiber. p. 72, Zon. p. 164, anon.

1) Ex illis quos cum Rutilio contuli latinis rhetoribus neminem usum esse Gorgia luce est clarius, quippe quos ne Rutilium quidem adhibuisse demonstraverim. Quintilianum in manibus habuisse Gorgiae librum accurate demonstrari nequit: certe Rutilium is quam illum graecum hominem laudare maluit. — Ceterum apud latinos scriptores Gorgiae nomen praeter Ciceronem (cf. Cic. ep. XVI, 21) et Quintilianum apud Senecam nobis semel occurrit, qui in controv. l. I c. IV eum declamationes scripsisse testatur, cf. Ruhnk. praef. p. XI.

2) Ex aliis graecis scriptoribus tantummodo Plutarchus in vita Ciceronis p. 873 eius mentionem facit, cf. Ruhnk. praef. p. XI.

p. 181, qui omnes *ἐπαναφοράν* eam dicunt (Phoeb. p. 46 simul *ἀναφοράν* vocat).

Eodem modo *ἐπιφορά* Gorg. (Rut. I 8) *ἀντιστροφή* apud Alex. Num. p. 29, Phoeb. p. 56, Tib. p. 74, anon. p. 132, Zon. p. 166, anon. p. 112 vocatur.

κοινότης Gorg. (Rut. I 9) *συμπλοκή ἢ σύνθεσις* apud Alex. Num. p. 30, Zon. p. 166, anon. p. 183.

διαφορά Gorg. (Rut. I 12) *ἀντιμετάθεσις ἢ σύγκρισις ἢ πλοκή* apud Alex. Num. p. 37, *πλοκή* apud Phoeb. p. 56, 10.

ἐπιπλοκή Gorg. (Rut. I 13) *κλῖμαξ* apud Alex. Num. p. 31, Tib. p. 72, Herod. p. 99, anon. p. 133, Zon. p. 166, anon. p. 183.

διάλυσις Gorg. (Rut. I 15) *ἀσύνδετον* apud Phoeb. p. 45, Tib. p. 77, Zon. p. 109, anon. p. 186.

μετάνοια Gorg. (Rut. I 16) *ἐπιτίμησις* apud Alex. Num. p. 40, *ἐπιδιόρθωσις* apud Tib. p. 62 inter schem. dian., anon. p. 142.

πρόληψις Gorg. (Rut. II 4) *προκατάληψις* apud Alex. Num. p. 16, Phoeb. p. 51, Zon. p. 161, anon. p. 175.

χαρακτηρισμός Gorg. (Rut. II 7) *εἰκονισμός* apud Polyb. p. 108.

ἀπορία Gorg. (Rut. II 10) *διαπόρησις* apud Alex. Num. p. 24, Phoeb. p. 54, Tib. p. 61, Zon. p. 163, anon. p. 179, qui omnes inter- schem. dian. eam numerant.

παρασιώπησις Gorg. (Rut. II 11) *παράλειψις* apud Alex. Num. p. 23, Phoeb. p. 51, Tib. p. 60, anon. p. 149, Zon. p. 163, anon. p. 178, apud omnes hos inter schem. dian.

ἀντίθετον Gorg. (Rut. II 16) *ἀντίθεσις* apud Alex. Num. p. 36, Herod. p. 98.

Deinde fig. *συναθροισμοῦ* Gorg. (Rut. I 2) eodem nomine eademque notione legitur apud Alex. Num. p. 27, Zon. p. 162, anon. p. 176, sed in definitionum singulis verbis consensus frustra quaeritur; praeterea apud hos omnes inter sententiarum figuras enumeratur.

Similis est ratio

παρονομασίας Gorg. (Rut. I 3); cf. Alex. Num. p. 36, Phoeb. p. 47, Tib. p. 71, Herod. p. 95, Zon. p. 168, anon. p. 185.

ἐπιβολῆς Gorg. (Rut. I 7); cf. Phoeb. p. 55 et 56.[1])

1) Hoc nomen *ἐπιβολῆς* cum apud Phoeb. legerem, qui in appendice hanc figuram nomine *ἐπαναφορᾶς* iam antea a se descriptam repetit eandemque dicit esse atque *ἀναφοράν* (= *ἐπαναφοράν*), illum opinabar in appendice saltem, ubi exponere vult: *πῶς ἕκαστον γίγνεται ταὐτό* figurasque in antecedentibus ex parte iam tractatas affert non definitas, sed exemplis illustratas, e Gorgia hausisse, quia nomen *ἐπιβολῆς* eo sensu quo legitur apud Gorg. (Rut. I 7) neque apud graecos rhetores neque apud

πολυπτώτου Gorg. (Rut. I 10); cf. Alex. Num. p. 34, Herod. p. 97, anon. p. 138, Zon. p. 168.

ἐπαναλήψεως Gorg. (Rut. I 11); cf. Alex. Num. p. 19 (inter schem. dian.).

διαλύσεως Gorg. (Rut. I 15); cf. Herod. p. 99 (vide supra).

μερισμοῦ Gorg. (Rut. I 18); cf. Herod. p. 94, anon. p. 120.

ὁρισμοῦ Gorg. (Rut. II 5); cf. Herod. p. 98.

προσωποποιίας Gorg. (Rut. II 6); cf. Alex. Num. p. 19, Phoeb. p. 52, Zon. p. 162, anon. p. 177, apud hos omnes inter schem. dian.

ὁμοιοπτώτου Gorg. (Rut. II 13); cf. Alex. Num. p. 36, Herod. p. 97, Zon. p. 169, anon. p. 186.

ἰσοκώλου Gorg. (Rut. II 15); cf. anon. p. 155.

ἀντιθέτου Gorg. (Rut. II 16); cf. Tib. p. 78, anon. p. 112, Zon. p. 169, anon. p. 186 (vide supra).

αἰτιολογίας Gorg. (Rut. II 19); cf. Alex. Num. p. 17, Zon. p. 162, apud utrumque inter schem. dian.

Tum figurae *προσαποδόσεως* Gorg. (Rut. I 1) nomen illud quidem legitur apud Phoeb. p. 56, sed diversa notio, similis scilicet — vide exemplum — *συμπλοκῆς* figurae.

Eodem modo *ἐπανάληψις* Gorg. (Rut. I 11) alia apud Phoeb. p. 46, Zon. p. 164, anon. p. 181, apud quos *ἐπαναμνήσεως* potius habet vim (vide supra).

ἀλλοίωσις Gorg. (Rut. II 2) diversa ab eiusdem nominis figura apud Alex. Num. p. 23, Tib. secundum Caecilium p. 80, Zon. p. 168, apud quos mea sententia eadem est atque *ὑπαλλαγή* vel *μετωνυμία* (cf. Quint. IX III 92), quae ceteroquin inter tropos ponitur.

χαρακτηρισμός Gorg. (Rut. II 7) non prorsus eandem vim habet apud Polyb. p. 108, respondentem magis ei quam nos solemus huic voci tribuere (vide supra).

ἐπιτροπή Gorg. (Rut. II 17); ad iudiciale genus magis pertinet quae eiusdem nominis figura apud Herod. p. 98 legitur.

αἰτιολογία Gorg. (Rut. II 19) eodem nomine occurrit apud anon. p. 175, apud quem tamen illam potius habet vim — vide exemplum — quam *προσαπόδοσις* apud Gorg. (Rut. I 1). —

latinos usquam occurrit (etiam auctor carm. de fig. v. 34 nomen *ἐπαναφορᾶς* habet). Sed ea spe deceptus sum: non enim dubium, quin Phoebammo, si revera in appendice adhibuisset Gorgiam, figuram *ἐπαναφορᾷ* vel *ἐπιβολῇ* contrariam secundum Gorgiam *ἐπιφοράν* fuerit appellaturus: at *ἀντιστροφή* ibi vocatur, quod est nomen usitatum. Praeterea fig. *προσαποδόσεως* quae ibidem exstat nil habet cum Gorgiana commune, et Phoebammonis fig. *κλίμακος* apud Gorg. *ἐπιπλοκή*, *πλοκῆς* fig. apud illum *διαφορά* vocatur (vide supra).

Denique propriae Gorgiae sive Rutilii sunt neque apud alium quemquam eodem modo appellatae definitaeque exstant hae figurae tredecim:

παραδιαστολή Gorg. (Rut. I 4); *ἀνάκλασις* I 5; *πολυσύνδετον* I 14; *παρένθεσις* I 17; *παρομολογία* I 19; *ἀναγκαῖον* I 20; *μετάβασις* II 1; *δικαιολογία* II 3; *βραχυλογία* II 8; *συνοικείωσις* II 9; *παρόμοιον* II 13; *παρρησία* II 18; *τάξις* II 20.[1])

Adparet igitur apud Graecorum posterioris aetatis rhetorum qui figuras tractaverunt nullum vestigia quibus ad Gorgiam ducamur posse deprehendi, ut ne horum quidem libri ulla in re ad investigandum, quae libri Rutiliani genuina fuerit forma, nobis emolumento sint.[2])

1) Iisdem quibus supra de causis omisi in ea comparatione figuras *ἀντιμεταβολῆς ἠθοποιίας ὁμοιοτελεύτου.*

2) Omni igitur in re Gorgiae sive Rutilii schemata lexeos discedere a ceteris qui postea hanc materiam tractaverunt ex tota hac comparatione satis superque elucet. Sed quaeritur, num revera omnino adeo singularem locum qualis potest videri ex ea comparatione illae figurae obtineant. Quam ad disceptandam quaestiunculam easdem figuras cum iis qui ante Quintiliani aetatem seu non multo ante Gorgiam seu iisdem fere quibus ille scripsit temporibus de figuris egerunt, quorum quidem libros etiamnunc in manibus habemus, scilicet cum incerto auctore rhetoricorum ad Herennium ac cum Cicerone, cuius quidem soli de oratore libri hanc in partem introspiciendi sunt, accurate contuli. Quam comparationem omnem hoc loco ponere supersedere possum: ut eius summam faciam, multas figuras vulgatiores, quas Rutilius habet, legi etiam apud auct. ad Her. Ciceronemque nullius certe momenti est. Ac ne id quidem, quod plures figurae ceteroquin rarae ibidem occurrunt, multum referre puto. Illud vero gravissimum iudico, quod figuras quasdam, quae, excepto videlicet Quintiliano carminisque de figuris incerto auctore, apud nullum omnino posteriorum rhetorum leguntur, Gorgias sive Rutilius communes habent cum auctore ad Her. ac Cicerone, veluti *προσαπόδοσιν μερισμόν δικαιολογίαν βραχυλογίαν τάξιν.* Valdeque observandum mihi videtur Rutilii verborum figuras *παρασιωπήσεως ἐπιτροπῆς αἰτιολογίας*, quae postea tantummodo inter dianoeas schemata sunt habitae, in auctoris ad Her. Ciceronisque libris peraeque atque apud ipsum Rutilium inter lexeos schemata enumerari. Quemadmodum igitur auctoris ad Her. rhetoricorum libros quattuor et Ciceronis de oratore libros tres tum utriusque libri eas potissimum partes, quae in describendis figuris versantur, cognationis quodam vinculo esse coniunctas inter sese a viris eruditis iam pridem statutum est, sic Gorgiae sive Rutilii figuras, quas, qui adhuc in Rutilium inquisivere, velut Dzialas et Draheim, prorsus singularem obtinere locum rati sunt, fontium quadam communione accedere ad auctoris ad Her. et Ciceronis figuras non posse negari credo: quamquam quales hi ipsi fuerint fontes, certa argumentatione indagari vix poterit.

e) Eo magis gaudere debemus, quod integro Rutilii libro usus est Quintilianus in institutionis oratoriae libro nono: cuius quidem verba quae ad Rutilium spectant si quam accuratissume consideramus, permulta inde possumus elicere ad id quod propositum est diiudicandum.

§ 5. Num Rutilius sententiarum figuras suas eodem modo atque figuras verborum definiverit exemplisque illustraverit.

Iam ut ad rem ipsam accedam, primo loco exsistit quaestio, num Rutilius sententiarum figuras deperditas, de quibus eum egisse Quintilianus testis est[1]), eodem modo quo verborum figuras definiverit exemplisque illustraverit.

Ac Quintiliani quae huc pertinent verba cum non satis diligenter perscrutaretur, Draheim in hanc quaestionem disceptandi rationem incidit, ut mihi videtur, improbabilem. Censet enim p. 3 sententiarum figuras a Rutilio tantummodo enumeratas esse sive in praefatione sive absolutis verborum figuris: mavult tamen prooemium eas complexum esse. Nititur Quint. IX II 102, ubi et Rutilium et Celsum posuisse multa alia schemata dianoeas legimus: quod verbum *ponere* cum ita interpretetur, ut esse idem atque *adscribere* iudicet, adscriptas tantum alteri figurarum generi a Rutilio eas figuras esse statuit.

At recte eum iudicasse mihi persuadere nequeo. Hoc enim verbum *ponere*, quod ille quasi amplectitur, idem hoc loco sibi velle atque enumerare sine definitionibus exemplisque quis necessarie demonstrare poterit? Sane haec quam Draheim inesse huic verbo vult notio optime quadrat in illum quem initio paragr. 102 Quintilianus memorat Ciceronem *(praeter illa vero quae Cicero inter lumina posuit sententiarum)*, qui revera in tertii de oratore libri c. 53 et 54 figuras suas omissis definitionibus exemplisque necnisi de usu paucis interdum additis ex ordine posuisse satis habuit. At paragraphum proxime antecedentem 101 si introspicimus, legimus ibi haec: *et Celsus tamen et non neglegens auctor Visellius in hac eam parte posuerunt, Rutilius quidem Lupus in utroque genere idque ἀντίθετον vocat.* Rutilius scilicet et inter lexeos et inter dianoeas schemata posuit figuram ἀντιθέτου: cuius utriusque generis antitheti unum inter schemata lexeos servatum

1) Quattuordecim ille figuras sententiarum Rutilianas memorat: IX II 103 et 106 duodecim laudat; praeterea figuras et ἀντιθέτου et ἀναγκαίου in utroque genere, scilicet inter figuras et verborum et sententiarum, positas ab illo dicit (IX II 101 et II 106, III 99).

nobis est cum definitionibus exemplisque; tres etiam quasi species Rutilius huic generi subiungit, quarum unamquamque et definit et exemplo illustrat: ac tamen hanc accuratam descriptionem tantummodo verbo ponere Quintilianus significat. Cf. etiam IX III 93: *quod apud eundem* scilicet Rutilium *primo loco positum est* scilicet schema *προσαποδόσεως*: cuius quidem figurae non nomen solum, sed duae etiam quasi species, quarum utraque descripta, utraque exemplo illustrata est, inter Rutilii quae habemus schemata lexeos exstant. Cf. omnium maxume IX III 99, ubi legimus: *item Rutilius praeter ea quae apud alios quoque sunt παρομολογίαν ἀναγκαῖον* et quae sqq. scilicet posuit inter figuras verborum (supplenda haec e paragr. 97); quae novem figurae inter ipsa lexeos schemata nobis servata cum definitionibus exemplisque leguntur. Praepropere igitur Draheim ea quae IX II 102 ad Rutilium spectant verba ita intellegenda opinatus est, quasi Rutilius sententiarum figuras suas a Quintiliano memoratas huic generi tantummodo adscripserit.

Immo sententiarum item ut verborum figuras accurate descriptas exemplisque auctas esse a Rutilio veri omnium simillimum est. Ut modo vidimus, *ἀντιθέτου* figurae, quam inter figuras et verborum et sententiarum a Rutilio positam Quintilianus IX II 102 refert, genus unum scilicet lexeos cum definitionibus exemplisque servatum exstat. Quod cum ita sit, num forte probabile est Rutilium illud alterum genus antitheti scilicet dianoeas adscripsisse tantummodo sententiarum figuris neque quicquam addidisse, quanam re haec sententiarum figura ab eiusdem nominis figura verborum differret, ita scilicet ut hanc quoque describeret exemplaque poneret? Mihi quidem prorsus incredibile hoc videtur.

Idem statuendum est de figura *ἀναγκαίου*. In alterius enim capitis paragr. 106 Quintilianus dicit haec: *Rutilius sive Gorgias ἀναγκαῖον, ἀνάμνησιν* et quae sqq. scilicet inter lumina posuit sententiarum; in tertii capitis paragr. 99 etiam inter verborum figuras hanc a Rutilio figuram positam esse idem testatur, ita tamen ut ipse eam verborum esse figuram neget.[1]) Huius quoque figurae genus utrumque mea sententia Rutilio ita erat tractandum, ut a

1) § 97: *Sola est in eo libro* sc. Ciceronis tertio de oratore *posita inter figuras verborum* . .; § 98: *adicit his Caecilius περίφρασιν, de qua dixi, Cornificius interrogationem* . . *quorum priora alterius generis* scilicet sententiarum *sunt schemata, sequentia schemata omnino non sunt*; § 99: *item Rutilius praeter ea quae apud alios quoque sunt παρομολογίαν, ἀναγκαῖον* et quae sqq. scilicet inter figuras verborum posuit, *de quibus idem dico* scilicet aut sententiarum potius ea schemata aut nulla esse.

figura *ἀναγκαίου*, quae inter schemata lexeos cum definitione duobusque exemplis nobis praesto est, alteram sententiarum discerneret eodem modo definitione exemplisque additis.

Aliud mihi contra Draheimium adest argumentum eos locos quibus Celsi rationem habet Quintilianus intueuti. Quaeritur enim, quemadmodum in sententiarum figuris suis tractandis ille, quem hausisse e Rutilio teste Quintiliano supra exposui, versatus sit. Atque lucem aliquam afferre videtur Quintiliani locus quem iam citavi IX II 22: mea enim sententia Quintilianus hanc figuram, cui apud Celsum nomen sustentationis impositum legerat, eandem esse atque eam, quam ipse figurae communicationis quasi speciem memorat, non statim intellegere poterat, nisi illi apud Celsum nomini adiuncta erat definitio. Recte autem me iudicare, cum ex solo nomine nequaquam posse semper, ipsius figurae quae sit notio, colligi adfirmo, ex eodem Quintiliano elucet, qui in tertio capite, apud Ciceronem quid sibi velint figurae mutationis (§ 92), ad propositum subiectae rationis (§ 93), relationis (§ 97), sibi non liquere fatetur, idcirco videlicet quod Cicero in tertio de oratore earum figurarum sola nomina sine definitionibus posuerat. Etiam c. II paragrapho 106, ubi Celsum dicit Quintilianus, consequens an epichirema esset, dubitasse — est autem haec figura ex iis quas e Rutilio petivit ille (cf. § 103) — quod dixi, confirmari puto. Itaque accurate descripsisse Celsum figuras suas sententiarum equidem pro certo adfirmaverim. Atqui eundem *accessisse* Rutilio § 102 legimus. Ergo Rutilius quoque non enumeravit solum figuras suas sententiarum, sed definivit singulas exemplisque illustravit.

Nec nullius momenti puto quod iam Iw. Mueller in recensione Draheimii libelli (cf. Jahresber. d. Fortschr. d. klass. A.-W. 1879, 2 p. 156) contra illius opinionem monuit. Nimirum codicum inscriptio ea quam, quoniam alterius libri inscriptioni nihil esse tribuendum supra demonstravi, solam respicere licet, primi scilicet libri inscriptio — cf. etiam alterius subscriptionem — est *schemata dianoeas*, quam quidem ita esse factam, ut doctus quidam homo schemata lexeos, quae sola Rutilii libri servati exhibent, et dianoeas schemata inter sese confunderet, absimile vero Mueller recte iudicavit: supplenda igitur cum Ruhnkenio sunt verba *et lexeos*. Quodsi hanc tenemus inscriptionem — quam ipse proponam levem mutationem vide infra —, tum ea verba coniuncta sententiarum figuras a Rutilio minime obiter tantummodo enumeratas, sed eadem ratione qua verborum figuras quas habemus tractatas esse aperte indicant.

Summa igitur eorum quae contra Draheimium disputavi haec est Rutilium schemata dianoeas, quae et ex codicum primi libri inscriptione alteriusque subscriptione et e Quintiliani testimoniis eius librum exhibuisse elucet, non enumerasse solum omissis definitionibus exemplisque, sed eodem modo descripsisse atque schemata lexeos quae servata exstant.

§ 6. Quot libris Rutilius sententiarum figuras, quot omnes omnino figuras tractaverit.

Iam quaeritur, quantum libri sui Rutilius his sententiarum figuris tribuerit: quae quidem quaestio cum primum expedita erit, simul efficietur inde, quantum omnes omnino Rutilii figurae expleverint.

Ac vel ex iis quae supra evicisse mihi videor colligere debeo nullo modo in prooemio, quae est Draheimii opinio[1]), sed in maiore totius libri, ipsius scilicet figurarum tractationis parte sententiarum figuras a Rutilio descriptas esse.

Duo libri nobis adsunt schemata lexeos continentes quadraginta unum numero. Quot autem dianoeas schemata Rutilius descripsisse putandus est? Quintilianus Rutilii schemata lexeos sedecim laudat, quibus in duobus libris servatis viginti quinque alia, scilicet quae et alii habebant, adiuncta videmus. Quodsi quattuordecim dianoeas schematibus, quae idem ille memorat Rutilii propria, item adicimus eiusdem generis figuras vulgatiores, sequitur, ut idem fere numerus schematum dianoeas apud Rutilium atque lexeos fuerit. Atque ut in libris duobus qui sunt de schematibus lexeos servatis minime duo genera diversa schematum lexeos habemus, sed ex numero ea aequaliter divisa esse adparet, ut ne nimis multas figuras unus liber complecteretur, sic illa schemata dianoeas, quae totidem fere fuisse quot lexeos probabile modo reddidi, item aequaliter divisa fuisse, ita ut dimidia pars uni, altera dimidia alteri tribueretur libro, veri simillimum iudicaverim. Mea igitur sententia etiam sententiarum figurae duobus libris, quattuor igitur libris cunctae figurae continebantur. Quae cum ita sint, suspicionem quandam mihi praebent quae apud Quint. IX II 102 legimus: *praeter illa vero quae*

1) Prooemio instructum fuisse Rutilii librum ex probabilitate tantum demonstrari potest: ceteros enim latinos rhetores et graecos qui de figuris proprios libros nobis servatos scripserunt si perlustramus, hunc eorum communem fuisse usum videmus, ut partim uberrime velut Alexander Numenii, Phoebammo, partim pauca sane velut Aquila Romanus, Tiberius, Herodianus, Polybius, Zonaeus, alii praefarentur.

Cicero inter lumina posuit sententiarum multa alia et idem Rutilius Gorgian secutus, non illum Leontinum sed alium sui temporis, cuius quattuor libros in u n u m *suum transtulit, et Celsus, videlicet Rutilio accedens, posuerunt schemata* . . Per sese quasi intellegitur non offendere me in eo, quod, Quintiliani lectionem si servamus, uno libro de utroque figurarum genere Rutilius egisse statuendus est, cum vel alii rhetores plures, velut auctor ad Herennium, Aquila Romanus, Tiberius, Herodianus, Zonaeus, anonymus **περὶ τῶν σχημάτων τοῦ λόγου** uno libro genus utrumque complexi sint. Ac parum munita mihi via videtur qua Ahrens eo venit, ut veram esse eam lectionem addubitet (vide Zeitschr. f. A.-W. 1843, p. 158): neque enim est, quod abhorrere ab usu dicendi ea verba . . *in unum suum transtulit* credamus, nec satis intellego, cur prorsus improbabilem ille dicat divisionem bis factam, quae quidem, eam lectionem si retinemus, statuenda est: tum videlicet sic rem explicare debemus, ut ipsum Rutilium in unum librum quattuor Gorgiae libros transtulisse, sed posterioris aetatis doctum quendam hominem respicientem fortasse illud, quod Quintilianus testatur quattuor fuisse Gorgiae libros, hunc unum Rutilii librum rursum in quattuor libros divisisse iudicemus. Sed alia de causa mihi videntur haec verba ipsa corruptelae speciem prae se ferre. Testatur scilicet Quintilianus translatos a Rutilio Gorgiae quattuor libros esse. Sed quicunque accuratius introspexerit hunc locum, ei ille non poterit non videri iisdem verbis *cuius quattuor libros in unum suum transtulit* significare in brevius contractos esse a Rutilio illos Gorgiae libros: nam nemo certe opinabitur in transferendo Rutilium, quaecunque apud Gorgiam in quattuor volumina dispertita legisset, ea ita, ut divisionem tantum illam omitteret, figuras vero definitionesque omnes ac cuncta exempla retineret, in unum volumen coegisse: aut de epitome aut de excerptis is qui simplicem in modum intellegere ea verba volet. cogitare debebit. At tale quid num forte probabile est? Neque in definitionibus figurarum Rutilii neque in exemplorum numero requiritur quicquam — vide quae eadem de re alio sententiarum nexu supra exposui —; quare ipsum Gorgiam aliquanto plura verba de singulis figuris fecisse pluraque posuisse exempla credere vetamur. Ac quamquam ad unam omnes figuras translatas esse a Rutilio certis argumentis comprobari nequit, multas tamen ab eo omissas esse — tale quid autem postulant ea Quintiliani verba — prorsus incredibile est: certe si quas figuras omnino voluisset Rutilius omittere, mea sententia eas potissimum omisisset, quae quid signi-

ficarent apud Gorgiam, eum non satis intellexisse — dico figuras *παρομοίου ὁμοιοτελεύτου ὁμοιοπτώτου* — supra probabile reddidi: at etiam hae quamvis parum dilucide distinctae apud Rutilium exstant.[1]) Non igitur sanum omni in re illum Quintiliani locum puto: sanari tamen perfacile ita potest, ut cum Ahrensio unius tantum litterae mutatione pro *unum* scribamus *usum*. Quam coniecturam omni in re probabilem si recipimus, tum difficultas omnis sublata est: tum enim nihil impedit, ne divisionem in quattuor libros a Gorgia factam ab ipso Rutilio servatam statuamus.

§ 7. Utrum priore loco Rutilius figuras sententiarum an verborum descripserit.

In ipsa autem figurarum tractatione, quam quattuor libros esse complexam veri longe simillimum est, oritur quaestio, utrum priore loco descriptae fuerint sententiarum figurae an verborum.

Sane solebant qui utrumque genus figurarum tractabant prius schemata dianoeas quam lexeos describere, quia et naturae humanae id magis convenire putabant prius concipienti animo res quam pronuntianti et graviores utilioresque in exornanda oratione figuras sententiarum quam elocutionis iudicabant. Quamquam non desunt, qui dianoeas schemata post schemata lexeos tractaverint, velut auctor ad Herennium et Phoebammo, id quod vel ideo non est mirandum, quia verborum figuras prius quam sententiarum a rhetoribus notatas esse certo constat. Plerumque tamen veteres rhetores a schematibus dianoeas fecerunt initium, ut Cicero (de orat. III 53 et 54), Quintilianus (cf. IX I 19: *ut vero natura prius est concipere animo res quam enuntiare, ita de iis figuris ante est loquendum quae ad mentem pertinent: quarum quidem utilitas cum magna tum multiplex in nullo non orationis opere vel clarissime elucet*), Alexander Numenii (p. 27: *τὰ μὲν τῆς διανοίας σχήματα προείρηται κατὰ λόγον ἡμῖν· παντὸς γὰρ λόγου προάγει ἡ τοῦ διανοήματος εὕρεσις, ἕπεται δὲ λέξις τῷ διανοήματι δι᾽ αὑτῆς ποιοῦσα φανερὸν αὐτό*), Aquila Romanus (p. 23: *percurramus igitur sententiarum figuras: natura est enim prius sentire quam eloqui*), Tiberius (p. 59: *πρῶτον οὖν τὰ τῆς διανοίας σχήματα δεικτέον, ἐπεὶ δεῖ τὸν νοῦν πάντως τοῦ λόγου προηγεῖσθαι*), Herodianus, Martianus Capella.

1) Ceterum his de rebus infra in capite tertio quod est de ratione quae inter Rutilium et Gorgiam intercedat agetur pluribus.

Nec dubitarem conicere hunc ordinem usitatiorem etiam Rutilium secutum esse, nisi duae mihi adessent causae, de quibus alium fuisse illius ordinem crediderim.

Ac primum reputemus nobiscum quae leguntur apud Quint. IX III 93: *nam de illo dubitari possit an schema sit, in distributis subiecta ratio, quod apud eundem* scilicet Rutilium *primo loco positum est. προσαπόδοσιν dicit* et quae sqq. Scilicet primo loco positam esse figuram προσαποδόσεως apud Rut. Quintilianus testatur, quocum testimonio locus is quem obtinet ea figura in libris duobus servatis congruit. Hanc autem a Rutilio elocutionis figuram esse habitam ipso huius loci Quintilianei nexu sententiarum comprobatur. Fortasse obiecerit mihi quispiam ea verba sic intellegenda, quasi inter verborum tantum figuras primo loco positam fuisse eam figuram Quintilianus tradiderit, cum praesertim quae ille in tertii capitis fine inde a paragr. 87 usque in paragr. 99 refert ad verborum figuras in antecedentibus paragraphis descriptas additamenta quaedam sint, quibus plures memorat apud Ciceronem, Rutilium, alios figuras verborum, quas ipse aut sententiarum potius aut omnino non figuras putat. At plane simplicem in modum sic potius ea verba accipienda esse mihi videntur, ut non ad elocutionis tantum figurarum, sed ad omnium initium, ad universam figurarum tractationem pertineant; unde efficitur priore loco schemata lexeos a Rutilio tractata esse.

Accedit alterum. Ut supra vidimus, figuras ἀντιθέτου (cf. Quint. IX II 101) et ἀναγκαίου (cf. IX II 106 et III 99) et inter sententiarum et inter elocutionis figuras a Rutilio positas esse Quintilianus memorat. Quibus de figuris cum separatim ageret Rutilius, aut in dianoeas aut in lexeos schematum descriptione, qualis inter ἀντιθέτου schema dianoeas et schema lexeos atque inter ἀναγκαίου schema dianoeas et schema lexeos differentia intercederet, explicasse putandus est. Quodsi priore loco Rutilius schemata dianoeas posuisset, licuisset ei aut priore loco has duas figuras sententiarum ab eiusdem nominis verborum figuris discernere, quo facto posteriore loco inter figuras verborum verbo saltem memorare debebat has iam antea a se figuras tractatas esse, aut posteriore demum loco i. e. inter schemata lexeos quae adhuc exstant eam differentiam notare. At horum ego neutrum in descriptionibus ἀντιθέτου et ἀναγκαίου schematum lexeos quae etiamnunc habemus factum video: nam et accuratissima ibi exstat utriusque figurae definitio, nullo verbo addito e quo iam in antecedentibus has ab eo figuras memoratas et ab eiusdem nominis dianoeas schema-

tibus priore scilicet loco positis discretas esse liceat suspicari, neque quicquam ibi, quemadmodum inter sese differant haec duo schemata lexeos eademque dianoeas, legitur.[1]) Ergo apte ea differentiae significatio non potuit nisi ita fieri, ut post schemata lexeos dianoeas schemata descripta esse a Rutilio statuamus.

Quae duo argumenta nequaquam omnium esse gravissima et firmissima ipse mihi persuasi; sed cum pluribus multoque etiam gravioribus argumentis hoc ordine tractasse Rutilium illa duo genera schematum comprobare nequeam, in his quae attuli ad stabiliendam sententiam meam acquiescendum mihi est, nec probabilia saltem haec ipsa iudicare antea desinam, quam certissumis rationibus aliquis errare me demonstraverit.

§ 8. Quomodo liber Rutilianus inscribendus sit.

Iam etiam, quomodo ipsum Rutilium libros suos inscripsisse veri sit simillimum, diiudicari potest.

Inscriptionis illius quae exstat in libro altero ratio mihi habenda non iam est. Relinquuntur igitur quae primi initio libri et in fine alterius codices praebent. Ac mentio Gorgiae *(P. Rutilii Lupi schemata dianoeas ex graeco uorsa Gorgia)*, utpote quae ex Rut. II 12 haud dubie illata sit, removenda est. Sed figuras elocutionis quas libri servati exhibent a docto quodam homine confusas esse figuris sententiarum, ita ut is per errorem hos duos libros inscriberet *schemata dianoeas*, cum Iw. Muellero veri esse dissimillimum supra statui. Ergo in ea inscriptione *schemata dianoeas* vestigia exstare quibus ad inscriptionem ab ipso Rutilio factam ducamur certum est: quae quidem verba, cum tantummodo elocutionis figuras libri servati praebeant, corrupta esse adparet. Atque Ruhnken in edit. suae annot. ad p. 2: auctor ipse, inquit, ni fallor, hunc libro suo titulum fecerat: *P. Rutilii Lupi schemata dianoeas et lexeos ex Graecis Gorgiae versa.* Halm, cum lexeos tantum schemata duobus qui supersunt libris contineantur, in-

1) Rut. I 20: *ἀναγκαῖον. hoc schema tunc prodest atque omnis eius utilitas in eo est, cum volumus ostendere necessitudinem aut naturae aut temporis aut alicuius personae.*

II 16: *ἀντίθετον. hoc pluribus modis fieri solet et habet in omni genere orationis summam utilitatem. Quare separatim demonstrandum est de unoquoque genere eius. Unum est, cum contrariae res inter se conferuntur . . hoc idem fieri potest in una persona . . est autem aliud genus huius, quod in eadem sententia priori verbo contrarium quod est infert et coniungi solet . . . aliud est, item quod superiori infertur, sed consequenter . . .*

scribit hos: *P. Rutilii Lupi schemata lexeos;* contra quod recte monet Draheim inde, codicum scriptura *schemata dianoeas* quomodo nasci potuerit, non posse intellegi. Ipse Draheim inscribendum aut *P. Rutilii Lupi schemata* aut *P. Rutilii Lupi de figuris* censet. Ego recurrendum — remota videlicet Gorgiae mentione — ad Ruhnkenii inscriptionem iudico, ita tamen ut teneam quod modo veri simile reddidi de ordine quo illa duo genera schematum Rutilius tractaverit: quod si verum est, ipse Rutilius libros suos inscripsit hoc modo: *P. Rutilii Lupi schemata lexeos et dianoeas.*

III.

QVAE INTER RVTILIVM ET GORGIAM INTERCEDAT RATIO EXPLICATVR.

Ad extremum, qualis inter Rutilium et Gorgiam intercedat ratio, liceat explanare; cuius quidem quaestionis ex parte iam in antecedentibus fundamenta ieci.

Est autem liber Rutilianus translatus secundum Quint. IX II 102. Ac quattuor Gorgiae de schematibus lexeos et dianoeas libros Rutilium item quattuor libris, ita ut utrique generi figurarum binos libros tribueret, latine vertisse veri omnium simillimum supra statui.

Sed quaeritur, in transferendo quatenus illum graecum rhetorem secutus sit.

§ 9. Num omnes Gorgiae figuras Rutilius transtulerit.

Ac primum quidem ipsarum Gorgiae figurarum nullam non esse a Rutilio translatam crediderim. Quamquam certissumis argumentis comprobare hanc meam sententiam nequeo, sed ne obstat quidem quicquam, quominus ita iudicem. Exspectare nos, si omnino voluisset Rutilius excerpere tantum quae sibi placerent, eas potissimum figuras eum omissurum fuisse quae II 12—14 leguntur supra monui. Nec Quintiliani verba sententiae meae repugnant; nam reiciendum est quod Draheim p. 6 et 10 censuit ex ipso Quintiliano posse colligi non omnes Gorgiae figuras a Rutilio translatas esse: non vult enim credere Quintilianum intermissa tantum Celsi commemoratione bis de Rutilio, nimirum IX II 103 et 106, dixisse ideoque paragr. 106 ad Rutilium sive Gorgiam, 103 ad

solum Gorgiam referendam statuit, ita ut § 106 Quintilianus enumeret communia utriusque rhetoris schemata, § 103 autem quae solius sint Gorgiae: *consummationem, quam Graecus διαλλαγήν vocat, cum plura argumenta ad unum effectum deducuntur: consequens, ille ἐπακολούθησιν ...: collectionem qui apud illum est συλλογισμός· minas id est κατάπληξιν· exhortationem, παραινετικόν.* Error in aperto: scilicet cum miraretur Draheim duobus locis Quintilianum separatim sententiarum figuras quas alii non haberent Rutilianas sive Gorgianas memorasse nec potius uno quasi tenore has deinceps enumerasse, totius huius loci qui inde a § 102 usque in § 106 pertinet nexum sententiarum perperam intellexit. Ni fallor, eum esse nexum opinatus est, quasi II 102 Quintilianus multas alias figuras posuisse et Rutilium, Gorgiam secutum, et Celsum, Rutilio accedentem, memoret et in sequentibus hos quos modo nominaverat singulos percurrens primum § 103 Gorgiae, deinde § 104 et 105 Celsi, denique § 106 Rutilii sive Gorgiae complures figuras enumeret. At revera cohaerent haec inter se hunc in modum: § 102 et 103 Quintilianus sententiarum figuras, quales alibi non exstent, enumerat eas quas Gorgias Rutilius Celsus, ita scilicet ut e Gorgia Rutilius, e Rutilio Celsus hauserit, communes habent, quinque numero; § 104 et 105 eas quas solus Celsus habet, non igitur communes cum Rutilio sive Gorgia, sed ipse finxit, septendecim numero; denique § 106 eas quas Gorgias et Rutilius soli habent, non igitur, sicut § 102 et 103, cum Celso communes, octo numero. Non habemus igitur, quod cum Draheimio offendamus in eo quod post § 102 et 103 Quintilianus interiecta Celsi commemoratione § 106 iterum alias quasdam Rutilii sive Gorgiae figuras affert. Atque ut solius esse Gorgiae ea schemata quae § 103 leguntur adfirmaret, Draheim, praeterquam quod nexum sententiarum non perspexit verbaque paragraphi 103 a proxime antecedentibus omnino disiunxit, fortasse eo etiam motus est quod Quintilianus § 103 sic pergit: .. *consummationem quam* G r a e c u s *διαλλαγήν vocat ..: consequens,* i l l e *ἐπακολούθησιν ..: collectionem qui apud* i l l u m *est συλλογισμός* . . . Quamquam has voces *Graecus* .., *ille* .., *illum* .. spectare ad solum Gorgiam adparet; sed ibi mea sententia Quintilianus, cum ceteroquin Rutilium quam Gorgiam laudare mallet, sibi non constitit de consulto, quia, cum Graecas harum figurarum appellationes Graecis litteris scriptas afferre iisque latina nomina ab ipso ficta opponere vellet, Graecum scriptorem nominare quam Rutilium, tametsi is easdem appellationes Graecis litteris scriptas retinuerat, rectius ducebat. Sed hoc utut est, ea

verba quae § 103 leguntur artissime coniungenda esse cum § 102 sententiarum nexus is quem ego recte expedivisse mihi videor docet: ibi autem cum Rutilii nomen legatur Gorgiam secuti, sequitur, ut et Gorgias et Rutilius eas quinque figuras habuerint.

Cunctas igitur figuras Gorgiae a Rutilio esse translatas non est cur negemus.

§ 10. Quemadmodum in definitionibus Gorgiae transferendis Rutilius versatus sit.

Alia est quaestio, quemadmodum in transferendis Gorgiae definitionibus Rutilius versatus sit.

Atque ad verbum definitiones Gorgianas ille minime vertit. Ut supra exposui, cum exemplis potius quam definitionibus explanare unamquamque figuram vellet, definitiones figurarum plerasque neglegenter aliqua in re tractavit, ita scilicet ut describeret eas potius quam definiret. Itaque pro certo adfirmaverim ipsum Gorgiam definiendis singulis figuris magis quam illum operam dedisse. Tales autem distinctiores finitiones etiam paucioribus verbis a Gorgia quam a Rutilio poterant absolvi. Neque facio cum Draheimio qui p. 10, omnino quod pluribus Gorgias exposuisset, Rutilium brevi rettulisse persuasum habet. Nam quem ille affert locum ex parte iam supra citatum II 12: *παρόμοιον. hoc schema et homoeoteleuton et homoeoptoton fere non multum inter se distant. Tamen quid intersit, et ex uniuscuiusque supposita sententia cognoscere poteris et multo diligentius ex Graeco Gorgiae libro, ubi pluribus uniuscuiusque ratio redditur* —, is mihi non videtur ad hanc eius confirmandam sententiam valere. Quid enim? Ea verba num forte necesse est ad cunctas Rutilii figuras referamus omnesque a Gorgia multo uberius tractatas esse credamus? Immo tantummodo ad hunc unum locum mea sententia ea spectant: hoc uno loco, qui est de figuris παρομοίου ὁμοιοτελεύτου ὁμοιοπτώτου, de harum differentia figurarum *multo diligentius* dixisse Gorgiam propterea Rutilius memorat, quod, cum earum vim differentiamque apud illum non penitus intellexisset — vide quae supra non semel ea de re exposui —, ita se expedire ex hac difficultate optimum ducebat factu, ut ad exempla et ad ipsum Gorgiam nos relegaret. Non igitur cum Draheimio (cf. etiam Teuffelii-Schwabei hist. lit. Rom., p. 648, Schanzii p. 437) testimonium hoc luculentissimum puto e quo eluceat in omnium descriptionibus figurarum, quae accuratius Gorgias explicasset, a Rutilio in brevius contracta esse, amplioresque fuisse Gorgiae definitiones cunctas, cum in ipsius Ru-

tilii figurarum descriptionibus — videlicet praeter II 12—14 —, ut sint ampliores, non requiratur, nego.

§ 11. Num in exemplis suis Rutilius versiones latinas adhibuerit.

Relinquitur, ut de exemplis disseram ac quo iure plures viri docti de versionibus latinis a Rutilio in exemplis suis adhibitis cogitaverint examinem.

Profecti autem sunt, qui Gorgiae exempla ipsum Rutilium latine vertisse negaverunt, ab observatione quadam dicendi generis: quod quidem, quale in exemplis nobis occurrit, differre ab eo, quod in descriptionibus usurpatum videmus, manifestum est. In definitionibus enim figurarum simplicior, elegantior in exemplis videtur sermo, ut in exempla tantum mea sententia optime quadrent quae in universo scribendi genere Rutiliano his verbis Ruhnken praef. p. XV laudat: omnia simplicem et naturalem pulchritudinem habent, similem Tullianae, cuius imitandae studium aliquot locis etiam deprehendimus. Esse igitur concedo, cur eiusmodi stili discrepantiam, qualis est revera, miremur studeamusque, qui potuerit intercedere, aliqua ratione explicare.

Atque Is. Casaubonus ad hanc quam praebet stili diversitas difficultatem tollendam eam viam ingressus est, ut Rutilium definitiones illas quidem figurarum e Gorgia transtulisse, sed in exemplis secutum esse aliorum quae tum ferebantur versiones latinas existumaret (cf. Ruhnk. praef. p. XVII). Quam illius opinionem cum Ruhnken verbo refellendam putaverit, ego accuratius inquiramus in eam necesse puto vel ideo, quod huius aetatis vir illustrissimus Iw. Mueller (in recens. Valetonis diss. Groning. de M. Valerio Messalla Corvino a. 1874 ed., cf. Jahrb. d. F. d. kl. A.-W. 1879, 2 p. 155) eandem opinionem repetivit, ita quidem, ut, cum Casaubonus eundem quo niteretur locum respiciens de certo quodam homine, ni fallor, nondum cogitasset, ipse petita ex Messallae versionibus latinis Graecorum oratorum haec exempla Rutiliana esse coniceret.

Exstitisse autem tales versiones latinas cum aliorum tum Messallae testatur Quintilianus X v 2 his verbis: *vertere Graeca in latinum veteres nostri oratores optimum iudicabant. Id se L. Crassus in illis Ciceronis de oratore libris dicit factitasse: id Cicero sua ipse persona frequentissime praecipit, quin etiam libros Platonis atque Xenophontis edidit hoc genere translatos: id Messallae placuit, multaeque sunt ab eo scriptae ad hunc modum orationes, adeo ut etiam cum illa Hyperidis pro Phryne*

difficillima Romanis subtilitate contenderet; quem locum illi duo viri eruditi ante oculos habuerunt.

Quaeritur igitur, num tales versiones latinas, quales exstitisse e Quintiliano adparet, a Rutilio adhibitas esse veri sit simile.

Mihi quidem pluribus de causis hoc improbatur.

Ac primum, ipsum Rutilium si introspicimus, aequabile prorsus esse dicendi genus exemplorum nemo non statim intellegit. Sequitur, ut ab uno eodemque exempla omnia conscripta sint: hoc contra Casaubonum de aliorum, plurium scilicet, versionibus quibus usus sit Rutilius cogitantem monere licet. Sed etiam Mueller, is qui unum ante oculos habuit Messallam, refelli potest. Sunt enim Graeci scriptores e quibus exempla apud Rut. leguntur hi: Aristobulus I 18 (Classeni coniecturam si recipimus: codices habent Aristotelem); Aristoteles I 6; Charisius I 10, II 6, II 16; Cleochares I 2, 10; Daphnis I 15; Demetrius Phalereus I 1, II 16; Demochares I 5, 20; Demosthenes I, 7, 16 bis, 17 bis, 21, II 1, 4, 9 bis, 18; Dinarchus I 14, II 16, 20; Hegesias I 7, 11, II 2, 10; Hyperides I 4, 19 bis, II 2, 6, 9, 11, 17; Isidorus II 16; Lyco II 7; Lycurgus I 2, 7, 13, 18, II 11, 18; Lysias I 13, 15, 21, II 3, 4, 8 bis, 9, 10; Myro I 20, II 1; Plato I 6; Pytheas I 11, 14; Sosicrates I 8, II 13; Stratocles I 9, II 20; Theophrastus I 6: quos si computamus, colliguntur numero viginti unus. Muelleri igitur ad Messallam Rutilii exempla Graeca referentis si sententiam probamus, sequitur, ut ab uno Messalla horum omnium scriptorum viginti unius orationes latine versae sint. At praeterquam quod omnino non constat tot scriptorum Graecorum versiones latinas exstitisse factas a pluribus, unde depromere exempla sua Rutilio licuisset, prorsus incredibile mihi videtur ab uno eodemque, Messalla scilicet, horum omnium translationes paratas esse; a quo tametsi multas latine versas orationes Quintilianus memorat, tamen adeo multorum ab illo orationes translatas esse veri est dissimillimum.

Adde quod orationes graecas a Messalla latine versas esse Quintilianus prodit, at in Rutilianis exemplis quaedam nobis occurrunt etiam e Platone Aristotele Theophrasto, non certe ex orationibus petita[1]); quod cum nonnullius sit momenti, non praeter-

1) Exemplum I 6 primo loco positum e Platonis de republ. l. V p. 473 D petitum esse constat; Theophrasti quae ibidem exstat sententia fortasse in eius libro περὶ φιλίας deperdito legebatur; Aristotelis quod eodem loco memoratur dictum ex quo illius libro petitum sit, ignoratur (cf. Ruhnk. annot. ad p. 21—23). — Quod exemplum exstat I 18, sive Aristotelis est sive Aristobuli, non certe in oratione legebatur.

mittendum silentio in enumerandis iis quae obstant Muelleri opinioni existumo.

Denique per se probabile non est ita Rutilium translationem instituisse, ut nomina figurarum definitionesque e Gorgia transferret, omitteret illius exempla. Omnino non intellego, quam rationem in componendis exemplis eum secutum esse Casaubonus et Mueller putent: nescio, sitne haec eorum sententia Rutilium operam dedisse, ut, eadem quae apud Gorgiam legerat exempla sicubi in latinis versionibus sive Messallae seu aliorum exstarent, quaereret conquisitaque describeret, an ita censeant Rutilium omnino non spectasse Gorgiae exempla, sed ex versionibus latinis quaelibet quae sibi idonea viderentur ad illustrandam unamquamque figuram elegisse; qua de re illorum neutrum virorum eruditorum aperte quid sibi videretur pronuntiasse statuo. Ea res utut se habet, neutra ratio, quarum aut unam aut alteram ingressus esse Rutilius putandus est, si de versionibus latinis cogitamus, habet quicquam quod sit credibile. Non licet comparare hoc loco cum Rutilio Aquilam Romanum, qui cum in definitionibus figurarum pendeat ab Alexandro Numenio, in exemplis praeter paucissuma secutus illum non est: e latinis scriptoribus tum ex Cicerone illius exempla fere omnia ab ipso petita sunt, ut eius libellus de figuris sententiarum et elocutionis translatio ex Alexandri Numenii libro facta dici omnino nequeat. At a Rutilio translatos esse quattuor Gorgiae libros Quintilianus disertis verbis prodit graecorumque scriptorum nomina eius exemplis longe plurimis praescripta leguntur; quid igitur veri similius quam exempla quoque Gorgiae ipsum illum latine vertisse?

Ac quibus de causis versiones latinas Rutilio in componendis exemplis adfuisse improbabile sit, satis exposuisse mihi videor. Quare alia ad explicandam illam stili discrepantiam ratio est ineunda: nec dubito eodem uti Draheimii argumento quod iam supra valebat ad explicandum, cur non satis distincte omnes Rutilii figurae definitae sint: videlicet omnem operam Rutilius concinnandis exemplis quam definiendis figuris navare maluit. Certe ita si statuimus, tum non iam est, quod exemplorum stilum distare a descriptionibus figurarum miremur.

Ex ipso igitur Gorgia ipse Rutilius exempla graeca in latinum sermonem transtulit. Nec vero omnia Rutilii exempla graeca sunt, sed interdum pro graecis ille latina posuit: propter schematis necessitatem ita eum fecisse adparet in figuris *παρονομασίας* et *ἀνακλάσεως*, quarum graeca exempla si latine vertisset, vim omnem

amisissent. Sed etiam ubi latina exempla substitui necesse non esset, id factum videmus. Atque eorum exemplorum quibus scriptorum nomina praescripta non sunt uni auctorem suum vindicare Meineke studuit, qui I 12 nomen versumque Ennii restituit; II 6 latina carmina Haupt restituere conatus est; cetera huius generis exempla utrum ex aliis scriptoribus latinis nobis ignotis petita an ab ipso potius Rutilio composita sint, in incerto est relinquendum.[1])

Ipsa autem graeca exempla Rutilium vertisse non ut interpretem, sed ut oratorem, nusquam verbum verbo reddentem, nisi ubi vis schematis exprimenda esset, Ruhnken praef. p. XVIII recte monuit.

1) Ceterum si revera ea exempla, in quibus auctorum nomina desiderantur — vide I 4, 11, II 3, 5, 12, 13, 15 —, ipse Rutilius finxit, quod sane certis argumentis demonstrari nequit, tum ex his quoque exemplis, quae e Graecis scriptoribus translata non sunt, argumentum contra illam quam supra impugnavi Muelleri opinionem elicere ausim: tum enim horum exemplorum dicendi genus, quod quidem cum exemplis graecis translatis plane congruit, docet nos, qui tam eleganti sermone in iis quae ipse finxit exemplis usus est, eundem graeca exempla latine vertere potuisse. Sed cum eorum quae modo statui ipsum fundamentum nequaquam sit firmissimum, hoc argumentum non tanti facio.

DE ALIQVOT PLVTARCHI SCRIPTORVM MORALIVM COMPOSITIONE ATQVE INDOLE

SCRIPSIT

GEORGIVS SIEFERT

A media fere huius saeculi parte, postquam Heeren, Haug, alii viam praemuniverunt, homines docti, Arnoldo Schäfer maxime et Curtio Wachsmuth ducibus, mirum quantum sudarunt in auctoribus quos Plutarchus in vitis suis expresserit investigandis, ea progredientes ratione, uti omnia fere quae ex hisce Chaeronensis operibus lucramur partim ad unum partim ad duos fontes rettulerint.

Qua in re palmae prae ceteris appropinquarunt Peter, Ruehl, Hermannus Sauppe, venerabilis ille philologorum princeps quem ante duos annos morte nobis ereptum esse cuicumque eius scholis interesse licebat adhuc luget.

At quamquam ingens paulatim talium quaestiuncularum moles congesta est, tamen hodie omnes paene qui Plutarchi scriptis operam dant hac de via decesserunt, cum intellexerint minime illos 'φρεωρύχους', ut voce utar Plutarchea, inter se convenire et sibi persuaserint tantum abesse, ut amabilis hic scriptor Boeoticus historicorum more veterum auctorum voluminibus accurate adhibitis et perpensis virorum illustrium facta enarrarit aut 'ὑπομνήματα ἱστορικὰ' undique collegerit, ut eius vitae et ipsae pars sint φιλοσοφίας ἠθικῆς nec ullo modo secerni possint a scriptis moralibus, cum Plut. enucleate fateatur voluisse sese specimina edere vitae bene instituendae et hanc tantum ob causam 'τῆς τῶν βίων ἅψασθαι γραφῆς .. ὥσπερ ἐν ἐσόπτρῳ τῇ ἱστορίᾳ πειρώμενον ἀμῶς γέ πως κοσμεῖν καὶ ἀφομοιοῦν πρὸς τὰς ἐκείνων (sc. hominum praeclarorum) ἀρετὰς τὸν βίον'.[1])

Quae cum ita sint, haud multum valere Plutarcho videbantur insignium virorum res gestae quibus domi bellique ceteros superabant quasque rerum scriptores summi faciunt; contra admodum eius intererat illorum mores quam dilucidissime describere, uti alii homines eos possent imitari. Minime nimirum contendo Chaeronensem magnos illos historicos ab Herodoto usque ad Polybium

1) cf. Wachsmuth, Einleitung in das Studium der alten Geschichte p. 219 sqq.

prorsus neglexisse, immo persaepe in vitis componendis Ctesiam, Thucydidem, Ephorum, Theopompum, Aristotelem, Durim, Hieronymum Cardianum, Dinonem, Valerium Antiatem, Polybium, Sallustium, Posidonium, Dionysium, ut alios omittam, inspexit; at multo diligentius operam dabat, ut fontes sibi acquireret ad hominum clarorum naturam ingeniumque illustrandum utiles. Quo factum est, ut prae ceteris incideret in Peripateticos illos qui simili perducti consilio Theophrasti vestigiis ingredientes *βίους* qui dicuntur conscripserunt: dico Dicaearchum, Phaniam, Clearchum, prae ceteris autem Satyrum et Hermippum Callimacheum[1]) quorum historiolis et flosculis Plut. e. g. Lycurgi et Solonis vitas exornasse videtur.

Pari modo etiam alii vitarum scriptores qui prioribus temporibus floruerunt Chaeronensi usui erant; minime enim ignorabat iam Xenophontem de Agesilai, Polybium de Philopoemenis, Paetum Thraseam de Catonis minoris vita peculiaribus libellis disputasse; nec eum fugerunt Aratus Sicyonius, Aristobulus, Sulla, Cicero ipsi suas res gestas posteris tradentes.

In Dionis vita epistulis Platonis quae feruntur, in Alexandri vita huius regis epistulis et commentariis, quoad aetatem tulerant[2]), abunde usus est. Accedit quod tam exquisitos fontes sibi paravit quales sunt Stesimbroti Thasii famosus ille libellus quo Themistocles, Thucydides Melesiae filius, Pericles vexabantur et Ionis Chii liber '*Ἐπιδημίαι*' inscriptus, quae duo volumina rerum scriptoribus nullam paene materiem praebere poterant. Praeterea Chaeronensi sine dubio praesto erant varia illa narratiuncularum et dictorum singularium collectanea quorum series ab Heraclide Lembo, Chamaeleone, Lynceo Samio, Hegesandro Delphico usque ad Plutarchi aetatem numquam interrupta erat.[3]) — Nec non noster comicos atticos cum veteres tum recentiores perscrutatus esse videtur, uti cognosceret, quid hi poetae hominibus quorum vitam enarraturus erat aequales de eis iudicavissent.

Omnibus his auctoribus satis diversis et magna ex parte quidem fide prorsus indignis quos quam brevissime perlustravi nescio an scriptori vere historico ullo modo uti non licuerit; contra Plut. suo iure eos adire et permulta ex eis lucrari poterat, quippe qui non tam virorum clarorum facta quam mores naturamque describere

1) cf. de hoc litterarum genere Susemihl, Alex. Lit.-Gesch. I 492sq. 498. Wachsmuth, l. l. p. 203 sq.

2) cf. Wachsmuth, l. l. p. 575. Büdinger, Die Universalhistorie im Alterthume p. 165. cf. ibid. p. 80 adn. 3.

3) cf. Susemihl, l. l. I 487 sq. 489 sq. 501 sq. Wachsmuth, l. l. p. 204.

sibi proposuerit, non tam historica fide, temporum ordine accurate servato, res gestas enarrare quam dictis et historiolis efflictis sane maxima ex parte, at dilucidis et significantibus, homines edocere voluerit, quomodo optime suam vitam possent instituere.

Quae omnia ubi perspexerunt, homines docti desierunt vitas Plutarcheas paene omnes paucis auctoribus assignare, quos Chaeronensis ad verbum fere expilarit. — At quamquam iam constare videtur hunc philosophum opera sua satis libere composuisse, fontibus undique congestis ad suumque arbitrium examinatis et distributis, tamen nuperrime ad scripta eius moralia interpretanda eandem rationem viamque inierunt quae in vitis percensendis quin prorsus reicienda sit nemo adhuc, ni fallor, dubitare conatur.

Nituntur hi homines docti maxime uno commentationis '*Περὶ εὐθυμίας*' loco quem infra tractabimus, ubi Plut. certiores nos facit se in Paccii amici usum nil nisi commentarios quos forte in manibus habebat contexuisse; nec vero idem in omnia eius scripta cadit, uti nec Schmertoschio, Duemmlero, Heinzio assentiri possim conicientibus Plutarchum magnam librorum suorum partem fere ad verbum deprompsisse ex Xenocratis Chalcedonii operibus nec facere possim cum Wendlando, Duemmlero, Gieseckio, Heinzio, Hensio, Henrico Weber quorum ex sententia Chaeronensis fere totus pendet a philosophis illis qui Stoicorum doctrinam cum Cynicis commentis mirabilem in modum commiscuerunt. Id non nego nostrum cynicostoicae quam vocant sectae illa aetate per totum imperium Romanum florenti pari modo atque Musonium, Epictetum, Dionem admodum fuisse addictum; at quamvis quicumque in qualibet scientia aliquid expedire volebat in altera saeculi duodecimi parte Kantii, in prima huius saeculi parte Hegelii vestigiis ingressus sit, num contendere audebimus omnes hos auctores illorum duorum philosophiae ducum aut eorum discipulorum libros paene ad verbum in suas dissertationes transtulisse, quippe quae scateant Kantii Hegeliive doctrina? Accedit quod Plut. Stoicis Cynicisque minime favebat, quamquam eorum ratiocinationibus aliquo modo imbutus erat; immo in universum eum Academicorum non solum veterum sed etiam recentium familiam secutum esse et permulta Platoni debere vel tirones clamitant.

Praeterea Plutarchum non tantum philosophos recentiores — Academicos dico, Peripateticos, Cynicos, Stoicos, Epicureos — summo studio amplexum esse sed etiam descendisse ad graecae philosophiae primordia veterumque philosophorum scripta, quoad illa aetate servata erant, diligentissime pertractasse nec unice ex

manualibus omnium manibus tritis eorum sententias petivisse in dies spero fore, ut clarius fiat et homines docti sibi persuadeant non omnia quae profert Chaeronensi affluxisse ex Xenocratis, Theophrasti, Posidonii, Musonii, nedum ex Aristonis Bionisve libris, sed eum ipsum fontes adisse et magno usui nobis esse ad veteris philosophiae historiam illuminandam. — Ita e. g. de deo et oraculo Delphico cogitationes commendare et stabilire studet commentis Heracliteis[1]); permulta Empedoclis carminum frustula una Plutarchi opera aetatem tulerunt; atque etiam Democritum auctorem nostrum saepius adhibuisse et inspexisse, uti adminicula praebeat quae spernere minime licet eis qui Abderitae commenta cum in physicis tum in ethicis egregia et commemoratione dignissima accuratius definienda sibi proposuerunt alia spero occasione me comprobaturum.[2])

Quae omnia si comprehendimus, iam ad liquidum deductum est Chaeronensem nequaquam fuisse merum compilatorem, sed quamquam prorsus pendet a prioribus Graecorum scriptoribus — id quod illa aetate propriis sententiis minime abundante plane necesse erat — tamen exquisitissimos saltem et rarissimos fontes non solum Graecos[3]) sed etiam Latinos[4]) undique congessisse, id quod eo magis memoratu perdignum est, quia Plutarchum haud bene de Romanorum lingua litterisque edoctum fuisse satis constat.[5])

1) 'De *Eἰ* apud Delphos' c. 18 fere totum fragmentum videtur philosophi Ephesii satis copiosum.

2) De Democriti stilo iudicium fert 'Quaest. Sympos.' V 7, 683 A; confer ea, quae Wachsmuth ad Timonis Phliasii fr. 2 congessit.

3) Eis quae supra exposui adde quod Plut. in clarorum Atheniensium vitis diligenter perlustravit Crateri Macedonis '*ψηφισμάτων συναγωγήν*'; in Lacedaemoniorum vitis saepius laudat Aristocratem auctorem alias plane ignotum. (cf. Lycurg. c. 4 fin., c. 31 fin. Philopoem. c. 16 med.)

4) Nam admodum dubito num Plut. omnia quae ad Romanos spectant Iubae regi debeat, quamquam eius libros Plutarcho notos fuisse apparet ex vitae Sertorii cap. 9. Ex Varrone permulta sine dubio lucratus est. Sallustii historias, Livii opus, Sullae et Ciceronis de vita sua commentarios (v. supra), fortasse etiam Ciceronis Catonem maiorem non ignorabat. Nec non satis memorabile est quod in Luculli vitae c. 39 Horatii nonnullos versus (Ep. I 6, 45 sq.) laudat. cf. praeter Kiesslingii adnotationem Heinze, 'De Horatio Bionis imitatore' p. 11. Gercke, Rh. M. 48, 45 sq.

5) Qua de re Plut. ipse certiores nos facit in Demosth. vit. c. 2. cf. Volkmann, Plutarch I 35 sq. Heinze, l. l. in universum evincere studet, Plutarchi, Luciani, Maximi Tyrii, aliorum exemplis allatis, Graecos

Haec omnia, quoad ad vitas pertinent, iam supra satis evicimus idemque in Moralia quae dicuntur Plutarchea cadere eo facilius tibi persuadebis, si recogitas ingentem fere omnium aetatum hominum qui seu solito seu astricto sermone scripserunt molem a philosopho nostro collaudari, quorum magnam sane partem in manualibus, gnomologiis, onomasticis, lexicis invenire poterat, multo maiorem autem quin ipse ex ipsis auctoribus collegerit addubitari nequit.

Praeter ea quae exposui Chaeronensem ardore quodam et subtilitate studia litterasque vel interiores et reconditas amplexum esse etiam ex eo apparet, quod res tam diversas velut physicas, ethicas, historicas, theologicas pari amore perscrutatus est.[1])

Nec non illorum qui Plutarchum unice enchiridiis epitomisve tritis ac vulgaribus usum esse coniecerunt facile respui potest sententia, quia nostrum bibliothecam possedisse egregiam satisque uberem accipimus ex Quaestionum Symposiacarum loco quodam (V 2, 8) ubi haec exstant: '*ἐπιφυομένων δὲ πολλῶν, καὶ τὸν βεβαιωτὴν ὡς ἀπίστου . . . τῆς ἱστορίας ἀπαιτούντων, ἐπιτυχῶς ἀναμνησθεὶς ἀπέφαινον Ἀκέσανδρον ἐν τῷ περὶ Λιβύης ταῦτα ἱστοροῦντα*', et ex eis quae sequuntur apparet etiam Polemonis de thesauris Delphicis scriptum Plutarcho praesto fuisse.

Cui non obstat[2]) quod Plut. in vitae Demosthenis cap. 2 exponit necesse esse, ut homo qui historiam scribere velit incolat '*πόλιν εὐδόκιμον καὶ φιλόκαλον καὶ πολυάνθρωπον, ὡς βιβλίων τε παντοδαπῶν ἀφθονίαν ἔχων . . . μὴ πολλῶν μηδ' ἀναγκαίων ἐνδεὴς ἀποδιδοίη τὸ ἔργον*' lugetque quod ipse in parvo vivat oppidulo; nam ex eis quae sequuntur elucet haec omnia spectare maxime ad Romanas litteras linguamque quas sero tantum et obiter sibi innotuisse Chaeronensis hoc loco nos docet.

Paulo maioris momenti videtur alius locus qui exstat 'De *Eἰ* apud Delphos' c. 1, 384 E, ubi Plut. se excusat quod dialogos Py-

Romanorum litteris nullam plane operam incubuisse, quae coniectura modum paululum excedere mihi videtur.

1) cf. Wachsmuth, l. l. p. 218. Volkmann, l. l. I 108 sq.

2) Minime Wachsmuthii iudicium (p. 215) probare possum qui dicit: 'Hier (in Chäronea) hat er auch seine meisten Bücher geschrieben . . . ein Umstand, der für die richtige Würdigung seiner Arbeitsweise nicht unwichtig ist, da, wie er selbst (Demosth. 2) anführt, ihm in der kleinen Provinzialstadt die Fülle der Bücher, wie sie die reichen Bibliotheken der Kapitale besassen, nicht zu Gebote stand und er . . bei seiner Schriftstellerei in Chaironeia einfach auf sein Gedächtnis oder seine früheren Exzerpte angewiesen war.' cf. etiam Volkmann, l. l. I 76 sq.

thicos Sarapioni aliisque amicis Athenis versantibus mittat; dicit enim: 'πρὸς σὲ .. τῶν Πυθικῶν λόγων .. ἐνίους ὥσπερ ἀπαρχὰς ἀποστέλλων, ὁμολογῶ προσδοκᾶν ἑτέρους καὶ πλείονας καὶ βελτίονας παρ' ὑμῶν, ἅτε δὴ καὶ πόλει χρωμένων μεγάλῃ καὶ σχολῆς μᾶλλον ἐν βιβλίοις πολλοῖς καὶ παντοδαπαῖς διατριβαῖς εὐπορούντων'. At ne haec quidem verba multum valent, sed specimen potius sunt Plutarchi modestiae; nam hos dialogos doctrina admodum subtili splendidos nullo modo componere poterat, nisi multi libri ei praesto erant.

Quae cum ita sint, iterum luce est clarius homines illos doctos supra enumeratos haud recte iudicare Chaeronensem unum seu duos tantum auctores in quoque libro expressisse, immo permultos eum scriptores perlegisse amore quodam legendi impulsum permultaque ex eis excerpsisse quibus in suis operibus componendis plus minusve libere usus est iam satis videtur manifestum, uti eum qui in Plutarchi fontes inquirere studet non solum in vitis sed etiam in commentationibus moralibus examinandis praecipue varia illa collectanea secernere et indicare deceat.

Nec vero opificis sed artificis in modum noster omnes has excerptiones atque collectanea colligavit suisque auxit additamentis et deliberationibus; quod ubi concesseris, facile intelleges prorsus esse necessarium, priusquam Plutarchi fontes enucleandos aggredimur, quaerere, quomodo ipse commentationes suas composuerit ac quomodo singuli libelli cum quod ad indolem tum quod ad temporum rationem attinet inter se cohaereant. Qua quaestione soluta multo aptius quam ex opinione praeiudicata auctores quos Chaeronensis secutus est enodare et definire poterimus.

Quibus causis permotus mihi proposui aliquot Chaeronensis scriptorum moralium compositionem et conexum accuratius explicare operamque dare, ut specimen edam aptae horum voluminum interpretationis.

Iam tenendum est Plutarchum in scriptiunculis suis moralibus maxima ex parte non subtilibus ratiocinationibus sed certis regulis ac praeceptis ad cottidianam vitam spectantibus exponere, quomodo homines bene et feliciter vitam suam instituere possint, et quamquam non alienus erat a spinosa Peripateticorum et Stoicorum de moribus doctrina, summum posuisse in vita bona beataque describenda omnibus vitiis et perturbationibus vacua.

Hoc ut efficeret complures libellos composuit qui tam arcte inter se cohaerent, ut uno vitae articulo conscripti videantur, quarum in commentationum conexum, indolem, temporum rationem

accuratius inquirere mihi liceat, cum ex hac quaestione via quadam ac ratione instituta lux, ni fallor, evasura sit non solum ad Plutarchi moralem doctrinam adumbrandam, sed etiam ad scribendi rationem qua usus est et ad ordinem quo dissertationes suas composuit perspiciendum haud inutilis.

In omnibus his disputatiunculis auctor noster permulta non dubito quin suo ingenio debeat; nec vero parvam partem et sententiarum quas illustrat et exemplorum quibus opera sua exornat ex vetustioribus auctoribus ei affluxisse consentaneum est, et in omnia fere volumina Plutarchea de quibus disputaturi sumus cadere videtur illud quod in libri '*περὶ εὐθυμίας*' inscripti initio ipse fatetur: '*ἀνελεξάμην περὶ εὐθυμίας ἐκ τῶν ὑπομνημάτων, ὧν ἐμαυτῷ πεποιημένος ἐτύγχανον*', quo loco Chaeronensis etiam de causis nos certiores facit quibus permotus tales edat commentationes ('*ἡγούμενος καὶ σὲ τὸν λόγον τοῦτον οὐκ ἀκροάσεως ἕνεκα θηρωμένης καλλιγραφίαν, ἀλλὰ χρείας βιωτικῆς ἐπιζητεῖν*').

CAPVT I.

De libro '*περὶ εὐθυμίας*' inscripto ('De tranquillitate animi').

Iam videamus, quomodo Plut. hunc '*περὶ εὐθυμίας*' libellum composuerit, ut pateflat revera eum pendere a commentariis suis aliunde collectis.[1])

Ac primo quidem capite Paccium amicum allocutus affirmat sapientem decere '*τῶν λόγων, ὅσοι πρὸς τὰ πάθη βοηθοῦσι, πρὸ τῶν παθῶν ἐπιμέλεσθαι*', ne serius ab ratione auxilium petat.

Iam vero capite altero propositam materiem aggressus Democritum impugnat — nam hominem voce '*τις*' significatum quocum in capitis initio digladiatur Democritum esse homines docti iam pridem perspexerunt.[2]) Abderita enim ex Plutarchi quidem sententia eum qui animi tranquillitatem sibi parare cuperet a negotiis et publicis et privatis se abstinere iusserat. Cui Chaeronensis opponit non '*ἀπραξίαν*' cardinem esse tranquillitatis et felicitatis,

1) Breviter huius libri compositionem perlustrat Ricardus Heinze, Rh. M. 45, 497 sq. quocum in multis plane consentio, quamquam non desunt in quibus minime ei adstipulari possum.

2) cf. Hirzel, Hermes 14, 368. Natorp, Die Ethika des Demokrit p. 22. 57. 115 sq.

sed finiri 'τὸ εὔθυμον' et 'τὸ δύσθυμον' non nisi 'τῷ καλῷ καὶ τῷ αἰσχρῷ'.

In capite tertio negat ex una tantum vitae condicione beatitudinem assumi posse, qua accepta nos ea funditus tollere possemus quae revera sint 'τῆς ψυχῆς τὰ λυποῦντα καὶ ταράττοντα'; immo unam rationem nobis reddere suavem quemvis vitae statum et tolerabilem, quoniam (c. 4) tranquillitatis fons in nostro animo reclusus sit, quo purgato nobis 'καὶ τὰ ἐκτὸς ὡς οἰκεῖα καὶ φίλα μὴ χαλεπῶς χρωμένοις συμφέρηται'. Quae cum ita sint, optimum auctori nostro videtur quodcumque fortuna nobis misit libenter aequoque animo ferre et vel ex pessimis in quae incidimus 'οἰκεῖόν τι καὶ χρήσιμον' capere; nam contrarium facere hominis esse inepti. (c. 5.)

Quam sententiam qua negatur decere sapientem 'μεθιστάναι τὴν τύχην ἐκ τῶν ἀβουλήτων', postquam in capitis sexti priore parte dilucidius adumbravit, Plut. verbis quibus hac ratione saepius utitur 'διὸ καὶ τοῦτο etc.' (p. 467 E) novam rem[1]) 'πρὸς εὐθυμίαν' utilem affert, cum hominibus suadeat, ut in adversis rebus versantes ad claros homines respiciant qui eisdem fere infortuniis olim oppressi sint.

Iam novum sententiarum nexum exhibet cap. 7 cuius argumentum hoc est: valde prohibet ne animi tranquillitatem adipiscamur quod vel inimicorum amicorumve vitiis haud raro ad iram incitamur, et in eis quae sequuntur Plut. exponit, qua medicina Paccius qui et ipse hac animi perturbatione aegrotasse videtur pravam istam iracundiam effugere possit semper in animo tenens sodales non esse 'ἐπιεικεῖς καὶ χαρίεντας' semperque consuetus 'τοῖς πράγμασιν ἐλαφρῶς συμπεριφέρεσθαι'.

Nec vero in capite octavo auctor hac disserendi via progreditur, sed verbis 'ὅθεν ἐκεῖνον αὖθις τὸν περὶ τῶν πραγμάτων λόγον ἀναλάβωμεν' aperte redit ad ea quae in capitibus 4—6 exposuerat usque ad eum capitis sexti locum quo novam sententiolam incohari supra demonstravimus; nam postquam altera capitis 6 parte breviter comprehensa praecepit, ut in qualicumque re adversa respiciamus 'ἑτέρους ταὐτὰ προσδεχομένους ἀλύπως καὶ ἱλαρῶς', pergit sic (469 A): 'ἀγαθὸν τοίνυν ἐν τοῖς ἀβουλήτοις συμπτώμασι πρὸς εὐθυμίαν καὶ τὸ μὴ παρορᾶν, ὅσα προσφιλῆ καὶ ἀστεῖα πάρεστιν ἡμῖν, ἀλλὰ μιγνύντας ἐξαμαυροῦν τὰ χείρονα τοῖς βελτίοσι' etc. Eodem modo dixerat c. 5, 467 B 'τὸ

1) cf. Heinzium, l. l. p. 499.

μὲν βάλλειν οὐκ ἐφ' ἡμῖν, τὸ δὲ προσηκόντως δέχεσθαι τὰ γιγνόμενα παρὰ τῆς τύχης καὶ νέμειν ἑκάστῳ τόπον, ἐν ᾧ καὶ τὸ οἰκεῖον ὠφελήσει μάλιστα καὶ τὸ ἀβούλητον ἥκιστα λυπήσει τοὺς ἐπιτυγχάνοντας, ἡμέτερον ἔργον ἐστίν, ἂν εὖ φρονοῦμεν' et in eiusdem capitis fine exstant haec: 'οἱ δὲ φρόνιμοι, καθάπερ ταῖς μελίτταις φέρει μέλι τὸ δριμύτατον καὶ ξηρότατον ὁ θύμος, οὕτως ἀπὸ τῶν δυσχερεστάτων πολλάκις πραγμάτων οἰκεῖόν τι καὶ χρήσιμον αὐτοῖς λαμβάνουσι', cui similitudini ab apibus petitae simillima ea est quae in capite 8 verba supra exscripta excipit: 'τὰς μὲν ὄψεις ὑπὸ τῶν ἄγαν λαμπρῶν τιτρωσκομένας ἀποστρέφοντες ταῖς ἀνθηραῖς καὶ ποώδεσι χρόαις παρηγοροῦμεν'.

In eis quae sequuntur (c. 9) Plut. has cogitationes amplificans demonstrat, quam sit stultum falsumque omnibus bonis quae fortuna nobis dono dedit prorsus neglectis semper haerere in rebus pessimis et iniucundissimis, uti reddamus etiam omnia alia nobis 'ἀνόητα'. Sapientem contra hominem vel res cottidianas quamvis viles quae ei praesto sint non solum non pro nihilo habere sed, ut earum suavitatem perspiciat, sibi fingere eas sibi non adesse, ut grato animo eis fruatur.

In extremo capite Chaeronensis Arcesilai verbis usus eos perstringit qui non suam vitam spectantes sed 'ἔξω βλέποντες καὶ θαυμάζοντες ἀλλοτρίας δόξας καὶ τύχας' aliis semper invident. Nec vero satis intellegere possum, cur Heinze (p. 500) hoc ferat iudicium quod ipsis eius verbis repetam: 'Der Zusammenhang ist zerrissen in cap. 9 zwischen 'ἵνα καὶ τὰς ἀποβολάς, ἂν συντυγχάνωσι, πρᾳότερον φέρωμεν' und 'οἱ δὲ πολλοὶ ποιήματα μέν, ὡς ἔλεγεν 'Αρκεσίλαος, ἀλλότρια' e. q. s. Die Schuld daran trägt wohl, dass der erste Teil von c. 9 aus anderer Quelle eingeschoben ist.' At cur interruptus est sententiarum nexus? Optime, ni egregie fallor, earum ordo progreditur in capite 9; nam in priore parte c. 8 certa ratione excipiens Plut. homines iubet res levissimas quasque sibi proprias 'ἔν τινι λόγῳ τίθεσθαι', cui praecepto altera capitis pars perbene respondet ubi ei castigantur qui suam vitam 'ἔχοντα πολλὰς οὐκ ἀτερπεῖς ἀναθεωρήσεις (cum maximas scilicet tum minimas) ἐῶσιν'.

Contra recte Heinze perspexit cum his deliberationibus arctissimo coniunctum esse filo cap. 10 quod similiter incipit atque c. 6, 467 E et c. 8, 469 A ('καίτοι καὶ τοῦτο μέγα πρὸς εὐθυμίαν ἐστί'). Duae autem res in hoc capite secernuntur; praecipit enim noster aut 'αὑτὸν ἐπισκοπεῖν καὶ τὰ καθ' αὑτόν' — uti in

capitibus 8 et 9 — aut — id quod solum fusius exponitur — non ad superiores beatioresve respicere sed ad eos qui nobis infeliciores et inferiores sunt.

Spinosius Heinze iterum, duas partes haud ita apte coniunctas ut seiungat operam dat his verbis: 'In c. 10 bezieht sich die erste Schilderung auf griechisch-orientalische, die zweite auf römische Verhältnisse; diese ist also wohl Plutarch selbst zuzuschreiben.' Haec argumentandi ratio satis lubrica est; accedit quod in prima quoque parte Plut. post Archilochi versus Bithynium sibi fingit aliquem qui queritur quod nec 'φορεῖ πατρικίους' nec 'στρατηγεῖ 'Ρωμαίων'; contra in altera parte is qui aegre fert quod non proconsul procuratorve est Socrati opponitur; nec in universum intellego, quas ob causas Heinze neget Plutarchum etiam ea exempla quae ad Graeciam et ad Orientem spectant ex suo arbitrio auctori suo inserere potuisse.

Eis autem, ut in libri nobis propositi argumento enarrando pergam, qui facere non possunt quin aliorum hominum commodis invideant Chaeronensis suadet in capite 11, uti eorum quos beatos ducunt non solum res secundas sed etiam multiplices calamitates cum bonis semper fere coniunctas animadvertant, ne sua commoda cum illorum comparata iusto minoris faciant momenti. — Eandem plane sententiam Plut. etiam in capitis sexti altera parte, quam diversam esse ab antecedentibus supra demonstravimus delineaverat. — Quae cum ita sint, non unum commentarium sed duos quorum uterque sententias exhibebat — ex uno forte libro expressas sed a Plutarcho in schedis suis seorsum servatas et adhibitas — inter se satis affines auctorem nostrum in suam dissertationem transtulisse necessarium videtur.

Iam ex eis quae exposuimus satis elucet capita 8—11 arcte inter se cohaerere, et haec fere eorum summa est: recogita non aliorum sed tuam fortunam; nam ei qui te superare videntur revera in pessimis versantur infortuniis. Qui sententiarum nexus cum capitis 6 priore parte coniungendus est; capitis 6 altera pars et c. 7 contra aliunde intrusa sunt.

In capitibus 12 et 13 novae cogitationes proferuntur petiturque similem in modum atque c. 6 med., c. 8 init., c. 10 init. principium a verbis 'οὐχ ἥκιστα τοίνυν εὐθυμίαν κολούει', ut significetur auctorem ad novam se convertere sententiam.

Exponit enim Plut. ineptum esse et permultum valere ad animi tranquillitatem perturbandam, si res appetimus maiores quam nobis contingere licet et in qualicumque re cum maxima tum

minima primum locum tenere volumus eis non contenti quae natura sua sponte nobis praebuit. (c. 12.)

Hoc eo ineptius esse quod eiusmodi homines persaepe res cupiant prorsus sibi repugnantes quae nulla ratione coniungi possint; plurimum contra proficere, quoniam 'οὐ πάντα πάντων ἐστίν, χρῆσθαι πρὸς ἕν, ὃ πέφυκε' nec credere miserabilem esse nostram condicionem si non 'καὶ τὰ τῶν πλουσίων ἅμα καὶ τὰ τῶν λογίων καὶ τὰ τῶν στρατευομένων καὶ τὰ τῶν φιλοσοφούντων ... ἔχωμεν προτερήματα'; nam decere sapientes 'τὸ πρόσφορον ἑαυτοῖς ἑλομένους καὶ διαπονοῦντας ἐᾶν τὰ τῶν ἄλλων. (c. 13, 473 A quo cf. c. 9 fin. 'τὸν δ' ἑαυτῶν βίον ἐῶσιν.)

Hae ratiocinationes affines sunt eis quae in capite 10 adumbrantur, nec vero totae cum eis congruunt; nam ibi de eis tantum agitur qui se ipsis superioribus et felicioribus livent; capita 12 et 13 contra eos sugillant qui omnium hominum commoda quamvis contraria sibi conciliare student. Praeterea Heinze (p. 500) recte animadvertit in capitibus 8—11 agnosci fortunam cuius insidias sapiens rationis vi opprimere soleat, contra in capitibus 12 et 13 Chaeronensem fortuna plane neglecta homines monere, ut ipsi vitam suam suae naturae suisque viribus convenientem instituant; nec vero huic argumento multum tribuam, cum in capitibus 8—11 res sit de exteris solum rebus quae extra nostram sunt potestatem, in capitibus 12 et 13 contra certus sententiarum progressus efficiatur aliquidque novi afferatur ad id spectans quod in nostra potestate positum est.

At accedit aliud quo certissime evincitur capita 12 et 13 revera ex alio commentario atque capita priora deprompta esse vel saltem apud Plutarchi auctorem alium obtinuisse locum; nam inspice, quaeso, capitis 14 initium ubi verba 'ὅτι δ' ἕκαστος ἐν ἑαυτῷ τὰ τῆς εὐθυμίας καὶ τῆς δυσθυμίας ἔχει ταμιεῖα' etc. quin ad capitis 9 indolem respiciant, sententias ibi expositas continuent, cum capitis 10 initio planissime concinant, neminem spero fore quin dubitet, ut admodum mirer quod Heinze contendit: 'Ebensowenig, glaube ich, sind die c. 14—16, die sich eingehender mit dem Verhalten gegenüber vergangenen und zukünftigen Ereignissen befassen, der ersten besprochenen Quelle zuzuweisen', quam coniecturam eo argumento stabilire conatur quod 'davon, dass alles auf unsere Auffassung der äusseren Verhältnisse ankomme, hier ebensowenig wie in c. 12 die Rede ist'.

At id falsum est; nam in capitis 14 initio Plut. certis verbis dicit tranquillitatis fontem in nostro animo esse edocetque nos

in eodem capite, quomodo res exteras acerbas pristinae felicitatis memoria obtegere possimus, id quod excipitur capite 15 ubi auctor hominibus infelicibus suadet bona sibi relicta malis quibus urgentur admiscere.

Ceteroquin Heinze non recte suspicatur huic libello et commentationis 'De Iside et Osiride' capiti 45 eundem subiectum esse commentarium, quia in utroque libro Heracliti fragmentum quoddam (p. 22 Bywater) cum Euripidis nonnullis versibus (Aeolus fr. 21 N.) coniungitur; nam cum pervulgatissimi isti versus erant[1]) tum in 'De Is. et Os.' c. 45 Plut. aliquid plane aliud comprobare studet atque in capite de quo nos agimus; illo enim loco explicatur duo esse mundi principia, et bonum et malum; hoc autem loco demonstratur in cuiusque hominis vita bonas et malas sortes semper commixtas esse. Quas ad sententias amplificandas Plut. ex uberibus commentariis suis, uti solet, veterum philosophorum poetarumque enuntiata adhibuit, uti casu tantum in utraque dissertatione in eosdem auctores inciderit.

Iam accuratius quaeramus, quomodo c. 14 et quae sequuntur cum prioribus cohaereant.

In capite 14 Plut. homines beatam vitam appetentes semper rerum praeteritarum memoriam tenere iubet, quod si faciant in perpetuum eis frui possint.

In capite 15 transitus illa formula quae iam saepius nobis innotuit pergit: '*καὶ τοῦτ' οὖν τὴν εὐθυμίαν ἐπιταράσσει· κἀκεῖνο μᾶλλον*' etc. reprehenditque eos qui miseriarum tantum semper reminiscuntur nec mala cum bonis ita coniungunt, ut '*ἐμμελές*' fiat '*τὸ τοῦ βίου μῖγμα καὶ οἰκεῖον αὐτοῖς*' (474 B), quoniam omne bonum semper cum malo quodam commixtum sit. Vides igitur capitis 14 argumentum capite 15 bene excipi; nam ibi homines admonentur ne boni praeteriti umquam obliviscantur, hic auctor eos vetat mala tantum quibus forte vexantur in animo et memoria retinere.

Ergo Chaeronensis eadem plane profert atque in capitis 6 fine et in capite 8, quo etiam egregie quadrat similitudo de tabulis pictis usurpata (473 F) quae mirum quantum concinit cum duabus aliis similitudinibus 467 C et 469 A.

In c. 5 et in c. 14 Plut. stultum sapienti opponit; c. 8 et c. 15 plerosque homines perperam oculos ab iucundis rebus ad

1) Eosdem versus Euripideos habes 'De poet. aud.' cap. 7. cf. praeterea Stob. Floril. 43, 20. Theophrast. Metaphys. p. 316.

calamitates iniucundissimas vertere contendit. — Commixtio boni et mali commendatur in c. 8 et in c. 15. Praeterea redeunt voces '*καρορᾶν*' c. 8 et c. 14, '*οἰκεῖον*' c. 6 et c. 15.

Capitis 6 prima et capitis 8 altera pars ad eundem nexum sententiarum pertinent at exempla tantum praebent quae sescenta Plut. ipse facile colligere poterat — capitis 6 alteram partem et c. 7 iam supra seclusimus.

Capita 10 et 11 sententiarum ordinem non perturbant sed facile tolli possunt, cum ea quae antecedunt non nisi amplificent et, capitibus 12 et 13 aperte interpositis, filum quod est inter c. 8 et c. 14 manifesto interrumpant. — De capite 9 mox videbimus.

Iam tentemus veteris commentarii quem Plut. sine dubio expressit ordinem, quoad licet, restituere. Hoc fere eius argumentum videtur: hominem sapientem decet ex adversissima quaque re aliquid utile capere, uti apes ex herbis acerbissimis suave mel colligunt. (c. 5 et 6[1].) Prae ceteris oculos non semper malis infigat sed commisceat ea cum bonis hoc modo infortunia tenuans. Quae sententia firmatur similitudine a pratis petita exquisita. (c. 8.) Quibuscum cogitationibus quasi per se conectitur c. 15 ubi plane idem aliis similitudinibus iteratur et fusius illustratur.

At anteit c. 14 e quo accipimus vel bonum praeteritum grato animo eius memoriam retinentibus bonum in praesens tempus fieri.

Quae cum ita sint, inter capita 8 et 14 ut inter se conectantur haec fere supplenda sunt: Quid si in ullo vitae articulo summis calamitatibus opprimimur, estne tum nihil plane boni nobis reliquum?

Homini tali modi quaerenti Chaeronensis in c. 14 respondet: Illud bonum quod desideras praebet tibi boni praeteriti memoria.

In hoc sententiarum progressu etiam c. 9 ponendum est quod, si ea quae exposui recte exposita sunt, c. 8 optime continuat, ut non dubitem quin c. 9 ab capitibus 10—13 secernendum sit.

Postquam in capitibus 9 et 14 dubitatio illa quam supra finxi a Plutarcho sublata est, redit in c. 15 ad ea quae in c. 8 demonstrarat.

Iam si omnia comprehendimus verisimile fit commentarium quo noster usus est in uno conexu exhibuisse capita 5, (6), 8, 9, 14, 15, quam coniecturam tum demum firmiore fundamento stabilire poterimus, si ad locum quendam alium huc spectantem ('De exilio' 4 et 5 init.) pervenerimus. Iam pedem proferamus.

In capite 16 Plut. novum praeceptum adumbrat, cum suadeat

hominibus, ut semper, si felices esse sibi videantur, contrariam condicionem in animo moveant semperque vereantur, ne ex secundis in adversas res incidant, quoniam 'ᾧ .. δίδωσι πρὸς τὴν τύχην ἀδεῶς καὶ ἀτρόμως εἰπεῖν ὁ λογισμός· 'ἡδὺ μὲν ἄν τι φέρῃς, ὀλίγον δ' ἄχος ἂν ἀπολείπῃς', τοῦτον ἥδιστα ποιεῖ χρῆσθαι τοῖς παροῦσι τὸ θαρραλέον καὶ μὴ δεδιὸς αὐτῶν τὴν ἀποβολὴν ὡς ἀφόρητον'. (474 D.)

Capitis 16 principium dilucide respicit ad capitis 14 initium (c. 16 'ὥστε τούτων ἑκάστου σπέρματα τῶν παθῶν ἀνακεκραμένα' — c. 14 'ὅτι δ' ἕκαστος ἐν ἑαυτῷ τὰ τῆς εὐθυμίας καὶ τῆς δυσθυμίας ἔχει ταμιεῖα . . . αἱ διαφοραὶ τῶν παθῶν δηλοῦσιν'). Sententia est haec: bona et mala non aliunde nobis accidunt, sed iudicium de eis nobismet ipsis destinatum est. Nec vero verba quae in capite 16 sequuntur 'εὔχεται μὲν ὁ νοῦν ἔχων τὰ βελτίονα, προσδοκᾷ δὲ καὶ θάτερα, χρῆται δ' ἀμφοτέροις, τὸ ἄγαν ἀφαιρῶν' apte cum his deliberationibus cohaerent; nam in antecedentibus exponebatur semper hominibus aliquid boni reliquum esse, etiamsi infelicissimi videantur; iam Plut. satis abrupte ad contrarium transgreditur hominibus suadens, uti in beata condicione versantes mala quae immineant numquam obliviscantur semperque timeant, ne ex bona in turpem vitae rationem incidant.

Attamen hic novus conexus sententiarum non prorsus obstat prioribus ratiocinationibus; immo filum detegere possumus quo ad ea quae antecedunt adnecti potest.

Habes enim simillimam cogitationem iam in capite 9 ante Arcesilai enuntiatum ubi conferas haec: 'ἀλλὰ χρῆσθαι μάλιστα (δεῖ) ἐπὶ τῷ χαίρειν καὶ ἀπολαύειν αὐτῶν, ἵνα καὶ τὰς ἀποβολάς, ἂν συντυγχάνωσι, πραότερον φέρωμεν', et paulo antea legimus in eodem capite: 'οὐδὲ δεῖ κτᾶσθαι μὲν ὡς μεγάλα καὶ τρέμειν ἀεὶ δεδιότας, ὡς ὑπὲρ μεγάλων, μὴ στερηθῶμεν, ἔχοντες δὲ παρορᾶν (cf. c. 8; c. 14) καὶ καταφρονεῖν ὡς μηδενὸς ἀξίων', cui sententiae quam aptissime respondent haec capitis 16 verba: 'τοῦτον ἥδιστα ποιεῖ χρῆσθαι τοῖς παροῦσι τὸ θαρραλέον καὶ μὴ δεδιὸς αὐτῶν τὴν ἀποβολήν', quibuscum iterum conferre licet c. 9 ubi haec exstant iam exscripta: 'ἀλλὰ χρῆσθαι μάλιστα ἐπὶ τῷ χαίρειν καὶ ἀπολαύειν αὐτῶν, ἵνα καὶ τὰς ἀποβολάς, ἂν συντυγχάνωσι, πραότερον φέρωμεν'.

Haec ergo fere videtur Plutarchi sententia: si infelix forte es reminiscere boni praeteriti, uti denuo et in perpetuum eo fruaris tamquam recenti praesentique; contra si felix tibi videris cogita,

quam facile omnibus bonis privari possis, uti futurum malum ubi advenit aequo feras animo.

At in capite 9 hoc praeceptum breviter tantum et paululum abrupte exprimitur, contra clarum fit et perspicuum, si c. 16 cum capite 9 coniungimus.

Quae cum ita sint, confidenter contendere audeam ex eodem commentario c. 16 e quo capita 5, (6[1]), 8, 9, 14, 15 depromptum esse; at admodum contractum et perturbatum videtur, uti ordo sententiarum aliquo modo obscuratus sit, id quod etiam eo probatur quod auctor in c. 15 homines mala semper respicere vetat, in cap. 16 mala semper ante oculos habere iubet. Nonne alterum praeceptum altero tollitur et ad irritum redigitur?

At iam, ni fallor, in mentem tibi venerunt versus illi Horatiani:

'Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene praeparatum Pectus.'

Similem puto in modum auctorem illum progressum esse cuius librum adhibuisse sese et in amici usum suis chartis inseruisse Plut. ipse fatetur (c. 1). Etiam hic homo praecepit — ut postea Horatius —, uti homines in adversis rebus versantes haererent in bonorum seu adhuc relictorum seu praeteritorum memoria, secundis rebus utentes intentis animis in malorum recogitationem incumberent, ne improvidi subito a fortuna arriperentur. Quod si facerent, omnes calamitates facile eos passuros et εὐθυμίαν in perpetuum sibi paraturos esse. Capitis 9 verbis quorum supra mentionem feci hae sententiae breviter continentur, at falso ibi Plut. haec verba antecepit quibus in genuino commentario sine dubio c. 15 cum capite 16 conglutinatum erat.

In omnibus capitibus hucusque percensitis Chaeronensis operam dat ut demonstret, quomodo homines ab infortuniis se defendere possint, exponens permultos casus quos summas ducunt calamitates ne umbram quidem miserae condicionis prae se ferre; concedit sane non plane deesse in vita humana mala et gravissima quidem; at negat sapienti haec ullo modo nocere posse, quoniam rationis vim et animi tranquillum statum rapere fortunae numquam liceat. Iam tibi persuaseris quam egregie etiam c. 16 huc quadret; nam toto capitum 9, 14—16 argumento evincitur sapienti ne pessimam quidem sortem animi tranquillitatem eripere posse, sed aut mala quibus urgeatur cum bonis relictis praeteritisve eum commiscere (capp. 8; 14; 15) aut, dum ea felicitate quam plerique summi faciant fruatur, tam saepe et tam vivaciter de malis quibus

undique cingatur cogitare, ut, si quondam ipse eis tangatur, nequaquam perturbetur. (cpp. 9 et 16.)

Eodem pertinet capitis 17 prima pars, ubi Plut. nos edocet non modo illis considerationibus de quibus satis disputatum est, sed etiam eo sapientem fortunae iniurias facile superare posse quod legibus quibus omnia per totum mundum gubernentur perspectis intellexerit nihil casu et fortuito, sed omnia certis legibus fieri.

Hucusque sententiarum progressus bene enodatus videtur nec Heinzio adstipulor neganti c. 17 cum capitibus 14—16 arcte cohaerere, cum dicat: 'Dagegen scheint es mir, als kehrten wir mit c. 17 zu dem Tone der Eingangskapitel zurück, mit dem auch in c. 16 manches zu stimmen scheint.' Hoc ut comprobet hic homo doctus eo nititur, quod 'in c. 17 wieder die Machtlosigkeit der *Τύχη* vorgeführt wird', id quod in capitibus 14—16 fieri negaverat. At hoc argumentum reprobare supersedeo, cum iam supra id reiecisse mihi videar et ex eis quae exposui satis eluceat c. 17 a capitibus 14—16 nullo modo secerni posse.

At iam aliae existunt difficultates gravissimae; nam in altera capitis 17 parte, virtutis vi praedicata, Chaeronensis subito postulat, ut sapiens '*ἐγκρατείᾳ καὶ διαίτῃ σώφρονι καὶ μετρίοις πόνοις*' fortunam atque casus avertat. Quae ratiocinationes ita modo ad priora adnecti possunt, ut priorem capitis partem ad res exteras adversas quae scientia et virtute tolluntur, alteram, Plutarchi verba '*τοῖς τε σωματικοῖς*' secuti, ad mala ex ipso corpore nascentia referamus.

Contra ea quae sequuntur mirum quantum a priorum capitum indole distant; nam iam commendatur quasi ultimum remedium et refugium mors voluntaria, quamquam antea Plut. quam apertissime negaverat sapientem ullo modo humanis infortuniis vel pessimis tangi posse.

Ista commenta continuantur capite 18, ubi iterum plane novum inducitur quod *εὐθυμίαν* augeat eadem transitus formula quam iam saepius deprehendimus '*οὐ μικρὸν ἔχει τῆς πρὸς τὸν βίον εὐθυμίας ἐφόδιον τὴν πρὸς τὸν θάνατον ἀφοβίαν*'. — Quam ad sententiam stabiliendam noster mortem voluntariam summis laudibus effert, quamvis haec praedicatio totius commentatiunculae indoli obvia sit. Accedit quod similitudo a '*κυβερνήτῃ*' petita Asclepiadis poetae versibus nititur quos ipse Plut. e collectaneis suis petivisse videtur, uti haec tota capitis 17 altera pars ab commentario quem Chaeronensis in universum libello suo subiecit sine dubio abiudicanda sit.

Iam transeamus ad c. 18, ubi novum *τόπον* illustrari iam supra indicavimus, quo *ἀφοβία πρὸς τὸν θάνατον* ut egregium tranquillitatis adminiculum celebratur.

Quae considerationes utrum ex eodem atque priorum capitum longe maior pars an ex alio auctore depromptae sint non nisi quaestione de ipsis Plutarchi fontibus instituta, qua de re intricatissima nobis non agendum est, diiudicari potest; nam una compositionis ratione arctus inter c. 18 et ea quae antecedunt conexus nec requiritur nec respuitur.

At vide quod iterum, ut iam antea saepius fiebat, *ὁ φρόνιμος* et *ὁ ἀνόητος* inter se opponuntur et — haud aliter atque in capite 17 — scientia et rectum de anima iudicium Plutarcho summum videtur quo cum alia *πάθη* tum mortis timor exstinguatur, nec omittendum est quod etiam in capite 18 certis verbis affirmatur nihil prorsus valere fortunam ad sapientis *εὐθυμίαν* imminuendam, cum nullum malum, ne mors quidem, ei nocere possit. Haec omnia in ea quae anteeunt bene quadrant et una tantum difficultas restat, quod p. 476 C versu Euripideo (Bacch. 468) denuo mors voluntaria quasi ultimum refugium commendatur, quam sententiam una cum Euripidis versu — uti in c. 17 cum Asclepiadis versibus — Plut. iterum ex collectaneis suis variis commentario quo in universum utitur non satis apte inseruit.

In altera capitis 18 parte non dubito quin Plut. omnia quae antea exposuerat his verbis comprehendat: '*καὶ δεῖ μηδὲν ἀπογιγνώσκειν μηδ' ἀπιστεῖν τῶν οὕτω λεγομένων*' (476 C med.). Deinde requirit, ut homines tranquillitatem appetentes divino illo furore quem Graeci '*ἐνθουσιασμόν*' nuncupant incitati praecepta sua sequantur ('*δεῖ . . . θαυμάζοντα καὶ ζηλοῦντα καὶ συνενθουσιῶντα πεῖραν λαμβάνειν ἑαυτοῦ*), iubetque istos homines divino quodam stimulo impulsos primum quidem in parvis rebus praeceptis quae edidit operam dare, ut deinde ad maiora et difficiliora ascendere possint.

Qui *ἐνθουσιασμός* satis breviter sane illustratur, uti nostro iure cupiamus Chaeronensem paulo diutius in hac re gravissima morari dilucidiusque illum enthusiasmum describere. Attamen his ratiocinationibus totius disputatiunculae aptum exordium efficeretur, praesertim cum verbis supra exscriptis auctor noster ipse libelli finem significare et ad divinum furorem omnia referre videatur.

At iam ex inopinato novus incipit sententiarum ordo verbis '*ἀτονίαν γὰρ ἐμποιεῖ*' etc., qui apertissime cum c. 16 cohaeret; nam haec fere noster exponit: stultus homo semper haeret in rebus

iucundis (c. 18 fin.) nec, in rebus secundis versans, mala quae ei imminent praesentit (c. 16).

Extrema capitis 18 verba manifesto nos reiciunt ad capitis 17 initium, ubi eadem ratione 'τὰ ἀβούλητα' dividuntur in ea quae 'φύσει τὸ λυποῦν καὶ βαρῦνον' prae se ferunt et ea quae nihil sunt nisi 'τὸ κατεψευσμένον καὶ διάκενον καὶ σαθρόν', uti 'δόξῃ' tantum mala nobis videantur.

Accedit aliud. In capitis 18 fine ad ista infortunia funditus tollenda requiritur 'ὁ καθ' ἕκαστον λόγος', nec vero in eis quae sequuntur eiusmodi quaestio ad singula mala spectans instituitur; contra in capite 17 Plut. nonnullis exemplis adhibitis in hanc rem revera inquirit 'τῷ λογισμῷ πρὸς ἕκαστον' (c. 18 fin.), uti iterum patefiat capitis 18 alteram partem cum capitis 17 prima parte et cum capite 16 coniungendam esse.

At transeamus tandem ad capita 19 et 20. In capite 19 iterum duae partes secernendae sunt quae rhetorica tantum ratione Menandri versu quodam qui duplicem in modum illustratur conglutinatae sunt.[1])

Ac prima quidem pars aperte cohaeret cum capitis 18 quem satis excussimus fine, ubi demonstrabatur ineptum esse malorum φαντασίας ὑφίστασθαι; iam Plut. homines admonet, ne faciant 'ἐν αὑτῷ τὰς φαντασίας ἀτρίπτους καὶ ἁπαλὰς ὥσπερ ἐνσκιατραφούμενον πολλαῖς ἐλπίσιν ὑπεικούσαις ἀεὶ καὶ πρὸς μηδὲν ἀντιτεινούσαις': quibus verbis edocemur unice stultos fortunae malas calamitates non aequo praeparatoque pectore exspectare, sed velut homines deliciis obrutos in mollibus effeminatisque cogitationibus ad futurum spectantibus acquiescere; nonne simillime idem in capitis 18 fine his verbis exprimitur: 'ἐμποιεῖ καὶ μαλακίαν ἡ περὶ τὸ ῥᾷστον ἀεὶ διατρίβουσα καὶ πρὸς τὸ ἥδιστον ἐκ τῶν ἀβουλήτων ἀναχωροῦσα γλυκυθυμία τῆς ψυχῆς'? Quae cum ita sint, hucusque (usque ad c. 19, 476 E med.) pertinent cogitationes quae capitibus 16 et 17 incohantur quasque hoc fere modo circumloqui licet: si mediis in rebus es secundis, noli semper hilari animo in eis haerere (c. 18 fin.; 19 init.), sed respice infortunia in quae celerrime incidere potes (c. 16); nec necessarium est denuo explicare, quam apte haec omnia cum totius libelli nobis propositi indole conspirent, Heinziumque refutare qui (p. 501) inter c. 18 extr., c. 19 et c. 15 differentiam maioris momenti indagasse

1) Fr. 355 Kock. Invenimus hoc fragmentum bis apud Stobaeum. (Ecl. I 7, 7a W.; Floril. 111, 10.)

sibi videtur duos varios Plutarchi fontes indicantem, quia in capite 18 extr. et in c. 19 'ganz entgegen dem in c. 15 Angeratenen empfohlen wird, das Auge fest auf die scheinbaren Übel zu richten, um ihre Nichtigkeit einzusehen'; nam certa et satis perspicua ratione c. 15 et capp. 16, 17, 18 fin., 19 init. inter se opposita esse ab uno eodemque auctore qui illustrare volebat, quomodo sapientem et in mala condicione (c. 15) et in beato vitae statu (c. 16, 17, 18 extr., 19 init.) versantem se habere deceat, neminem spero fore qui neget.

Multo maiores contra difficultates praebet altera capitis 19 pars, quas Heinze ne verbo quidem tangit. Respicit enim haec pars ab iterato Menandri versu principium petens ad capitis 17 summam, omissis eis cogitationibus quae ad mortem voluntariam defendendam ibi proferuntur, nec dubito quin c. 17 apte eis quae in capitis 19 altera parte enarrantur augeatur.

In c. 17 enim victoria quam homo sapiens in qualicumque calamitate a fortuna reportat in universum ponitur in recta cognitione cum legum quibus hominis singuli corpus animusque gubernatur tum principiorum quibus totus mundus subditus est; cf. p. 475 E: '*δόξαι τε χρησταὶ καὶ μαθήματα καὶ λόγοι τελευτῶντες εἰς ἀρετήν, ἀναφαίρετον ἔχουσι τὴν οὐσίαν καὶ ἀδιάφθορον, ἀηττήτους πρὸς τὸ μέλλον εἶναι καὶ θαρραλέους*' etc., qua in sententia verbis '*καὶ λόγοι τελευτῶντες εἰς ἀρετήν*' alterum adminiculum significatur quo sapiens praeter rectam scientiam cognitionemque fortunam superare possit: dico. virtutem quae — pari modo atque scientia — homini qui eius particeps factus est nullo modo eripi potest. Eodem quadrat 475 F, quo loco exponitur fortunam non posse '*κακὸν καὶ δειλὸν .. καὶ φθονερόν*' reddere '*τὸν ἀγαθὸν καὶ ἀνδρώδη*' etc. nec '*παρελέσθαι τὴν διάθεσιν, ἧς ἀεὶ παρούσης πλέον ἢ κυβερνήτου πρὸς θάλατταν ὄφελός ἐστι πρὸς τὸν βίον*'.

At in capite 17 hoc alterum fortunae molestae remedium breviter tantum describitur; supplementum contra nobis offert capitis 19 altera pars, ubi Plut. fusius elatiusque docet quid valeat virtus et bona conscientia ad animi tranquillitatem firmandam et *τύχης* incommoda avertenda. Quem conexum vel singulis verbis evincere possumus; nam c. 17, 476 A legimus: '*ἡ δὲ τοῦ φρονίμου διάθεσις τοῖς τε σωματικοῖς παρέχει γαλήνην*' et c. 19, 477 A haec exstant: '*οὔτ' ἀξίωμα γένους ... εὐδίαν παρέχει βίῳ καὶ γαλήνην τοσαύτην, ὅσην ψυχὴ καθαρεύουσα πραγμάτων καὶ βουλευμάτων πονηρῶν.*'

Ut in antecedentibus capitibus persaepe sapiens homini stulto opponebatur, sic etiam in c. 19 tristitia quae ex paenitentia et pudore pravorum factorum effluit hilaritati animi ex virtutis conscientia nascenti opponitur, et ut in capite 18 sic etiam loco nobis proposito ἐνθουσιασμός ('τὴν ἐνέργειαν ἐνθουσιώδη καὶ ἱλαράν') celebratur, quippe qui effectus virtutis sit. Quae cum ita sint, haec verba ad enthusiasmum spectantia cum simili capitis 18 sententia supra laudata conectenda sunt, praesertim cum iam stilo satis elato indicetur totius libelli summam eis contineri.

Iam si omnia disponere volumus, aliqua probabilitate apud Plutarchi auctorem hunc fere fuisse nexum sententiarum conicere possumus: tranquillitatem animi — excepta ratione qua sapiens cum in rebus adversis tum in rebus prosperis contra fortunam se accingere solet — petere iuvat et ex recta scientia legum quibus tota natura regitur (c. 17) — quo pertinere videntur etiam ea quae Chaeronensis contra mortis timorem in capitibus 17 et 18 disputat, unde accipimus sapientem naturae intimam condicionem perspicientem ne mortem quidem vereri — et ex virtute ac bona conscientia (c. 19[2]). — Cui haec duo εὐθυμίας adminicula praesto sunt is ad insignem illum furorem divinum perpetuumque gaudium pervenit, quae duo Plutarcho omnium bonorum summa videntur (c. 19 fin.). Dein sequebatur c. 18, 476 C, ubi auctor vetat homines librum suum legentes ullum praeceptorum suorum neglegere — nec maximum nec minimum —, si εὐθυμίαν animi revera adipisci velint.

Capp. 15 et 16 a Plutarchi auctore ratione quadam inter se opposita esse iam persuasum te habere puto. C. 16 autem dilucide excipitur capitis 18 fine et capitis 19 initio, quorum capitum indoles capitis 15 indoli clare respondet, ubi delineatur, quo modo homo sapiens mala — ut in capitibus 16—19[1] secunda — ferat.

Iterum igitur perspicuum fit apud Plutarchi auctorem plane atque apte et condiciones cum adversas tum prosperas et rationem cum stulti tum sapientis qua uterque utrumque vitae statum accipiat sibi oppositas fuisse.

In capitis 18 fine Plut. operam dat ut nobis persuadeat permulta quae plerisque mala videntur mala esse non φύσει, sed nostra 'δόξῃ κενῇ', quacum deliberatione coniungas capitis 17 initium, uti Plutarchi auctorem hos duos locos uno nexu protulisse, Plutarchum ipsum autem eos dilacerasse in propatulo sit. Postquam in hac dissertationis a Plutarcho expressae parte 'τὰ δόξῃ' solum 'ἀβούλητα' detecta et reiecta sunt, eius auctor nimirum 'τὰ

φύσει ἀβούλητα' aggressus est, demonstrare studens ne has quidem sane veras calamitates ullo modo sapienti nocere posse, quod ut comprobet tria eiusmodi malorum remedia attulisse videtur, quorum minoris momenti id est quod c. 17, 476 A describitur, unde accipimus ad corporis incommoda levanda plurimum valere modicam vitae victusque consuetudinem; contra multo pluris aestimandae sunt duae aliae medicinae quibus animi labores sanantur, quarum prima est recta naturae legum cognitio (c. 17), quo spectant etiam ea quae c. 17 et c. 18[1] de mortis timore disseruntur; alterum autem tranquillitatis contra fortunae insidias adminiculum laudabilia sunt facinora quae ex virtute conscientiaque bona effluunt (c. 17, 475 DE et praecipue c. 19, 477 AB).

Ex horum duorum triumve remediorum sapienti et apto usu furor divinus oritur (c. 19 fin.); quo accedit c. 18, 476 C, ubi iterum enthusiasmus celebratur hominesque admonentur, ne quid praeceptorum in prioribus capitibus singillatim perlustratorum omittant. Qua ratiocinatione libri quo Plut. ad suam commentationem conscribendam nitebatur finis sine dubio efficiebatur.

At existit nimirum quaestio cur Chaeronensis auctorem suum tam violenter dilacerarit et genuinum sententiarum ordinem adeo perturbarit. Quod ut faciat Plut. permotus esse videtur causis, ut ita dicam, rhetoricis; e. g. in capitis 18 altera parte totius dissertationis quam sequitur exordium antecepit quo nos hortatur, ut a minoribus ad maiora progrediamur; at statim opponit huic sententiae contrariam, eum perstringens qui semper haeret in rebus lepidis levibusque, maiora et graviora adire non audet. Nec minus manifesto Plutarchum rhetorem et ῥητορικῶς materiem suam disponentem deprendimus in capite 19, ubi duas partes plane contrarias uno versu Menandreo, qui in prima parte refutatur, in altera comprobatur, conglutinari supra perspeximus.

Iam intellegimus cur Plut. auctoris sui exordium ἐνθουσιασμόν praedicans mutilaverit, cum duae causae illae rhetoricae quas significavi in hoc unum convenerint. Quibus causis permotus c. 18 fin. et c. 19 init. quae in genuino commentario inter capita 16 et 17 locum tenebant in illud exordium intrusit, uti iam c. 16 capite 17 excipiatur. Haec omnia quae exposui si accipis et concedis Plutarchum, cum non solum philosophus sed etiam rhetor fuerit, satis libere commentariis illis quorum mentionem facit usum esse, haud inutile hoc erit ad totam scribendi rationem Plutarcheam cognoscendam et ad solvendam quaestionem, qua ratione et quousque auctores suos expresserit et in suos libros transtulerit; nam

vidimus eum non dubitasse genuinae quam adhibuit dissertationis exordium dilacerare et in medio paene libri sui ponere.

Sequitur enim praeter c. 19 enthusiasmi laudem novum caput (c. 20)[1]), quod a Plutarcho ex alio commentario petitum esse alia occasione comprobabimus, quamquam — ut iam Heinze (p. 501) animadvertit — in capite 20 non desunt quae cum prioribus capitibus bene concordant; quod iudicium equidem de ultima tantum huius capitis parte usurpare possum, ubi exponitur nos vitam 'ἀμειδῆ καὶ κατηφῆ καὶ τοῖς ἀτερπεστάτοις καὶ πάθεσι καὶ πράγμασι καὶ φροντίσι μηδὲν πέρας ἐχούσαις πιεζόμενον ἀεὶ καὶ συνθλιβόμενον' videntes temere desperare, non aliunde petere 'ἑαυτοῖς ἀναπνοήν τινα καὶ ῥαστώνην'. — Nonne statim in mentem tibi veniunt quae exponuntur in capitibus 5, 8, 14, 15? Cf. e. g. c. 8, 469 B: 'τὴν δὲ διάνοιαν ἐντείνομεν εἰς τὰ λυπηρὰ καὶ προσβιαζόμεθα τοῖς τῶν ἀνιαρῶν ἐνδιατρίβειν ἀναλογισμοῖς'. — φροντίσιν habes etiam c. 14 init.; πιέζειν c. 15, 473F; ibid. ἀναπνεῦσαι (c. 20: ἀναπνοή). c. 20: πράγμασι — c. 8 init.: τὸν περὶ τῶν πραγμάτων λόγον. — Praeterea animadvertas in capitibus 8, 14, 15 ut egregium tranquillitatis subsidium praedicari bonorum praeteritorum memoriam et plane idem contineri capitis 20 ultimis verbis: 'λόγος, ᾧ χρώμενοι καὶ τοῖς παροῦσιν ἀμέμπτως συνοίσονται (quo cf. c. 8, 469 A: 'τοῖς πράγμασι πανσόμεθα μεμφόμενοι'; 469 C: 'ἀγαθοῖς δὲ παροῦσιν οὐ προσάγεις τὴν διάνοιαν'. C. 14 init.: 'παρόντα τὰ χρηστά') καὶ τῶν γεγονότων εὐχαρίστως μνημονεύουσι (cf. c. 14 et c. 15 init. ubi idem praecipitur: c. 14 init.: 'οἱ δὲ φρόνιμοι καὶ τὰ μηκέτ' ὄντα τῷ μνημονεύειν ἐναργῶς ὄντα ποιοῦσιν ἑαυτοῖς'; c. 15 init.: 'ἄνθρωποι .. ἐμπλέκωνται ταῖς τῶν ἀηδῶν ἀναμνήσεσι') καὶ πρὸς τὸ λοιπὸν ἵλεων (cf. c. 8 fin. τὰ λοιπά) τὴν ἐλπίδα καὶ φαιδρὰν ἔχοντες (cf. c. 15, 473 F: 'τῶν πραγμάτων τὰ φαιδρά') ἀδεῶς καὶ ἀνυπόπτως προσάξουσιν.' ('ἀδεῶς' habes etiam c. 9, 469 E; 'ἀδεῶς καὶ ἀτρόμως' c. 16, 474 D.)

Lucramur porro praeter ea quae monui ex capitis 20 fine etiam novum εὐθυμίας adminiculum quod mox magni erit nobis momenti; legimus enim ante verba supra exscripta haec: 'οἱ δ' ἄνθρωποι . . . οὐδ' ἑτέρων παρακαλούντων προσδέχονται λόγον', quibus verbis bene respondet capitis primi exordium: 'τὰ πάθη

1) cf. Hirzel, Hermes 14, 377 sq. Bernays, Die Heraklitischen Briefe p. 38.

τὰ τῆς ψυχῆς διαγριαινόμενα καταπαῦσαι ῥᾳδίως οὐκ ἔστιν, ἂν μὴ λόγοι παρόντες οἰκεῖοι καὶ συνήθεις ἐπιλαμβάνωνται τῶν ταραττομένων.'

Plutarchi igitur ex sententia etiam amicorum consolationes et adhortationes aliquid valent ad tranquillitatem animo parandam, si forte infortuniis cingimur, uti ad tria *εὐθυμίας* remedia supra enodata quartum accedat, quode infra accuratius erit disserendum.

Iam totius commentationis '*περὶ εὐθυμίας*' inscriptae indolem explicandi tempus videtur, ut omnia quae exposuimus quam brevissime comprehendamus.

Hic fere est genuinus praeceptorum ordo: in adversis rebus collige quotquot bonorum indagare potes malisque admisce (c. 5; 6[1]; 8; 14; 15), contra in rebus secundis reminiscere periculorum quae tibi semper fere imminent (c. 9; 16); nam stultus solum homo supersedet etiam acerbis et iniucundis cogitationibus se dedere, cum semper delicato inertique otio fruens suavibus mollibusve rebus incumbat, contra sapiens quieto animo etiam pessimarum calamitatum memoriam tenet et in dies magis sibi persuadet eas maxima ex parte mala esse non *φύσει*, sed pravo nostro iudicio. (c. 18, 476 D—19, 476 E; c. 17 init.—475 C.)

At vel a veris, non solum a fictis incommodis homo sapiens tutus est, quoniam fortuna nihil ei nocere potest (c. 17); firmus enim est et munitus contra omnes casus, cum ei praesto sint:

1) cognitio naturae humanae totiusque mundi nec non mens libera a mortis timore. (c. 17[2]; 18—476 C med.) 2) virtus et bona conscientia animusque vacuus a paenitentiae cruciatu (c. 17, 475 DE et c. 19, 476 F sq.); quo accedunt:

3) modica et temperata vivendi consuetudo (c. 17, 476 A) et 4) amicorum benevolae consolationes. (c. 1 fin. et c. 20 fin.)

Quibus ex ratiocinationibus concluditur sapientem diligenter et divino quodam spiritu inflatum ista praecepta in minimis aeque atque in maximis rebus sequentem hilari frui laetitia et enthusiasmo per totum vitae spatium (c. 19, 477 B et c. 18, 476 C med.), qua ratione dissertatiunculae a Plutarcho expressae egregius finis efficiebatur.

At restant nonnulla capita quae nondum distributa sunt. Ac primum quidem caput — exceptis ultimis verbis — ut totius libelli praefatio Plutarcho ipsi, ni fallor, vindicari potest.

C. alterum quo '*ἡ εὐθυμία τῷ καλῷ*' et '*τῷ αἰσχρῷ*' definitur perbonum mihi videtur principium commentarii illius quem Chaeronensis adhibuit. At hanc quaestionem omnium fere intrica-

tissimam peculiari quaestioni qua de Plutarchi fontibus agendum erit relinquamus.

Eidem commentario iam saepius addiximus capita 4, 5, 6[1], 8, 9, 14, 15, 16 nec non etiam capita 17, 18, 19, 20 fin., quamquam etiam alia haud pauca Chaeronensem ex collectaneis suis eis immiscuisse veri est simillimum.

In universum ex omnibus his capitibus sententiarum nexum bene cohaerentem enodavimus.

De capitibus 3, 10 et 11 ex una compositionis ratione certum iudicium fieri nequit. (cf. supra p. 60.)

Secernenda videntur ab illo Plutarchi commentario capitis 6 altera pars quae idem fere exhibet atque c. 11, c. 7, capita 12 et 13 quae aliquo modo capitum 10 et 11 indolem repetunt; at ne haec quidem quaestio certe diiudicari potest, fontis Plutarchei investigatione omissa; contra maiore fiducia a Plutarchi auctore abiudicabimus ea quae in capitibus 17 et 18 de morte voluntaria disseruntur. De capitis 20 longe maiore parte idem statuendum est atque de capitibus 2, 3, 7, 10, 11, 12, 13.

At reponamus quaestionem quam multa ex eis quae significavi aliena sint a commentario in universum expresso; nam cum Chaeronensis auctorem suum tam violenter perturbarit, non dubito quin etiam eorum quae in totius commentationis indolem a nobis enodatam non tam apte quadrant haud pauca eiusdem commentarioli frustula sint, quamquam ex eis quae philosophus noster in primi capitis initio nobiscum communicat sane concludi licet eum compluria 'ὑπομνήματα' in Paccii amici usum adhibuisse, quorum vestigia detegere hoc loco non est nostrum.

CAPVT II.

De libello 'περὶ φυγῆς' inscripto ('De exilio').

Ex eisdem fere collectaneis etiam parvulae illius consolationis 'περὶ φυγῆς' inscriptae[1]) haud exigua pars petita est de qua

1) Missus est hic libellus ad Sardianum quendam qui a civibus suis ex patria urbe expulsus esse videtur (cf. c. 8 fin. et praecipue c. 12), quem ut consolaretur Plut. satis obiter nonnulla quae forte ei praesto erant congessit.

Volkmann, Plutarch II 246 non recte iudicat hunc Plutarchi amicum missum esse in insulam remotam asperamque; nam quamquam Plut. longum excursum de hominis tali exilio multati sorte intrusit, tamen hoc in amicum non cadere certis verbis c. 12 init. affirmat ('ἀλλὰ ταῦτα

primus Giesecke diligentissime disseruit.[1]) Concedo sane in hoc libello componendo Chaeronensem etiam alios auctores inspexisse: Empedoclem[2]), Pythagoreos[3]), Platonem; prae ceteris autem secutus esse videtur familiae cynicostoicae — liceat barbara hac voce uti — scripta illa aetate vulgatissima.[4]) At haec missa faciamus;

μὲν . . . πρὸς ἐκείνους λέγωμεν . . . οἷς εἰς νῆσον ἀπῳκισμένοις etc., σοὶ δ' οὐχ ἑνὸς δεδομένου μόνον, ἀλλ' ἀπειρημένου τόπου, πασῶν ἐστιν ἐξουσία πόλεων ἡ μιᾶς κώλυσις'). Eidem amico dedicatus esse videtur alius liber Plutarcheus satis memorabilis cui titulus est 'Παραγγέλματα πολιτικά'. Qua dissertatione Chaeronensis Menemachum amicum (c. 1 init.; c. 13, 809 A et saepius) Sardianum (c. 17, 813 E; c. 32, 825 D) qui reipublicae munera adire volebat (c. 1, 798 B) edocet, quomodo optime officia publica exsequi possit. Nonne satis probabile est Menemachum postea, cum Plutarchi praecepta non secutus esset, Sardibus eiectum esse? Accedit quod vel causa cur hoc factum sit indicari potest: cf. enim 'De exilio' c. 12, 604 B 'οὐδὲν οὖν μέλει ἡμῖν, ὅστις ὁ κεκληρωμένος τὴν ἐπαρχίαν ἐστίν, εἰ ἀκράχολος, εἰ ἐπαχθής', quae verba in ipsius Menemachi sortem cadere videntur; nam Asiae proconsul etiam in Praeceptis ger. rei publ. ut homo iracundus commemoratur nec non Plut. Menemachum saepius admonet, ne Romanorum eorumque magistratuum iram incitet (c. 10, 805 AB; c. 17, 813 EF sq.; c. 18; c. 19; c. 32, 824 E sq.). — Praeterea commemorandum est et Menemachum et amicum ad quem libellus 'De exilio' missus est homines fuisse ditissimos: cf. 'Praec. ger. rei publ.' c. 13, 809 A; c. 30 init. 'De exilio' c. 3 fin. et saepius.

Quae cum ita sint, libellus 'De exilio' inscriptus paulo post 'Praecepta gerendae rei publicae' eodem proconsule adhuc Asiam gubernante compositus est, quod factum esse haud ita multo post Domitiani mortem, cum Plut. iam senesceret ('Praec. ger. rei publ.' c. 20, 816 D), apparet ex 'Praec. ger. rei publ.' c. 19, 815 D, ubi commemoratur Rhodiorum tumultus 'ἔναγχος ἐπὶ Δομετιανοῦ' sedatus. Eodem fere tempore conscripta est commentatio 'De capienda ex inimicis utilitate', ubi cf. c. 1 fin. — Ceterum Plutarchum de Sardianorum rebus bene edoctum fuisse exponit Volkmann, Plutarch I p. 62 sq.

1) In dissertatione quae inscribitur 'De philosophorum veterum quae ad exilium spectant sententiis' bonae frugis plenissima: cf. p. 59 sq. 62 sq. Nec vero in omnibus Gieseckii viam probare possum.

2) Cf. Giesecke l. l. p. 97 sq. Ceterum nescio an Plut. omnia Empedoclea sua quibus scatet Epicureis debeat. Lucretium de Empedoclis commentis optime edoctum fuisse decantatum est. Colotes Epicureus Empedoclem impugnavit (cf. Plut. Adv. Colot. c. 3 med. 10. 11. 12. 28 init.) et Hermarchus Epicureus viginti et duo libros contra Empedoclem scripsit (Laert. Diog. X 25): cf. J. Bernays, Theophrasts Schrift von der Frömmigkeit p. 8 et p. 140.

3) Cf. Duemmler, Akademika p. 277.

4) Duemmler, Akademika p. 87 dicit: 'Auf beste kynische Quellen geht Plutarchs Schrift 'περὶ φυγῆς' zurück.' Idem censet Hense Rh. M. 45, 551. Nuperrime Henricus Weber 'De Senecae philosophi dicendi genere Bioneo' 1895 p. 7 Duemmleri coniecturam, quasi extra dubita-

maioris momenti est quod liber 'De exilio' tam saepe cum commentatione 'De tranquill. an.' congruit ut nostro iure illa disputatiuncula uti possimus ad ea supplenda quae ex hoc libro lucrati sumus.

Sic statim in capite 1 adumbrantur fusiusque exponuntur eaedem sententiae quas 'De tranquill. an.' 20 fin. invenimus, ubi vetamur amicorum nos consolantium verba neglegere, cum auctor hoc modo homines nimis lugentes castiget: '*οὐδ' ἑτέρων παρακαλούντων προσδέχονται λόγον*' (sc. infelices). Cf. 'De exilio' 1 init.: '*τῶν λόγων ἀρίστους καὶ βεβαιοτάτους ὥσπερ τῶν φίλων φασὶν εἶναι τοὺς ἐν ταῖς συμφοραῖς παρόντας ὠφελίμως καὶ βοηθοῦντας . . . δεῖ δὲ τὸν παρὰ τῶν φίλων καὶ τῶν βοηθούντων λόγον παρηγορίαν εἶναι μὴ συνηγορίαν τοῦ λυποῦντος.*'[1]) In eis quae sequuntur accuratius enarratur quae amicorum consolationes inutiles sint, nimirum si sint '*συνδακρυόντων καὶ συνεπιθρηνούντων ὥσπερ χορῶν τραγικῶν*' non '*παρρησιαζομένων*' etc., quoniam ineptum sit '*τοῖς ἔξωθεν συναχθομένοις καὶ συναγανακτοῦσι διδασκάλοις χρῆσθαι τῆς λύπης*'.[2])

Si recte supra sententiarum nexum restituimus, affinia sunt haec de amicorum consolationibus prolata eis quae 'De tranquill. an.' c. 17 exponuntur, ubi remediorum illorum quattuor contra fortunam casusque utilium tria indagavimus. Uti 'De tranquill. an.' c. 17, 18, 19, sic etiam 'De exilio' 1 redit vox '*τὰ πράγματα*' ad externas res significandas usurpata, ut ibi sic etiam hoc loco res adversae '*τὰ ἀβούλητα*' nuncupantur. — 'De tranquill. an.' 17 init. legimus: '*τὸ λυποῦν*', 'De exilio' l. l. '*τὸ λυπεῖσθαι*'. 'De tranquill. an.' l. l. exstant haec: '*ἐπεὶ . . . τὰ δὲ πλεῖστα* (sc. *ἀβούλητα*) *δόξῃ δυσχεραίνειν ἐθιζόμεθα καὶ μανθάνομεν, οὐκ ἄχρηστόν ἐστι πρὸς ταῦτα μὲν ἔχειν ἀεὶ τὸ τοῦ Μενάνδρου πρόχειρον·*

tionem sit, accepit. At admodum miror quod Gieseckii liber qui iam pridem hanc Plutarchi disputatiunculam ad Bionem Borysthenitam referre conatus est Weberum prorsus fugit; nam permulta quae sibi indagasse videtur iam Giesecke satis luculenter exposuit. Equidem haec de Bione commenta accipere nequeo, qua de re alia occasione me disputaturum esse spero. Haud pauca in libello 'De exilio' insunt quae cum Musonii Stoici reliquiis concinunt (cf. Giesecke, l. l. p. 32—56; Weber p. 7, adn. 5), id quod aliter explicare non possum, nisi quod uterque philosophus ratiocinationibus similibus illa aetate pertritis usus sit.

1) Quibuscum verbis Giesecke non recte 'De tranquill. an.' 1, 465 A confert; nam ibi non '*βοηθικῆς*' sed '*βιωτικῆς*' traditum est.

2) Non assentior Gieseckio ad 'De tranqu. an.' 7, 468 D respicienti, ubi Stoicorum de misericordia doctrina paucis repetitur.

'οὐδὲν πέπονθας δεινόν, ἂν μὴ προσποιῇ',

τί γάρ πρὸς σέ ἐστι, φησίν, ἂν μήτε σαρκὸς ἅπτηται μήτε ψυχῆς;' quae omnia inde a voce 'οὐδέν' Menandri esse unicus Bernardakis recte perspexit — fragmentorum contra editores et Gieseckium fugit; Menandrea igitur tota sententia est secundum quam nihil pro malo habendum est quod nec corpus tangit hominis nec animum.

Eosdem huius comici versus Plut. etiam 'De exilio' c. 1, quod caput tam arcte conspirare cum libri 'De tranquill. an.' capite 17 iam vidimus, affert et paulo copiosius illustrat, et ad Menandrum forte etiam redit quod 'τὰ πράγματα' et 'ὁ λόγος' quasi personata in publicum prodeunt et caro animusque ipsi interrogantur numquid mali acceperint; Aristo Stoicus cui Giesecke (p. 111) haec omnia assignare studet ista commenta sine dubio non excogitavit. — Porro animadvertas, quaeso, Chaeronensem certa ratione his versibus Menandreis operam dare ut totius capitis 17 indolem etiam 'De exilio' c. 1 comprobet, cum utroque loco evincat plerasque calamitates non 'φύσει' sed 'δόξῃ' mala nobis videri, et uti 'De exilio' c. 1 'τὸ λυπεῖσθαι καὶ τὸ ταπεινοῦν ἑαυτόν' nuncupat 'γιγνόμενον κενῶς καὶ ἀνοήτως' sic similem in modum 'De tranquill. an.' 18 fin. voces 'τὸ κατεψευσμένον καὶ διάκενον' usurpare.

At transeamus ad consolationis 'De exilio' c. 2, ubi Plut. accuratius comprobare studet permulta 'συμπτώματα' non nisi vana opinatione mala nobis videri, id quod, cum Gieseckium fugerit, paucis perscrutari opus est. 'De tranquill. an.' c. 17 inter incommoda quae nihil valent ad beatitudinem tollendam invenimus haec: δυσγένεια πατρός, μοιχεία γυναικός, στεφάνου τινὸς ἢ προεδρίας ἀφαίρεσις — contra νόσοι καὶ πόνοι καὶ θάνατοι φίλων καὶ τέκνων, quo accedit ex capitis 18 fine φυγή, agnoscuntur uti 'φύσει δοκοῦντα λυπεῖν'. Iam evolvamus 'De exilio' c. 2, ubi habemus φυγὰς καὶ ἀδοξίας (cf. 'De tranquill. an.': δυσγένεια πατρός) καὶ τιμῶν ἀποβολάς, quibus malis Plut. opponit στεφάνους (cf. 'De tranquill. an.': στεφάνου ... ἀφαίρεσις) καὶ ἀρχὰς καὶ προεδρίας, cui ultimae voci 'De tranquill. an.' l. l. iterum respondet quam maxime προεδρίας ἀφαίρεσις.

Nec silentio praeterire licet quod simili ratione auctor in utroque libro ratiocinationes suas versibus Euripideis amplificat et exornat; et cum 'De exilio' c. 2 exponit nostrum esse quid pro iucundo quidque pro iniucundo habere velimus ('ἡ ψυχὴ τοῖς πράγ-

μασι πολλάκις τὸ βάρος ἐξ αὐτῆς προστίθησιν'), uno tantum verbo moneam eandem sententiam Plutarchum protulisse 'De tranquill. an.' c. 3, ubi voce '*βαρύνονται*' utitur (p. 466 C), c. 6 et saepius. Vox '*βαρῦνον*' usurpatur c. 17 init.

'De tranquill. an.' 17 et 18[2] Plutarchum vera et ficta mala enucleate divisisse supra vidimus, eademque divisio exstat 'De exilio' 3 init., ubi a '*δόξῃ*' malis transgressus fit ad '*φύσει*' mala his verbis: '*ἔστω δὲ δεινόν, ὥσπερ οἱ πολλοὶ λέγουσι καὶ ᾄδουσιν, ἡ φυγή*', quibuscum conferas 'De tranquill. an.' 18 fin., ubi exilium inter vera mala enumeratum nobis iam occurrit.

Quae ad mala quae primo obtutu tolli non possunt debilitanda Plut. praecipit, ut suavia quae nobis relicta sunt quam maxime urgeamus et cum malis commisceamus hoc modo incommoda tenuantes et liquefacientes.

Haec omnia fere ad verbum redire 'De tranquill. an.' 5 fin., 8, 14, 15 singulis comprobare liceat.

'De exilio' l. l. Plut. duas adhibet similitudines a cibis dulcibus amarisque et a coloribus acribus temperatisque petitas, quorum utrorumque '*ἀηδίαν*' et '*σκληρότητα καὶ βίαν ἀνίατον*' delere possimus dulcibus ad amara admixtis. Eandem plane similitudinem redire 'De tranquill. an.' 8, 469 A Giesecke (p. 60) recte perspexit. Cf. e. g. 'De exilio': '*μιγνύντες αὐτοῖς ἔνια τῶν γλυκέων καὶ προσηνῶν τὴν ἀηδίαν ἀφαιροῦμεν*' — 'De tranquill. an.': '*ἀγαθὸν . . . μιγνύντας ἐξαμαυροῦν*' (cf. 'De exilio': '*μαραυγεῖν*') *τὰ χείρονα τοῖς βέλτιοσι.*' 'De exilio': '*εἰ . . τὴν ὄψιν ἀπεστρέψαμεν ἐπί τι τῶν χλοερῶν καὶ προσηνῶν, τοῦτ' ἔξεστι ποιεῖν καὶ πρὸς τὰ συμπτώματα*' (eandem vocem habes 'De tranquill. an.' l. l.). 'De tranquill. an.': '*τὰς μὲν ὄψεις ὑπὸ τῶν ἄγαν λαμπρῶν τιτρωσκομένας ἀποστρέφοντες ταῖς ἀνθηραῖς . . χρόαις παρηγοροῦμεν.*' — Praeterea 'De tranquill. an.' c. 15, quod caput cum capite 8 artissimo filo coniunctum est, simillima similitudo exstat ad colores spectans varios, qua iterum *μῖξις* bonorum et malorum commendatur.

In utraque igitur commentatione duplex usurpatur similitudo duoque praecepta ex his similitudinibus deducuntur: misce bona ad mala ('De tranquill. an.' c. 15; cf. etiam c. 5 fin.), detorque oculos ab iniucundis ad iucunda (c. 8). At 'De exilio' l. l. haec duo praecepta coniuncta sunt, uti iterum manifestum fiat genuinum sententiarum nexum in libello 'De tranquill. an.' dissolutum esse, interpositis capitibus 9—13, servatum contra in libello 'De exilio' disputante.

Unica est differentia quod in libello 'De exilio' ab istis similitudinibus transitus fit ad ipsam rationem qua hominem fortunae casus accipere deceat, contra in libello 'De tranquill. an.' similitudines hoc consilium sequuntur, uti eis tantum stabiliatur. — At haec differentia stili est, cum Chaeronensis commentarios quos expressit nimirum, prout occasio se offerebat, variaverit. Animadvertendum etiam est quod Menemachus vituperatur, quod non curet '*τὰ χρήσιμα τῶν παρόντων*', cui sententiae optime respondet 'De tranquill. an.' c. 8, 469 A et B, ubi iterum habes voces *πάρεστιν* et *παροῦσιν*. Cf. c. 14 init. '*παρόντα τὰ χρηστά*'.

Accedit quod vel singula verba in utraque quaestiuncula concordant: habes *συμπτώματα, μιγνύναι, ἀποστρέφειν, ὄψιν* (vide supra), *προσηνῶν — προσηνῆ, προσηνῶν* (c. 15), *μαραυγεῖν — ἐξαμαυροῦν, ἀνίατον — ἀνιαρῶν*. 'De ex.': *ἀηδῶν* — 'De tranquill. an.' c. 15 init.: *ἀηδῶν*. c. 8 init.: *ἀηδῆ*.[1])

Pari modo libelli 'De exilio' proximum caput (c. 4) cum libro 'De tranquill. an.' arctissime conectendum est.

In capitis initio Plut. nos admonet ut '*φιλοσόφως*' contra fortunam nos accingamus; nonne hoc in memoriam tibi revocat 'De tranquill. an.' capp. 17 et 18, ubi '*δόξαι τε χρησταὶ καὶ μαθήματα*' ut summum tranquillitatis adminiculum commendantur et '*ὁ τὴν τῆς ψυχῆς φύσιν ἀμωσγέπως ἐπινοῶν*' ut homo a quocumque casu tutus celebratur?

Nec ea quae sequuntur neglegenda esse Giesecke recte perspexit[2]); nam et sententiae et verba repetita fere sunt ex capite 3 et ex libri 'De tranquill. an.' capitibus 5, 8, 14, 15 (redeunt voces: *ἀνιαροῖς, χρήσιμα, τὰ χείριστα τῶν ἰδίων* = 'De tranquill. an.' 9, 469 B: *τὰ κάκιστα τῶν ἰδίων*). Iubet auctor in hoc capite homines bonis quae praesto forte sint (*τὰ παρόντα*) ratione et prudentia uti, quod consilium optime concinit cum dissertationis 'De tranquill. an.' capitibus 9 et 16. Usurpat autem voces ex elatiore stilo petitas ut '*ἀναζωπυρεῖν*' et '*ἀναθάλπειν*', quibuscum conferas 'De tranquill. an.' 15, 473 F: '*ἀναπνεῦσαι*'.

Maioris autem momenti est similitudo de cucurbitulis petita quae 'De exilio' l. l. exstat, ubi cucurbitulis quae '*τὸ φαυλότατον ἐκ τοῦ σώματος ἀναλαμβάνουσαι κουφίζουσι καὶ σῴζουσι τὸ λοιπόν*' opponuntur '*οἱ φιλόλυποι καὶ φιλαίτιοι*' qui '*τῷ τὰ*

1) Haec omnia quae exposui apud Gieseckium desunt.
2) Cum verbis quae sequuntur '*ἐν ᾧ μάλιστα καιρῷ βοηθεῖν πέφυκε*' cf. 'De tranquill. an.' 14, 473 C med.

χείριστα συνάγειν ἀεὶ καὶ διαλογίζεσθαι καὶ προστετηκέναι τοῖς ἀνιαροῖς ἄχρηστα καὶ τὰ χρήσιμα ποιοῦσιν ἑαυτοῖς'.[1])

Eadem comparatione noster utitur 'De tranquill. an.' c. 8, at ratione plane diversa; nam ibi cucurbitulas non laudat, sed stultum hominem cum eis comparat his verbis eum allocutus: '*ὥσπερ αἱ σικύαι τὸ χείριστον ἐκ τῆς σαρκὸς ἕλκουσιν, οὕτω τὰ κάκιστα τῶν ἰδίων συνάγεις ἐπὶ σαυτόν*'. Qua ex differentia satis apparet Plutarchum non ipsum hanc similitudinem, quae etiam tertio loco ('De curiositate' 6, p. 518 B) exstat, sibi excogitasse sed in collectaneis suis invenisse et alio loco aliter transformasse. Hoc eo facilius tibi persuadebis, si perspexeris etiam finem capitis 4 ex eodem auctore atque commentationis 'De tranquill. an.' longe maiorem partem depromptum esse (cf. Giesecke p. 61): dico Homeri illam de duobus doliis in Iovis limine positis narratiunculam quam a veritate longe aberrare Plut. et 'De exilio' l. l. et 'De tranquill. an.' c. 14 contendit, quia '*ἕκαστος ἐν ἑαυτῷ τὰ τῆς εὐθυμίας καὶ τῆς δυσθυμίας ἔχει ταμιεῖα*'; eandem sententiam pari ratione 'De tranquill. an.' c. 4 fin. explicari supra (p. 58) vidimus.

Accedit quod 'De tranquill. an.' 14 inter se comparantur *οἱ ἀνόητοι* et *οἱ φρόνιμοι*, c. 5 fin. *οἱ ἀπαίδευτοι* et *οἱ φρόνιμοι*, nec aliter 'De exilio' sibi opponuntur *οἱ νοῦν ἔχοντες* et *οἱ πολλοί* quae voces idem fere significant atque *οἱ ἀνόητοι*.

Etiam causas propter quas minor pars hominum sapiens, longe maior stulta nuncupanda sit in utroque libro plane easdem esse idem Giesecke accuratius demonstravit. Praeter ea quae hic homo doctus attulit, quam affinia sint 'De exilio' c. 4 et 'De tranquill. an.' c. 8 etiam his comprobari potest: 'De exilio' homines '*φιλόλυποι*' vituperantur propter '*τὸ ἀεὶ διαλογίζεσθαι καὶ προστετηκέναι τοῖς ἀνιαροῖς*' — et simillima ratione 'De tranquill. an.' 8, 469 B, quia '*προσβιαζόμεθα τοῖς τῶν ἀνιαρῶν ἐνδιατρίβειν ἀναλογισμοῖς*', quo loco antecedunt verba: '*τὴν δὲ διάνοιαν ἐντείνομεν εἰς τὰ λυπηρά*', sequuntur autem haec: '*μονονοὺ βίᾳ τῶν βελτιόνων ἀποσπάσαντες*'. Ergo in utraque dissertatione auctor eadem fere vi et ardore in eos invehitur qui cogitationes suas a bonis ad mala deflectunt.

'De exilio' l. l. legimus: '*ἀναλαμβάνουσαι κουφίζουσι*', quo cf. 'De tranquill. an.' c. 8, 469 C med.: '*ἀνακουφίζειν*', c. 15 fin.: '*ἀναλαμβάνοντες*'. 'De tranquill. an.' 14 dicit auctor: '*οἱ ἀνόητοι*

1) Aristonis hanc similitudinem esse conicit causis satis vilibus Hense, Rh. M. 45, 550. A Gieseckio Bioni tribuitur.

παρόντα τὰ χρηστὰ παρορῶσι' (cf. c. 8, 469 A ubi pari ratione homines bona sibi reliqua non satis aestimantes perstringuntur); 'De exilio' l. l. contendit: '*τοῖς πολλοῖς ὥσπερ ἠθμοῖς ἐμμένει καὶ προσίσχεται τὰ φαυλότατα, τῶν βελτιόνων ὑπεκρεόντων*', cui similitudini admodum affinis est ea quae 'De tranquill. an.' 15 init. de culicibus usurpatur qui '*ταῖς τραχύτησι προσέχονται καὶ ταῖς ἀμυχαῖς*'. — 'De exilio' c. 4 fin. habes '*ὑπεκρεόντων*', 'De tranquill. an.' l. l. '*ἀπορρέοντες*' et c. 14 fin. '*ὑπεκρεῖν*'. — 'De exilio' '*τὰ φαυλότατα*' opponuntur '*τοῖς βελτίοσιν*' uti 'De tranquill. an.' '*τὰ χείρονα τοῖς βελτίοσι*'.

E contrario sapientes in libello 'De exilio' praedicantur, quia '*ἐκ τῶν ἀγαθῶν τοῖς κακοῖς ἐπαρυτόμενοι τὸν βίον ποιοῦσιν ἡδίω καὶ ποτιμώτερον*' (cf. 'De tranquill. an.' 8, 469 C: '*τὰ χρηστὰ καὶ πότιμα*'), quam commixtionem in libri 'De tranquill. an.' capitum saepius pertractatorum indolem optime quadrare satis superque demonstravimus.

E. g. idem '*μῖγμα*' requiritur c. 8 init., c. 15, 473 F et 474 B, ubi legimus: '*δεῖ . . . ἀμβλύνοντας ἀεὶ τοῖς κρείττοσι τὰ φαῦλα* (cf. c. 8 init.) *καὶ τὰ χείρονα τοῖς χρηστοῖς* (quae vox iam saepius nobis innotuit) *ἐμπεριλαμβάνοντας ἐμμελὲς τὸ τοῦ βίου μῖγμα ποιεῖν καὶ οἰκεῖον αὑτοῖς*', quae verba iterum libelli 'De exilio' capitis 4 exordium in mentem revocant. Similis ceterum mixtio requiritur 'De tranquill. an.' c. 11 fin., ubi praeter voces '*τὰ οἰκεῖα*' verbum '*ἀπαρύτειν*' notandum est (cf. 'De exilio' l. l.: '*ἐπαρυτόμενοι*').

Ista commixtio Chaeronensi necessaria videtur, quia '*τῶν ἀνθρωπίνων καθαρὸν οὐδὲν οὐδ' ἀμιγές*' ('De tranquill. an.' 15, 474 A); nonne idem fere exprimitur libri 'De exilio' his verbis: '*μεθιεὶς τοῖς μὲν ἤπια καὶ μεμιγμένα τοῖσ δ' ἄκρατα ῥεύματα τῶν κακῶν*'?

Tota haec de commixtura bonorum et malorum deliberatio capitis 5 primis verbis breviter repetitur: '*ἐπάγεσθαι δεῖ τὸ ἱλαρὸν καὶ τὸ εὔθυμον ἐκ τῶν ὑπαρχόντων καὶ ὑπολειπομένων ἀγαθῶν, τῷ οἰκείῳ τἀλλότριον ἐκλεαίνοντας*', quibus in verbis iam una vocula '*εὔθυμον*' nos reicit ad commentationem supra illustratam cui titulus est '*περὶ εὐθυμίας*', ubi adiectivum *εὔθυμος* invenimus c. 2, 465 D (*εὐθυμοτέρας*) et in eiusdem capitis fine (*τὸ εὔθυμον*). '*Ἱλαρῶν*' exstat 'De tranquill. an.' 15 init., '*ἱλαρῶς*' c. 8, 469 A; '*οἰκεῖον*' cum alias tum 'De tranquill. an.' 4, 467 A; 5 init. et fin.; 15, 474 B. — Vox '*τἀλλότριον*' redit etiam in versu comico (Kock III p. 476) qui 'De tranquill. an.' 8, 469 B

laudatur. 'ὑποκείμενα' habes 'De tranquill. an.' 8, 469 C. Cf. etiam c. 12 init.: 'πρὸς τὴν ὑποκειμένην δύναμιν'. Ad verba 'ἐπάγεσθαι δεῖ τὸ ἱλαρόν' conferre licet 'De tranquill. an.' 8, 469 B: 'ἀγαθοῖς παροῦσιν οὐ προσάγεις τὴν διάνοιαν'.

Iam novas excitant quaestiones prima capitis 5 verba supra omissa: 'κἂν ἀληθῶς κακῷ τινι καὶ λυπηρῷ περιπέσωμεν', quibus in eis quae sequuntur respondent verba: 'ὧν δ' ἡ φύσις οὐδὲν ἔχει κακόν, ἀλλ' ὅλον καὶ πᾶν τὸ λυποῦν ἐκ κενῆς δόξης ἀναπέπλασται, ταῦτα δεῖ, καθάπερ τοῖς δεδοικόσι τὰ προσωπεῖα παιδίοις ἐγγὺς καὶ ὑπὸ χεῖρα ποιοῦντες . . . ἐθίζομεν καταφρονεῖν, οὕτως ἐγγὺς ἁπτομένους καὶ συνερείδοντας τὸν λογισμὸν τὸ σαθρὸν καὶ τὸ κενὸν καὶ τὸ τετραγῳδημένον ἀνακαλύπτειν.' Eadem igitur 'φύσει' et 'δόξῃ' malorum divisio nobis se offert quam in capitibus 1 et 2 indicavimus. Redit in capite 1 vox 'κενῶς'; ibidem ad voces 'λογισμός' et 'ἀνακαλύπτειν' arridet 'λόγος' quo 'ψηλαφηθέντα καὶ ἀνακαλυφθέντα' ipsa 'τὰ πράγματα' loquentia in scenam prodeunt.

At multo dilucidius quam ex capitibus 1 et 2 ex hoc capite 5 manifestum fit haec commenta ex eodem commentario deprompta esse atque 'De tranquill. an.' 17 et 18 fin., qua de re vide Gieseckii libelli p. 61, cuius quaestioni nonnulla addenda sunt, cum ad c. 18 tantum respexerit. — 'Τὸ λυποῦν' invenimus etiam 'De tranquill. an.' 17 init. cum voce 'βαρῦνον' coniunctum (v. supra p. 76). 'De exilio' l. l. habes 'ἐθιζόμεν καταφρονεῖν' — 'De tranquill. an.' l. l. 'δυσχεραίνειν ἐθιζόμεθα', nec non Gieseckium fugisse videtur voci 'τετραγῳδημένον' satis abundanti respondere 'De tranquill. an.' 18 fin. vocem 'κατεψευσμένον'. Eodem loco redeunt voces 'σαθρόν' et 'διάκενον' ('De exilio' l. l.: κενόν); maioris autem est momenti, quod utroque loco plane eadem sententia enarratur secundum quam ratio mala quae videntur aggressa perfacile vincit. Cf. 'De tranquill. an.' l. l.: 'γλυκυθυμία τῆς ψυχῆς . . . νόσου καὶ πόνου καὶ φυγῆς μελετῶσα φαντασίαν ὑφίστασθαι καὶ προσβιαζομένη τῷ λογισμῷ . . . εὑρήσει πολὺ τὸ κατεψευσμένον καὶ διάκενον καὶ σαθρὸν ἐν τοῖς δοκοῦσι χαλεποῖς καὶ φοβεροῖς' = 'De exilio' l. l.: 'δεῖ . . . ἐγγὺς ἁπτομένους καὶ συνερείδοντας τὸν λογισμὸν τὸ σαθρὸν καὶ τὸ κενὸν καὶ τετραγῳδημένον ἀνακαλύπτειν', sc. eorum quorum 'τὸ λυποῦν ἐκ κενῆς δόξης ἀναπέπλασται.'

In eis quae sequuntur Plut. de exilio verba facit, quod verum esse malum negat. Haec sententia adaptata est ad totius consola-

tionis indolem, nec nostra interest argumenta partim Stoica partim Cynica partim Academica accuratius examinare, quibus auctor ad liquidum deducere studet 'φύσει' nullam esse patriam (cf. c. 5, 600 E).

Nec vero uno tantum verbo totam hanc quaestionem missam facere possumus; nam in communi commentario e quo uterque libellus a nobis percensitus effluxit etiam de exilio agebatur; sed ibi exilium inter 'φύσει συμπτώματα' relatum esse 'De tranquill. an.' c. 18 fin. docetur.

At satis habeo demonstrasse eundem commentarium et eadem collectanea utrique disputationi subesse tantumque abesse, ut altera pendeat ab altera, ut in utroque libro componendo Plut. manifesto ipsum fontem adierit alterque ex altero augendus et supplendus sit. Accedit quod vel commentarii genuini forma in utroque scripto servata videtur. E. g. simillimas similitudines et 'De tranquill. an.' et 'De exilio' deprehendimus; in utroque volumine sapientis ratio hominis inepti pravis actionibus et cogitationibus opponitur.

Attamen negari nequit fontem primarium in his duabus commentatiunculis admodum perturbatum esse, et in libello 'De exilio' quidem maxime in ea parte qua verorum et fictorum malorum divisio continetur. In eiusdem libri capitis 5 initio breviter ea comprehenduntur quae multo fusius exponuntur 'De tranquill. an.' 17 et 18 fin. Quae cum ita sint, etiam argumento plane aliunde petito certissime probatur libri 'De tranquill. an.' cpp. 17 et 18 arctissima necessitudine inter se coniuncta esse, quippe quorum summa libelli 'De exilio' capitis 5 initio contineatur, uti in hac re commentatiuncula 'De exilio' propius ad communem auctorem accedat quam dissertatio 'De tranquill. an.' inscripta.

Nec minoris momenti est quod amicitiae vis, quoad ad 'εὐθυμίαν' pertinet, in scripto 'De tranqu. an.' perpaucis tantum verbis illustratur, contra in libro de quo agimus paulo accuratius per singula adumbratur, quamquam Plut. amicorum consolationibus haud multum tribuit et hominibus 'καθ' αὑτούς' mala impugnare suadet, quo spectant tria alia tranquillitatis adminicula supra enodata.

Iam adnotavi deliberationem ad diversa mala spectantem in libello 'De exilio' non continuam exstare, sed capitibus 3—5, 600 D interruptam esse alia illa sententia qua edocemur, quo modo in malis forte gravioribus versantes ea bonis admixtis tenuare possimus. Easdem ratiocinationes — at multo pleniores — iam indagavimus 'De tranquill. an.' 4, 5, 8, 14, 15, ut iterum libri 'De exilio' brevi compressione evincatur — id quod supra alias ob

causas suspicati sumus — capita 4 et 5, 8, 14, 15 in genuino commentario a Plutarcho expresso uno continuoque nexu se excepisse, qui in libro 'De exilio' in universum adhuc servatus est. Pauca tantum aliunde inserta sunt: dico c. 3 fin., ubi Plut. ipsum amicum quem consolaturus est alloquitur et c. 4 initium, quod rhetoricis causis permotus ex collectaneis suis in genuinum sententiarum ordinem intrusit.

Quae restant haec fere sunt: contra mala in quae incidimus necessarium est omnes res bonas iucundasque quae nobis manserunt tenere (c. 3) et secunda solum, non adversa respicere, cum stulti tantum homines in tristibus rebus haereant itaque vel dulcia amara sibi reddant; unice penes nos esse diiudicare quid bonum quidque malum sit, non penes Iovem seu fortunam, quoniam commixtionem illam adhibere nobis semper liceat (c. 4). Quae omnia c. 5 init. denuo breviter comprehenduntur.

Eodem plane modo 'De tranquill. an.' l. l. sententiae progrediuntur, cum Chaeronensis praecipiat ut bona ad mala admisceamus, hoc modo vel intolerabilia quae videntur tolerabilia reddentes; stultum solum semper mala in animo habere; iudicium de bonis et malis nostrum esse, cum commixtio illa penes nos sit, Plut. docet in capite 14 eadem narratione Homerica atque 'De exilio' c. 4 fin. reprobata.

At 'De tranquill. an.' c. 14[2], 15 auctor istas deliberationes amplificat, cum demonstrat ne bona quidem praeterita inutilia esse, sed recordationem eorum multum valere ad tranquillitatem parandam.

Quae commenta 'De exilio' l. l. omisit, videlicet quia non opus eis erat ad ea quae in hac quaestiuncula comprobare volebat; nec vero dubitari potest quin etiam in Plutarchi fonte exstiterint.

Iam animadvertendum est 'De tranquill. an.' 15 fin. post versum Menandreum totum harum cogitationum argumentum breviter repeti eodem paene modo atque 'De exilio' 5 init. Quae cum ita sint, non solum in universum sententiae sed etiam eadem compositionis structura, eidem versus poetarum, eaedem similitudines, eadem fere verba singularia, eadem sapientis et stulti comparatio, denique eadem totius argumenti iteratio in utroque libro redeunt, quibus omnibus argumentis cum ex indole tum e stilo petitis certe evincitur communem esse horum duorum scriptorum fontem.

Cui non obstat quod in libello 'De tranquill. an.' tota quaestio multo fusius explicatur, in libello 'De exilio' contra paucis tantum verbis; nam quamquam ex illo libro multo plura lucramur, tamen in hoc sententiarum ordo, in altero dilaceratus, longe fidelius ser-

vatus est. E. g. similitudines ad '*βρώματα*' (c. 3) et ad Iovis dolia (c. 4) spectantes in hoc libro accuratius ex communi commentario depromptae sunt, nec dubito quin ibidem comparatio a cribris petita ex eodem auctore assumpta sit, cum in singulis cum aliis quae excussimus bene concordet.

De similitudine ad cucurbitulas spectante iam supra verba feci (cf. p. 79) et persuasum habeo eam in libro 'De tranquill. an.' fidelius servatam esse, cum pari modo atque hoc loco etiam 'De curios.' 6 in malam, non, ut paulo artificiosius in libro 'De exilio', in bonam partem conversa usurpetur.

In proximis disputatiunculae 'De exilio' capitibus Plut. varios consolationum *τόπους* quos Graeci dicunt, quoad attinent ad exilium, perlustrat, ut amici maerorem minuat. Redolet haec pars Stoicorum Cynicorumque, quorum commenta Plutarchi aetate admodum coaluerant, doctrinam

Ad nostram rem caput 8 pertinet, cuius prima verba sententiam exprimunt nobis satis notam; dicit enim auctor: '*ἂν γὰρ σκοπῇς ἄνευ κενῆς δόξης τὴν ἀλήθειαν.*' — Accedit aliud. 'De tranquill. an.' 4 Chaeronensis hominis nescio cuius enuntiatum refutat qui contenderat: '*ἡ συνήθεια ποιεῖ τοῖς ἑλομένοις τὸν ἄριστον βίον ἡδύν*'; nam Plutarchi ex sententia non consuetudo sed unum '*τὸ φρονεῖν*' vitam beatam reddit. Contra 'De exilio' l. l. auctor hoc consilium '*καλόν*' nuncupat Pythagoreis id tribuens, qua in re eo magis ei fidem habere possumus quod cum alias noster Pythagoreorum '*παραγγέλματα*' saepius in publicum vocat, tum 'De exilio' c. 8 genuina huius dicti forma servata est ('*ἑλοῦ βίον ἄριστον, ἡδὺν δ' αὐτὸν ἡ συνήθεια ποιήσει*').[1]

In eis quae sequuntur hominis publicis negotiis dediti mala condicio depingitur, petitique sunt colores maxima ex parte ex imperii Romani statu. Addenda sunt c. 11, 603 F, ubi exul praedicatur, quia tutus sit a sycophantis nec quisquam eum '*συναρχαιρεσιάσαι*' iubeat, et c. 12, 604 B, ubi ei qui queritur: '*οὐκ ἄρχομεν οὐδὲ βουλεύομεν οὐδ' ἀγωνοθετοῦμεν*' obicitur: '*οὐ στασιάζομεν* (cf. c. 8) *οὐδ' ἀναλίσκομεν οὐδὲ προσηρτήμεθα θύραις ἡγεμόνος*'. Etiam haec adaptata sunt ad Graecarum provinciarum — maxime Asiae — imperatoria aetate condicionem; nam nemo est quin sciat, quid illis temporibus agonothetae munus non tam vi quam dignitate valuerit.

1) cf. Natorp, Die Ethika des Demokrit p. 91, adn. — 'De san. tuenda' c. 3, 123 C hoc enuntiatum ad corpus refertur, ut 'De exilio' l. l. ad exilium.

Nec vero in universum istae deliberationes apud Plutarchi auctorem deerant; nam recogita, quaeso, nostrum 'De tranquill. an.' c. 2 se accingere contra virum quendam qui homines tranquillitatem appetentes rei publicae muneribus operam dare vetuerat; praeterea Giesecke (p. 62) optime respicit ad eiusdem libri c. 10 fin., ubi eandem plane atque 'De exilio' c. 12 oppositionem habes: '*ὅταν ἀκούσωμεν ἑτέρου λέγοντος, ὡς μικρὰ τὰ καθ' ἡμᾶς πράγματα καὶ λυπρὰ δεινῶς, μὴ ὑπατευόντων μηδ' ἐπιτροπευόντων* (simillime 'De exilio' l. l. homines male contenti introducuntur) *ἔξεστιν εἰπεῖν* (cf. 'De exilio': '*τῷ* '*οὐκ ἄρχομεν* . . .' *ἀντίθες τὸ'* etc.)· *οὐ προσαιτοῦμεν, οὐκ ἀχθοφοροῦμεν, οὐ κολακεύομεν'* (cui ultimae voci respondet 'De exilio': '*οὐ προσηρτήμεθα θύραις ἡγεμόνος*'. Cf. etiam 'De tranquill. an.' 3, 466 C '*προαγωγὰς ἐν αὐλαῖς διώκουσι*').

Habes igitur in utroque libello in altera oppositionis parte tria membra; etiam in priore parte in libro 'De exilio' tria, in libro 'De tranquill. an.' contra duo tantum membra exstant.

Quae cum ita sint, certus iste querelae et consolationis oppositus in utraque commentatione fortuito servatus esse nequit, sed ex fonte aliquo necessario depromptus est, in quo idem fere fingebatur dialogus stulti qui aegre fert quod a magistratu honoribusque publicis remotus sit et sapientis qui illum consolatur. Praeterea animadversione dignum est quod utroque loco is qui alteri respondet prima persona loquitur, idemque facit 'De exilio' l. l. etiam is qui rei publicae officiorum amissionem deplorat, uti duas ob causas (cf. supra) Plut. in hac disputatiuncula accuratius quam in libro 'De tranquill. an.' auctorem suum excerpsisse videatur.

Quae omnia si complectimur, id certe constat iam Plutarchi auctorem docuisse ineptum esse publicis muneribus amissis dolori se dedere, eidemque videtur viva forma deberi, qua stultus et sapiens in scenam prodeunt et ut in dialogo inter se colloquuntur; contra, quod attinet ad singula, Plutarchi ipsius ingenium sapimus, cum fontis sui indolem adaptarit ad suae aetatis Romanique imperii statum et ad Menemachi, amici Sardiani in exilium missi, condicionem.

Recurrentibus nobis ad c. 8 tantum commemorare liceat inde a capite 8 usque ad c. 11 longum sequi excursum de exulis in parvam remotamve insulam missi condicione, qui minime quadrat in Menemachi sortem sed eam ob causam a Plutarcho insertus esse videtur, ut amicus intellegat multos exules longe graviore se ipso poena affectos, at ne hos quidem revera infelices esse.

Sed haec missa faciamus et accuratius definiamus, quae sit inter libros nobis ad tractandum propositos necessitudo.

Praeter ea quae iam attuli in capitis 11 initio Zenonis enuntiatum animadvertendum est, quod nobis innotuit etiam 'De tranquill. an.' 6, 475 D, ubi eadem fere verba redeunt: cf. 'De exilio' 'ναῦν μετὰ τῶν φορτίων' — 'De tranquill. an.' 'ναῦς φορτηγός'. Zenonis ipsius verba: 'εὖγ', ὦ Τύχη, ποιεῖς, εἰς τρίβωνα καὶ βίον φιλόσοφον συνελαύνουσ' ἡμᾶς' tam accurate etiam 'De tranquill. an.' l. l. repetuntur (pro 'εἰς βίον φιλόσοφον' habes ibi 'εἰς τὴν Στοάν', quod idem fere est), ut ne hoc quidem casui assignare possimus; immo in utroque libro Plutarchum ex eodem auctore hanc narratiunculum arcessivisse eo confidentius contendere audeam quod 'De exilio' l. l. ea non apte quadrat in sententiarum nexum, cum in Zenonis dicto minime de exilio res sit; nec non intrusum id esse ex simillimo sententiarum ordine apparet ex libelli 'De capienda ex inimicis utilitate' eodem fere tempore conscripti (v. supra p. 75, adn.) capite 2, ubi in eodem paene nexu atque 'De tranquill. an.' 6 hoc Zenonis enuntiatum affertur et pecuniae amissioni quam Zeno perpessus est 'πατρίδος στέρησις', Diogenis exemplo illustrata, opponitur.

Post illum excursum inde a capite 12 iterum exponitur exilium plus afferre boni quam mali homini sapienti.

Quae deliberationes cum libri 'De tranquill. an.' capitibus 4, 5, 8, 14, 15 etc. bene conspirant; nam iterum decantata illa bonorum et malorum commixtio, hoc loco ad exilium conversa, commendatur; cf. enim p. 604 C: 'τῆς φυγῆς πρὸς ἓν μέρος τὸ ἄδοξον ἐντεινόμενοι ('De tranquill. an.' c. 8: 'ἐντείνομεν') παρορῶμεν ('De tranquill. an.' c. 8: 'παρορᾶν', c. 14: 'παρορῶσιν') τὴν ἀπραγμοσύνην καὶ τὴν σχολὴν καὶ τὴν ἐλευθερίαν' (c. 2 coniuncta sunt: 'φυγὰς καὶ ἀδοξίας'; 'ἀπραγμοσύνη' ut exilii commodum celebratur cum alias tum c. 3, 600 A. 'Σχολήν' habes etiam 'De tranquill. an.' c. 8 et c. 14). — Nec silentio praeterire licet libelli 'De tranquill. an.' capitis 6 priorem partem, quam in eodem sententiarum nexu atque capita 4, 5, 8, 14, 15 locum tenuisse supra evicimus. Ubi paulo post Zenonis illud enuntiatum is qui — uti Menemachus — 'φιλίαν μνώμενος ἡγεμόνος ἀπώσθη' praedicatur, quia vivat 'ἀκινδύνως καὶ ἀπραγμόνως'; idem igitur malum quod plerisque videtur et 'De tranquill. an.' l. l. et 'De exilio' c. 12 fin. eam maxime ob causam laudatur, quia otium ad studia philosopha plane necessarium ex eo lucremur. Cf. etiam singula: 'De exilio' l. l.

Chaeronensis '*ἐλευθερίαν*' laudibus cumulat similique ratione 'De tranquill. an.' eum cui ruri libere vitam suam degere licet. Etiam in ultimis capitis de quo agimus (c. 12) verbis ea commoda celebrantur quibus homo publicis muneribus vacuus fruatur; invenimus iterum voces '*ἡγεμόνος*', uti 'De tranquill. an.' 6, 467 D ac 'De exilio' 12, 604 B et '*περισπῶντος*', ut in capite 8, 602 C '*περισπῶσαν*'.

Ex capite 13 nihil quod huc pertinet lucramur, cum ibi Plut. varia tantum nonnulla collectanea conglutinarit; nec de capite 14, quo certiores fimus plerosque philosophos et historicos patria relicta sua sponte in alienis regionibus per totam fere vitam versatos esse, hoc loco diiudicare possumus.

Capita 15—17 Cynicam redolent doctrinam, qua de re vide Gieseckium per magnam dissertationis suae partem Teletis et Musonii reliquias cum Plutarcho conferentem.

Iam commemoratione dignum videtur c. 16, 606 D, ubi haec exstant: '*καὶ τοῦτο τῆς ἀβελτερίας ἔγκλημα μᾶλλον ἢ τῆς φυγῆς ἐστιν. οὐ γὰρ οἱ μαθόντες οὐδ' ἐπιστάμενοι χρῆσθαι τοῖς παροῦσιν, ἀλλ' οἱ ἀεὶ τοῦ μέλλοντος ἐκκρεμάμενοι καὶ γλιχόμενοι τῶν ἀπόντων ὡς ἐπὶ σχεδίας διαφέρονται τῆς ἐλπίδος*': quae verba mirum quantum conspirant et cum capitibus 3—5 init. (cf. c. 4: '*χρώμενοι εὐλογίστως τοῖς παροῦσιν*') et cum libri 'De tranquill. an.' capitibus iam saepius collaudatis; nam sub capitis 14 fine Plut. castigat homines '*τῆς αὔριον ἐκκρεμαμένους*' pari modo atque 'De exilio' l. l. eos qui '*τοῦ μέλλοντος ἐκκρεμάμενοι*' sint. Nec aliter 'De tranquill. an.' c. 14 init. perstringuntur ei qui '*παρόντα τὰ χρηστὰ .. ἀμελοῦσιν ὑπὸ τοῦ συντετάσθαι πρὸς τὸ μέλλον ἀεὶ ταῖς φροντίσιν*'.

Cum primis verbis ex libelli 'De exilio' capite 16 supra exscriptis ('*τοῦτο τῆς ἀβελτερίας ἔγκλημα μᾶλλον ἢ τῆς φυγῆς ἐστιν*') conferas, quaeso, 'De tranquill. an.' c. 12 init., ubi eadem fere sententia his verbis continetur: '*εὐθυμίαν κολούει .. μειζόνων ἐφιεμένους ταῖς ἐλπίσιν . . . αἰτιᾶσθαι δαίμονα καὶ τύχην, ἀλλὰ μὴ τὴν αὑτῶν ἀβελτερίαν*'; extrema contra verba quae supra attuli in mentem tibi revocant ea quae Plut. 'De tranquill. an.' 18 fin. et 19 init. de falsis '*ἐλπίσι*' disserit.

Haec omnia Giesecke silentio praeteriit; contra recte indicavit totius libelli 'De exilio' exordium cum commentationis 'De tranquill. an.' capite 4 egregie convenire; nec vero singula accuratius pertractavit.

Dissertationis 'De tranquill. an.' enim capitis 4 argumentum

hoc est: 'ὁ λογισμὸς εὐκολίαν καὶ μεταβολὴν ἐγγενόμενος ποιεῖ πρὸς ἕκαστον βίον'. Quod ut comprobet, Chaeronensis tribus exemplorum paribus utitur, oppositis Alexandro Crateti, Agamemnone Diogeni, Phaethonte Socrati.

Iam in libri 'De exilio' inscripti fine coniunguntur Anaxagoras et Socrates quorum uterque in loco quamvis miserabili felix erat, quibus auctor opponit Phaethontem et Tantalum quos 'εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναβάντας οἱ ποιηταὶ λέγουσι ταῖς μεγίσταις συμφοραῖς περιπεσεῖν διὰ τὴν ἀφροσύνην'.

Quod exordium minime quadrare in ea quae antecedunt, ubi rationibus Empedocleis et Platonicis demonstratur nullum locum homini εὐθυμίαν eripere posse, in promptu est; nam quod ad Socratem attinet, hic eam tantum ob causam praedicatur, quia 'φάρμακον πίνων ἐφιλοσόφει', non quia in carcere felix sibi videbatur; Phaethon autem Tantalusque non tam locum quendam alium appetere quam maiorem potentiam arripere conati superbia sua perierunt. Quae cum ita sint, iam Ioh. Stobaeus hoc exordium satis obiter adnexum esse perspexit, cum in Florilegio id omiserit. — Contra 'De tranquill. an.' c. 4 omnia haec exempla cum toto argumento bene concinunt; nam ibi haec exponuntur: 'ὥσπερ τὸ ὑπόδημα τῷ ποδὶ συνδιαστρέφεται καὶ οὐ τοὐναντίον, οὕτω τοὺς βίους αἱ διαθέσεις συνεξομοιοῦσιν αὐταῖς.'

Accedit quod hoc loco tria illa exemplorum paria egregie se excipiunt; contra 'De exilio' l. l. haec certa oppositio plane dissoluta est. Nec vero tantum libri 'De tranquill. an.' locum noster in altero libello mutuavit sed etiam 'De exilio' l. l. ipsum fontem adiit, cum ibi addat Anaxagoram Tantalumque, qui 'De tranquill. an.' l. l. desunt, contra in genuino commentario fuisse videntur; nam 'De profectu in virtutibus' c. 15, 84 F iterum invenimus 'εἱργμὸν Ἀναξαγόρου', cui apud Plutarchi auctorem Tantalum oppositum fuisse haud improbabile est.

CAPVT III.

De libello 'περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας' inscripto.

Praeter hanc quam iam tractavimus commentatiunculam dissertationi qua de tranquillitate animi agitur simillimum esse libellum 'περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας' inscriptum rectissime Heinze l. l. intellexit; nam totus fere depromptus est ex eisdem atque libri 'De tranquill. an.' et 'De exilio' commentariis, quod singulis liceat comprobare.

In libro 'De tranquill. an.' Plut. docet nostrum esse diiudicare quid bonum quidque malum sit, nec aliud fert iudicium 'De exilio' 2 fin. Iam conferas, quaeso, 'De virt. et vit.' c. 1 fin., ubi exponitur secundam fortunam non habitare in splendidis aedibus ingenti mole argenti, servorum multitudine refertis; immo: 'τὸ ἡδέως ζῆν καὶ ἱλαρῶς οὐκ ἔξωθέν ἐστιν, ἀλλὰ τοὐναντίον ὁ ἄνθρωπος τοῖς περὶ αὐτὸν πράγμασιν ἡδονὴν καὶ χάριν ὥσπερ ἐκ πηγῆς τοῦ ἤθους προστίθησιν', quibuscum cf. 'De exilio' 2 fin. et prae ceteris 'De tranquill. an.' 4 fin., ubi Plut. praecipit, ut 'τὴν πηγὴν τῆς εὐθυμίας ἐν αὐτοῖς οὖσαν ἡμῖν ἐκκαθαίρωμεν, ἵνα καὶ τὰ ἐκτὸς ὡς οἰκεῖα καὶ φίλα μὴ χαλεπῶς χρωμένοις συμφέρηται', quibus ultimis verbis mirum quantum ea respondent quae 'De virt. et vit.' l. l. sequuntur, uti eadem sententia, eaedem voces, eadem fontis similitudo ad animum conversa recurrant. Externa infortunia ut in libro de quo agimus sic etiam in libris 'De tranquill. an.' et 'De exilio', saepius 'τὰ πράγματα' nuncupari iam vidimus; cf. e. g. 'De tranquill. an.' 8 init.; 15, 475 F; 'De exilio' 1, 599 B. ''Ιλαρῶς' habes etiam 'De tranquill. an.' 8 init.; 15 init.; 'De exilio' 5 init. 'Προστίθησι' simillimum in modum etiam 'De exilio' 2 init. usurpatur, ubi eadem atque 'De virt. et vit.' l. l. exstat deliberatio, in contrariam tantum partem conversa. 'De virt. et vit.' enim legimus: 'ὁ ἄνθρωπος προστίθησι τοῖς περὶ αὐτὸν πράγμασιν ἡδονήν'. — In l. 'De exilio' contra habemus haec: 'ἡ ψυχὴ τοῖς πράγμασι πολλάκις τὸ βάρος ἐξ αὑτῆς προστίθησιν', uti dubitari nequeat quin apud Plutarchi auctorem hae duae sententiae cum ad ἡδονήν tum ad βάρος spectantes, quorum utrumque ex ipso animo humano maxime oriatur, coniunctae exstiterint, Plut. autem, cum in suas cogitationes non quadrarit, in altero libro prius in altero secundum membrum omiserit.

Iam certissimam inter commentationes 'De virt. et vit.' et 'De exilio' necessitudinem indagavimus, nec non iterum his duabus quaestiunculis simillimus est libellus 'De tranquill. an.' inscriptus; nam redit ratiocinatio qua evincitur ἦθος tantum hominibus γῆθος creare etiam 'De tranquill. an.' 2 fin., ubi auctor exponit εὐθυμίαν non finiri nisi 'τῷ καλῷ', i. e. unice virtute ipsius hominis qui ad beatitudinem pervenire studet, minime autem 'πλήθει' vel 'ὀλιγότητι πραγμάτων'; negat igitur noster et in l. 'De virt. et vit.' et in l. 'De tranquill. an.' l. l. pari modo — quamquam diversis nimirum verbis — res externas aliquid valere ad felicitatem parandam. Praeterea conferre licet 'De tranquill. an.' c. 14 init.

Vox *γῆθος* usurpatur etiam in eiusdem libelli c. 20, 477 D, ubi Chaeronensis contendit: '*ὧν τὸν βίον μύησιν ὄντα καὶ τελετὴν τελειοτάτην εὐθυμίας δεῖ μεστὸν εἶναι καὶ γήθους*'; nec non collaudari potest 'De tranquill. an.' c. 19, 477 B, ubi legimus: '*ψυχὴ καθαρεύουσα πραγμάτων καὶ βουλευμάτων πονηρῶν καὶ τὴν τοῦ βίου πηγὴν τὸ ἦθος* (= 'De virt. et vit.': '*ὥσπερ ἐκ πηγῆς τοῦ ἤθους*') *ἀτάραχον ἔχουσα*'.

In capitis de quo disputamus fine Plut. pro certo habet homines vel '*πενίαν καὶ φυγὴν καὶ γῆρας ἐλαφρῶς καὶ προσηνῶς*' ferre posse, si quidem omnia eiusmodi '*πρὸς εὐκολίαν καὶ πραότητα τρόπου φέρουσιν*', quibuscum cf. ea quae supra de libri 'De tranquill. an.' capitibus 19 et 20 exposuimus.

Hic est ordo sententiarum: externa bona homines felices reddere non possunt, quoniam hominis tantum *ἦθος* eis suavitatem — 'De virt. et vit.' 1 — vel acerbitatem — 'De exilio' 2 init. — addit. Quae cum ita sint, per se divitiae servorumve grex quaeque alia huc pertinent prorsus inutilia videntur; attamen aliquo modo nobis prosunt, si ad ea accedit ipsius animi laetitia; nec non contraria ex parte ista laetitia vel incommodissima mala, uti paupertatem, exilium, senectutem tolerabilia reddit.

Exilium a plerisque hominibus inter mala referri sescenties ex libello 'De exilio' accepimus; praeterea idem commemoratur 'De tranquill. an.' 18 fin., quo accedit paupertas 'De tranquill. an.' c. 6. Ibidem habes gloriae et auctoritatis amissionem, cui respondent 'De virt. et vit.' l. l. '*δόξα καὶ δύναμις*'.

Quod ad singula verba attinet, cum voce '*προσηνῶς*' conferre licet 'De tranquill. an.' 3 fin. '*προσηνῆ*' ante similitudinem illam a corpore vix sanato petitam, quae etiam 'De virt. et vit.' 4 redit et infra a nobis examinabitur. Cf. etiam 'De exilio' c. 3 init. — Paulo post illam similitudinem sequitur 'De tranquill. an.' c. 4 vox '*εὐκολία*' = 'De virt. et vit.' l. l.: '*εὐκόλως*'. Etiam *πρᾶος*, *πραότης* saepius in aliis Plutarchi scriptis nobis occurrunt; cf. 'De tranquill. an.' c. 7 fin., ubi coniunctae sunt in una sententia voces: *πράγμασιν*, *ἐλαφρῶς*, *εὐκολώτατος*, *πραότατος*. Mentionem facere liceat etiam commentationis 'De sanitate tuenda' inscriptae capitis 7, ubi similem in modum atque 'De virt. et vit.' 1 animus cum corpore comparatur. Quo loco habes 125 C '*ἡδονὰς ὑπὸ τῆς ψυχῆς*' vocesque *πρᾶον* et *ἵλεων*, ad quas accedit c. 8 fin. *προσηνέστατον*. Haec eam ob causam moneo, quia hoc libri 'De san. tuenda' loco eandem paene atque 'De tranquill. an.' 3 fin. et 'De virt. et vit.' 4 med. similitudinem usurpari mox videbimus.

Pari modo atque c. 1 bonae frugis est plenissimum dissertatiunculae 'De virt. et vit.' c. alterum, quo Plut. nos edocet qualemcumque vitae rationem cum virtute coniunctam bonam suavemque esse ('μετ' ἀρετῆς καὶ δίαιτα πᾶσα καὶ βίος ἄλυπός ἐστι καὶ ἐπιτερπής'). Cf. iterum 'De tranquill. an.' 2 fin. et praeterea capita 17 et 19, ubi virtutem ad beatam tranquillamque vitam prorsus necessariam esse fusius demonstratur. Eodem loco Plut. contendit paenitentiam ex malis factis nascentem homines prohibere ne beati fiant; nec aliter libro 'De virt. et vit.' hominem in vitiis circumactum umquam tranquillitatem sibi conciliaturum negat. Omnem vitae condicionem cum virtute coniunctam suavem esse Chaeronensis affirmat etiam 'De tranquill. an.' 3 init. et prae ceteris c. 4 fin., ubi voces 'εὖ φρονεῖν' idem fere significant atque 'De virt. et vit.' 'ἀρετή'. — Quae cum ita sint, arctissime hos duos libellos inter se cohaerere et ex eisdem commentariis depromptos esse denuo manibus capessere licet. — Secundae res 'De virt. et vit.' l. l. 'τὰ λαμπρά' nuncupantur; cf. 'De tranquill. an.' c. 11 init. et c. 15, 473 F. — Ἄλυπος exstat e. g. etiam 'De tranquill. an.' c. 1, 465 A et c. 3 init. (λυπηρός, λυποῦν etc. habes 'De tranquill. an.' 2, 465 B; 3, 466 C; 5 init.; 6, 467 E; 7, 468 D; 13 fin.; 17 fin.; 'De exilio' 1, 599 B; 2, 599 D; 5 init. etc.).

Maioris est momenti quod 'De virt. et vit.' l. l. hominis nefandi condicio cum naufragi comparatur, quae comparatio redit etiam 'De tranquill. an.' c. 3 med., ubi easdem habes voces 'ναυτιῶντες' (= 'De virt. et vit.': 'ναυτιώδης') et paulo infra 'τὰ λυποῦντα'. — Ad 'δυσπρόσδεκτα' cf. 'De tranquill. an.' 16 'τὸ ἀπροσδόκητον' iterum cum voce 'λύπη' coniunctum.

Quod Plut. loco nobis proposito contendit vitium ad pulcherrimam quamque rem admixtum (μιγνυμένη) intolerabilem et odiosam eam reddere, hoc in memoriam nobis revocat ea quae libris 'De tranquill. an.' et 'De exilio' de apta laudeque digna bonorum et malorum confusione disseruerat. Unde accepimus bona cum malis commixta suavia ea nobis reddere; hic contra exponitur mala cum bonis confusa inutilia ea nobis reddere.

In sequentibus demonstratur nos nullo modo efficere posse, ut a vitio, si nos occupavit, liberemur. Voci 'ἀναπαύεσθαι' respondet 'De tranquill. an.' 15, 443 F vox 'ἀναπνεῦσαι' in simili sententiarum nexu. Iam auctor docet vitium sedere 'ἐν τοῖς σπλάγχνοις', i. e. in ipso homine, idemque de virtute eum iudicasse satis superque nobis persuasimus.

Sequitur vitiosi hominis somni descriptio, quae aperte nos

reicit ad l. 'De tranquill. an.' c. 2, 465 DE; habes enim in utroque libro plurales 'ταραχαί' et 'ζηλοτυπίαι', nec non utroque loco δεισιδαιμονία castigatur. 'De virt. et vit.' p. 100 A inter vitia hominis insomnia perturbantia enumerantur 'φθόνος καὶ φόβος καὶ θυμὸς καὶ ἀκολασία'. Cf. 'De tranquill. an.' 7 init., ubi iterum exstant cum ζηλοτυπίαι tum ὀργαὶ καὶ φθόνοι: accedunt κακοήθειαι = 'De virt. et vit.' l. l.: 'τὸ κακόηθες'.

In extremo capite legimus: 'διαγριαίνειν τὰ πάθη καὶ τὰ νοσήματα' = 'De tranquill. an.' 1 fin.: 'τὰ πάθη τῆς ψυχῆς διαγριαινόμενα καταπαῦσαι ῥᾳδίως οὐκ ἔστιν.' — 'Πάθη καὶ νοσήματα' inveniuntur etiam c. 7, 468 C.

Magni momenti est c. 3, ubi velut necessaria beatitudinis adminicula postulantur 'τὸ ἀμέριμνον, τὸ ἄλυπον, αὐτάρκεια, ἀταραξία, ἡσυχία', quae sola felicitatem nobis praebere possint. Pari ratione Plut. de falsis 'μερίμναις' disputarat etiam c. 2, 100 F — cf. 'De tranquill. an.' 20, 477 F. — Ad vocem 'ἄλυπον' cf. quae supra adnotavi. — Ἀταραξία opposita est vocibus 'ταραχή' et 'ταραχῶδες', quae iam saepius nobis innotuerunt. — Voci 'ἡσυχία' respondet ἀπραγμοσύνη quae 'De tranquill. an.' 6, 477 D et 'De exilio' c. 3, c. 6, c. 11 laudibus effertur.

Quae cogitationes excipiuntur comparatione illa nobis satis nota inter corpus et animum instituta, et conferuntur quidem hoc loco et corporis et animi sani voluptatum causae. — 'De tranquill. an.' 17, 476 A ad sanum corporis statum efficiendum 'σώφρων διαίτη' requiritur; 'De virt. et vit.' l. l. edocemur εὐκρασίαν (quae oritur nimirum ex temperata vivendi ratione) necessariam esse eis qui 'ταῖς τῆς σαρκὸς ἡδοναῖς' se dedere cupiant. — Quod ad animi laetitiam attinet, Plut. negat ei 'ἐγγενέσθαι' posse 'γῆθος καὶ χαρὰν βέβαιον' (cf. c. 1), nisi ei subsidio veniat 'τὸ εὔθυμον (cf. totius commentationis 'περὶ εὐθυμίας' indolem) καὶ ἄφοβον καὶ θαρραλέον ὥσπερ ἕδραν ἢ γαλήνην'. Pari modo 'De tranquill. an.' 17 fin. corporis placatus status et ibid. c. 19 animi tranquilli condicio cum mari quieto comparatur. 'De virt. et vit.' c. 3 fin. Plutarcho constare videtur hominem qui istam tranquillitatem sibi non pararit curis (φροντίδος ἐκραγείσης) perire; cf. 'De tranquill. an.' 14 init.; 20 fin.

Eodem libelli nobis propositi loco animi cura quadam mala confusi miser status confertur cum perturbatione quae rupe subito incidente in tranquillo mari existit. Similis comparatio 'De tranquill. an.' 17 fin. his verbis continetur: 'κἂν τις ἔξωθεν ἀρχὴ πάθους ὥσπερ διαδρομὴ γένηται σπιλάδος' = 'De virt. et vit.':

'κἂν ὑπομειδιάσῃ τις ἐλπὶς ἢ τέρψις, αὕτη ταχὺ φροντίδος ἐκραγείσης ὥσπερ ἐν εὐδίᾳ σπιλάδος συνεχύθη.' Utroque igitur loco mala animum occupantia cum rupibus mari imminentibus conferuntur. Voces 'τέρψις' et 'εὐδία' usurpantur etiam 'De tranquill. an.' 19, ubi praeterea 'εὐδία καὶ γαλήνη' coniunguntur.

Iam in c. 4 modicus quidam divitiarum usus requiritur ('τὴν ἀπληστίαν παύσῃς'). Pari modo victus temperantia 'De tranquill. an.' c. 17 fin. celebratur.

Huic vivendi moderationi loco de quo agimus eadem ψυχῆς πάθη opponuntur in quae iam tam saepe incidimus: ἀπληστία, φόβοι, φροντίδες. (Animadverte, quaeso, pluralia!)

Deinde sequitur comparatio inter hominem intemperatum et hominem febricitantem instituta. Tales similitudines a corporis et animi condicione petitas nostrum admodum amasse apparet ex libri 'De tranquill. an.' 3 fin.; 8 init.; 19 med., ut multa alia quae huc pertinent omittam. — Agitur autem 'De virt. et vit.' l. l. de corporis paulo antea aegroti ubi sanum factum est statu. Exponit enim auctor ineptum esse 'πυρέττοντι καὶ χολικῷ μέλι' vel 'κοιλιακοῖς καὶ δυσεντερικοῖς σιτία καὶ ὄψα' offerre, quoniam aegrotanti homini ne suavissimus quidem et iucundissimus cibus placeat; contra eosdem homines, ubicumque sanitatem recuperarint, cibum quamvis tenuem ac vilem cupidissime edere. — Plane idem Chaeronensis profert 'De tranquill. an.' 3 fin.: 'ὁ γὰρ ἐχθὲς ᾠὰ καὶ ἀμύλια καὶ σητάνειον ἄρτον διαπτύων (cf. 'De virt. et vit.': 'οὐχ ὁρᾷς τοὺς νοσοῦντας, ὅτι τῶν βρωμάτων τὰ καθαρώτατα καὶ πολυτελέστατα[1]) δυσχεραίνουσι καὶ διαπτύουσι' etc.), τήμερον αὐτόπυρον ἐπ' ἐλαίαις ἢ καρδαμίδι σιτεῖται προσφιλῶς καὶ προθύμως' ('De virt. et vit.': 'ἄρτον λιτὸν ἐπὶ τυρῷ καὶ καρδάμῳ χαίρουσι καὶ ἀσμενίζουσιν ἐσθίοντες'), id quod fieri 'τῆς κράσεως μεταβαλούσης καὶ πνεύματος χρηστοῦ καὶ γλυκέος αἵματος ἐγγενομένου' etc. ('De virt. et vit.'), cui sententiae optime respondent 'De tranquill. an.' l. l. haec: 'τῆς νόσου διαλυθείσης καὶ κράσεως ἑτέρας ἐγγενομένης', uti in utroque libro ad valetudinem restituendam nova commixtio sucorum requiratur.

Eaedem fere deliberationes inveniuntur 'De sanitate tuenda' c. 8 fin.[2]), ubi legimus: 'ἑφθὰ μὲν γὰρ καὶ ὀπτὰ καὶ πεπτὰ βρώματα

1) Quae verba idem significant atque 'De tranquill. an.' l. l.: 'ᾠὰ καὶ ἀμύλια καὶ σητάνειον ἄρτον'.

2) Cf. eiusdem commentationis c. 4 init.

νοσοῦσιν ('De virt. et vit.': 'νοσοῦντας') οὐδεμίαν ἡδονὴν οὐδὲ χάριν ἀποδίδωσι· καθαρὰ δὲ καὶ ἀκραιφνὴς ὄρεξις ὑγιαίνοντι σώματι πᾶν ἡδὺ ποιεῖ.' Cf. 'De tranquill. an.' l. l.: 'ἦλθεν ἡ ὑγίεια φίλα πάντα ποιοῦσα καὶ προσηνῆ'. Similia exstant etiam 'De san. tuenda' 12, 128 CD, ubi voculae repetuntur 'πολυτελές' et 'κραιπαλῶσι'. In eiusdem commentationis capitis 10 init. requiritur 'αἷμα λεπτόν' et 'πνεῦμα καθαρόν' nec a libri 'De virt. et vit.' l. l. distat c. 14, 129 B sq.: 'δεῖ .. τῶν ὕπνων .. καὶ διασπασμοὺς εὐλαβεῖσθαι καὶ τῶν ἐνυπνίων τὴν ἀτονίαν, ἅπερ ὦσι μὴ νόμιμοι μηδὲ συνήθεις αἱ φαντασίαι, πλῆθος ἢ πάχος ὑγρῶν ἢ πνεύματος ταραχὴν ἐντὸς κατηγοροῦσαν', quae verba etiam ad ea alludunt quae Plut. 'De virt. et vit.' 2 de bonis malisque insomniis disserit.[1])

Iterum ad libri 'De virt. et vit.' c. 4 redeuntes videmus ab illa de corporis valetudine et morbis disputatione transgressum fieri ad animi humani bonam malamque condicionem. Qui transgressus efficitur his verbis: 'τοιαύτην ὁ λόγος ἐμποιεῖ τῇ ψυχῇ διάθεσιν'. Iam 'De tranquill. an.' 3 fin. et 4 init. auctor pari modo ab eodem exemplo eadem transitus formula ad ea se convertit quae illa comparatione comprobare volebat, cum dicit: 'τοιαύτην ὁ λογισμὸς εὐκολίαν καὶ μεταβολὴν ἐγγενόμενος ποιεῖ πρὸς ἕκαστον βίον'.

'De tranquill. an.' c. 4 sq. accipimus qualemcumque vitae condicionem suavem videri sapienti, eademque sententia in libelli nobis propositi exordio paucis delineatur, uti in promptu sit in utroque scripto ex eadem comparatione eadem transeundi ratione plane eandem deduci sententiam. — Vox 'διάθεσις' Plutarcho admodum familiaris est; nam ea utitur etiam 'De tranquill. an.' 4, 466 F; 16 fin.; 17 med.; 18 fin. saepiusque etiam in aliis libris. Sequuntur 'De virt. et vit.' l. l. Stoica commenta quae quam maxime in mentem nobis revocant 'De tranquill. an.' c. 12, ubi eaedem fere Stoicorum ratiocinationes ab adversariis defenduntur. — 'Ἀπράγμων' et homo rei publicae muneribus deditus pari modo atque hoc loco saepius sibi opponuntur. Cf. supra p. 86 sq.

Deinde Plut. affirmat nos posse 'πανταχοῦ ζῆν ἡδέως', quibus verbis totum libelli 'De exilio' argumentum comprehenditur. — Proxima verba 'εὐφρανεῖ σε πλοῦτος πολλοὺς εὐεργετοῦντα' ad capitis 1 finem alludunt, ubi legimus: 'πλοῦτος ἡδίων .. ἂν τὸ ἀπὸ τῆς ψυχῆς ἔχῃ γῆθος'. Eodem loco Plut. exponit etiam eos

1) Ibid. (c. 14) occurrunt plurales 'ἀθυμίαι καὶ φόβοι'.

qui in 'πενίαν' vel 'φυγήν' forte inciderint haec incommoda aequo animo facile ferre posse (cf. 'De tranquill. an.' c. 4 init.) nec aliter indicat in c. 4 de paupertate et 'ἀδοξίᾳ'. Aptissime huc quadrat 'De tranquill. an.' c. 6, ubi Plut. eos consolatur qui paupertate vel exilio vel munerum amissione vexantur. 'De virt. et vit.' hominem cui ἀδοξία accidit praedicat ut 'μὴ φθονούμενον', 'De tranquill. an.' l. l., quia vitam degat 'ἀκινδύνως'.

Quae omnia si in animo tenemus, constare videtur libelli 'De virt. et vit.' finem commentationis 'De tranquill. an.' cap. 4 e. q. s. excipi, ubi 'τὸ μεθιστάναι τὴν τύχην ἐκ τῶν ἀβουλήτων' fusius describitur et singulis comprobatur, ut non dubium sit quin utrumque volumen eidem commentario ab Chaeronensi adhibito assignandum sit.

Quaestiunculae 'De virt. et vit.' exordium satis abruptum est, cum ad capitis 1 indolem respiciat quidem nec vero, id quod quam maxime desideramus, illam accuratius illustret.

Attamen mihi persuadere non possum in codicibus tantum hanc commentatiunculam mutilatam esse; immo in suum usum Plut. haec omnia nulla arte conglutinata composuit, ut postea eis uti posset; minime autem ipse istam schedulam publici iuris fecit. Quae sententia eo argumento stabilitur quod eaedem plane cogitationes multo copiosius adumbratae etiam in libro 'De tranquill. an.' exstant.[1]) Hoc, quoad pertinet ad 'De tranquill. an.' c. 3 fin. et 4 init., iam satis exposuimus; accedit quod Heinze (Rh. M. 45, 499 sq.) optime demonstravit libri 'De virt. et vit.' finem, qui iusto brevior nobis videbatur, libri 'De tranquill. an.' capitibus 5 et 6 continuari. At falsus, ni fallor, idem est, cum censet hucusque tantum utramque dissertationem concordare; nam vel ex capitibus 12, 14, 17, 19, 20 haud pauca lucrati sumus quae minime abhorrent ab libelli de quo verba facimus indole. Quae cum ita sint, non dubito quin ista dissertatiuncula referenda sit inter commentarios illos, quorum auctor 'De tranquill. an.' c. 1 mentionem facit quosque in Paccii amici usum se contexuisse ipse fatetur, ut ratio qua Plut. libros suos composuit satis perspicua fiat.

Eiusmodi libelli vel potius schedae complures in Moralium corpore servatae sunt, quas partim librariorum culpa detruncatas partim Plutarcho suppositas esse homines docti coniecerunt, cum earum et sententiae et forma minime expolitae nec quaestiones incohatae ad certum finem deductae sint.

1) cf. Volkmann, Plutarch II 101.

At multo rectius statuemus omnes eiusmodi libros Chaeronensem leviter et exiguo temporis spatio conscripsisse, ut posterioribus temporibus occasione data velut materie eis uteretur, contra post eius mortem haec fragmenta ab amicis edita esse.

CAPVT IV.

De libello 'περὶ τύχης' inscripto.

Initium faciamus a commentatione 'περὶ τύχης' inscripta[1]), quae libello supra enarrato prae ceteris affinis est.

Principium in hoc scripto Plut. petit a versu quodam Chaeremonis tragici (frg. 2N²) qui contenderat:

'τύχη τὰ θνητῶν πράγματ', οὐκ εὐβουλία',

quam sententiam ineptissimam esse Plut. in hoc scripto comprobare studet. At miramur quod omnis deest praefatio, quamquam in promptu est nostrum non unum in hunc versum se accingere, sed in hominem quendam qui eum probarat. Quem hominem quocum Plut. digladiatur Theophrastum Peripateticum esse Duemmler (Akademika p. 201 sq.) egregie demonstravit, collatis Ciceronis Tusculanis V 25, unde accipimus Theophrastum a permultis philosophis vexatum esse, quia in Callisthene suo illum versum, quem Cicero latine vertit, defendere conatus esset[2]), quam Theophrasti doctrinam Stoicos vehementer impugnasse Cicero Tuscul. III 22 nobiscum communicat. Quae cum ita sint, recte Duemmler coniecit Plutarchum nobis servasse Stoici cuiusdam argumenta contra Theophrastum prolata. Quem Stoicum Aristonem Chium fuisse Duemmler pro certo habet et Giesecke l. l. p. 104 sq. ei adstipulatur. Nec vero hanc coniecturam ullo modo probabilem esse mihi persuadere possum, sed id tantum constare mibi videtur Stoam redolere hanc commentationem[3]); quamquam in hanc rem accuratius inquirere opus non est, cum nostra tantum intersit explicare, quomodo hic liber cohaereat cum aliis Plutarchi scriptis.

1) De hoc libro disseruit Augustus Schlemm 'De fontibus Plutarchi commentationum 'De aud. poet.' et 'De fortuna'. diss. Gotting. 1893.

2) Cf. Zeller II, 2, p. 857.

3) Duemmler p. 214 mirificam profert suspicionem; putat enim apud Ciceronis auctorem verba exstitisse 'Ἀρίστωνος τοῦ φιλοσόφου', quae verba Tullium nescio quo errore caecatum vertisse in 'omnes philosophos'. Nonne revera compluribus philosophis Theophrasti doctrina displicere potuit? Cf. etiam Schlemm l. l. p. 90.

Non fortunam sed virtutem et rationem vitam nostram regere Chaeronensis eadem ratione 'De tranquill. an.' 4 fin., 5 fin., 10, 14 fin., 17, 18, 19 demonstrat, quamquam minime negat fortunam quidquam valere ad vitam nostram conformandam[1]); at nobis persuadere studet satis tenuem esse eius vim et inbecillam, si in sapientem incidat.

Ad singula adnotem haec. — In capite primo Lasthenes et Euthycrates vituperantur ut homines '*τῷ γαστρὶ μετροῦντες καὶ τοῖς αἰσχίστοις τὴν εὐδαιμονίαν*'[2]); cf. 'De tranquill. an.' c. 2 fin.: '*τῷ καλῷ καὶ τῷ αἰσχρῷ ὁρίζειν τὸ εὔθυμον καὶ τὸ δύσθυμον*'.[3]) Ad '*λιχνείαις*' cf. 'De virt. et vit.' 2, 100 F '*λιχνείας*'.

C. 2 init. aliorum philosophorum (*φασί*) sententia refellitur, qui '*σωφροσύνην φρόνησιν εἶναι*' contenderant. Spectat Plut. hoc loco ad Zenonem Citiensem, qui '*τὴν φρόνησιν ἐν αἱρετέοις σωφροσύνην*' esse docuerat.[4])

Paulo infra auctor exponit ineptissime nos agere, si '*μεθέμενοι τῶν οἰκείων λογισμῶν εἰς τὴν τύχην ἑαυτοὺς ἀφῶμεν*'; cf. 'De exilio' c. 2 init. Similem sententiam in libro 'De tranquill. an.' saepius invenimus, ubi Plut. postulat, ut nosmet ipsos inspiciamus nec alia curemus (cf. supra p. 59 sq.).

In capitis fine Plut. homines sugillat qui fortunam vituperent, quamquam ipsi unica malorum suorum causa sint. Dicit enim: '*εἰ ὑπὸ τῇ τύχῃ πάντ' ἐστίν, ἣν τυφλὴν λοιδοροῦμεν, ὡς τυφλοὶ περιπίπτοντες αὐτῇ· τί δ' οὐ μέλλομεν, ὅταν ὥσπερ ὄμματα τὴν εὐβουλίαν ἐκκόψαντες αὐτῶν τοῦ βίου τυφλὴν χειραγωγὸν λαμβάνωμεν;*' Iam cf. 'De tranquill. an.' c. 10 med.: '*τοῦτο δ' ἐστὶ τί ἄλλο ἢ συλλέγοντα προφάσεις ἀχαριστίας ἐπὶ τὴν τύχην αὐτὸν ὑφ' αὑτοῦ κολάζεσθαι;*' et c. 12 init.: '*εὐθυμίαν κολούει . . . αἰτιᾶσθαι δαίμονα καὶ τύχην, ἀλλὰ μὴ τὴν αὑτῶν ἀβελτερίαν.*'

C. 3 Stoicis commentis scatet[5]); e. g. Promethei ille mythus ad *λογισμόν* refertur.

Sequitur longa explicatio, qua comprobatur homines in rebus corporeis omnibus paene bestiis esse inferiores, longe contra aui-

1) Cf. Volkmann, Plutarch II 109, adn.
2) Post verba '*κακῷ δαίμονι*' interpolatae sunt voces '*καὶ τύχῃ*'.
3) Etiam Epicureis opprobrio vertebatur quod felicitatem secundum ventrem definirent. Cf. Timonis Phliasii frg. 56 W. Giesecke p. 36 falso confert 'De exilio' 10, ubi vox '*μετρέω*' Callimacho vindicanda est.
4) Cf. 'De virtute morali' c. 2, 441 A. De Zenone, Plutarchi auctore, conferendus est Schlemm p. 74 sq. 87 sq. 89. 95 sq. 98 sq. 100.
5) Cf. Duemmler p. 213. Giesecke p. 104. Schlemm p. 94 sq.

malia superare animi viribus, cum nobis praesto sint *φρόνησις, ἐμπειρία, μνήμη, σοφία, τέχνη.*

De ratione quae inter homines et bestias intercederet Plut. saepius disseruit; e. g. iocoso modo in Gryllo evincere studet animalia vel mente nobis superiora esse, et serio eandem sententiam comprobare studet in commentatione 'De sollertia animalium' inscripta, ubi docet bestias revera ratione instructas esse. Qua in re Theophrasti vestigia premit, quem animalibus *λογισμόν* assignasse nemo est quin sciat.[1]) 'De fort.' c. 3, 98 E Plut. doctrinam suam exornat nonnullis versibus ex Euripidis Aeolo (frg. 27 N.) depromptis, eidemque versus redeunt 'De soll. anim.' 1, 959 D. Praeterea monendum est istas Theophrasti ratiocinationes quas Plut. amplectitur vehementer impugnatas esse a Stoicis, Laertio Diogene (VII 129) teste[2]); nam cum Chaeronensis in libro 'De fort.' Stoicum auctorem, Theophrasti de fortuna casuque doctrinam refutantem, sequatur, nonne veri est simillimum etiam ea quae de hominum et animalium differentia profert ex eodem Porticus assecla ei adfluxisse e quo illa petivit, et hunc Stoicum etiam in his cum Theophrasto digladiatum esse, quippe qui animalibus rationem ascripsisset?[3]) — Contra Empedoclis versus quibus paulo antea utitur et Anaxagorae sententiam quae infra enarratur Plut. ipse forte inseruit nec ex auctore suo sibi adscivit.[4])

Sub eiusdem capitis fine *φρόνησις*, qua sola bestias antecedamus, elatis his verbis collaudatur: '*μανθάνωμεν, ποῖ τὸν ἄνθρωπον ἡ φρόνησις αἴρει . . καὶ κρατεῖ πάντων καὶ περίεστιν.*' — Simillima exstant 'De tranquill. an.' c. 17, 475 D: '*τῆς δὲ βελτίονος μερίδος αὐτοὶ κρατοῦμεν.*' — Praeterea cf. etiam ad extrema capitis 3 verba quibus comprobatur '*μηδὲν τῆς τύχης, ἀλλὰ πάντα τῆς εὐβουλίας εἶναι*' 'De tranquill. an.' c. 17, 475 CD.

In capite 4 accuratius exponitur in nullo fere negotio quidquam fieri posse casu, sed omnia ratione et prudentia; nam '*αἱ τέχναι μικραί τινες εἶναι λέγονται φρονήσεις, μᾶλλον δ' ἀπόρροαὶ φρονήσεως καὶ ἀποτρίμματα ἐνδιεσπαρμένα ταῖς χρείαις ταῖς περὶ τὸν βίον, ὥσπερ αἰνίττεται τὸ πῦρ ὑπὸ τοῦ Προμηθέως*

1) Theophr. scripsit '*περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους*' (Laert. Diog. V 49). Cf. Bernays, Theophrasts Schrift von der Frömmigkeit p. 7, 99 sq., 102, 148.

2) Cf. Zeller III, 1, p. 372.

3) Cf. Duemmler, Academica p. 128, 2; 212.

4) Ut Duemmler p. 108; 128, 2 censet.

μερισθὲν ἄλλο ἄλλῃ διασπαρῆναι', quae similitudo a Prometheo petita dilucide Porticum prodit[1]) (cf. Schlemm l. l. p. 94 sq.).

Maioris momenti est c. 5, cuius in initio animadvertas vocem 'οἰκεῖον'; in eis quae sequuntur Plut. capitis 4 argumentum firmat, arte musica collata; conferre licet 'De tranquill. an.' 15, 474 A. Paulo infra gravissimae vitae res nuncupantur 'τὰ μέγιστα καὶ κυριώτατα', eademque verba eadem plane notione exstant 'De tranquill. an.' 17, 475 C: 'ἐν δὲ τοῖς κυριωτάτοις καὶ μεγίστοις', i. q. eam ob causam commemorandum est, quia utroque loco negatur fortunam in universum quidquam valere ad vitam confirmandam. — Accedit quod ante Iphicratis enuntiatum, quod capitis fine continetur[2]), eisdem fere verbis atque 'De virt. et vit.' 1 et 4 demonstratur nullius fere momenti divitias et externa bona esse ad 'βίον ἄλυπον' nobis parandum. 'De fort.' 5 enim legimus: 'χρυσίον δὲ πολὺ συμφορήσας καὶ ἀργύριον καὶ πλῆθος ἀνδραπόδων', quibus verbis egregie respondet 'De virt. et vit.' c. 1: 'πλῆθος ἀνδραπόδων καὶ χρημάτων συναγάγωσιν' et c. 4: 'ἄθροιζε χρυσίον, σύναγε ἀργύριον .. ἔμπλησον ἀνδραπόδων τὴν οἰκίαν.' — Sequuntur 'De fort.' l. l. haec: 'καὶ πολυθύρους αὐλὰς περιβαλόμενος καὶ κλίνας προσθέμενος πολυτελεῖς καὶ τραπέζας', quo iterum optime quadrat 'De virt. et vit.' c. 1: 'οἰκίας μεγάλας περιβάλωνται' et c. 4: 'οἰκοδόμει περιπάτους.' Nec non conferre licet 'De tranquill. an.' c. 19: 'οὔτ' οἰκία πολυτελὴς οὔτε χρυσίου πλῆθος .. εὐδίαν παρέχει βίῳ'. Quae omnia nobis praebere posse 'βίον ἄλυπον καὶ μακάριον' etc. Plut. negat pari ratione atque 'De tranquill. an.' l. l., 'De virt. et vit.' 1 fin., 2 init., 3 init., 4 init. Cf. e. g. c. 2 init. 'βίος ἄλυπος'; c. 3 init. 'τὸ ἄλυπον'. Φρόνησις enim plane necessaria Chaeronensi videtur ad beatam vitam[3]), quam sententiam etiam 'De tranquill. an.' et 'De virt. et vit.' tam saepe invenimus, ut satis habeam in memoriam revocare 'De virt. et vit.' c. 4 fin.: 'τοιαύτην ὁ λόγος ἐμποιεῖ τῇ ψυχῇ διάθεσιν'. — Accedit quod illa deliberatio quam tractavimus in libelli 'De virt. et vit.' conexum egregie quadrat, cum ibi agatur de beatitudinis humanae condicionibus; minime contra apte inserta est libelli 'De fort.'

1) Cur Giesecke p. 106, 1 suavem historiolam de pictore equum pingente narratam Aristoni tribuat, non satis intellego; nec Duemmlero assentior, secundum quem (p. 214) iam apud Theophrastum haec narratiuncula exstabat.

2) Cf. de hoc Iphicratis dicto in Schlemmii libello p. 96 et 97, adn.

3) De vi φρονήσεως apud Plutarchum cf. Schlemm p. 73 et 99.

capiti 5; nam hoc loco tantum exponitur in quocumque hominum negotio omnia effici prudentia nihil casu, nec satis perspicuum est, quid ibi ista de beata vita ratiocinatio sibi velit. Quae cum ita sint, in propatulo esse puto verba 'χρυσίον δὲ πολὺ .. καὶ ἀμετάβλητον', quae simillimum in modum etiam 'De virt. et vit.' et 'De tranquill. an.' redeunt, ex auctore excerpta esse nescio quo et a Plutarcho e collectaneis suis non satis plane nexui sententiarum interposita esse. Quae coniectura quam maxime eo stabilitur quod his verbis omissis Iphicratis enuntiatum perbene antecedentia exempla excipit, minime contra cohaeret cum cogitationibus ad animi εὐδαιμονίαν spectantibus.[1])

Nec latet cur Plut. illa verba inseruerit; nam respice capitis 6 init., ubi legis: 'οὐ χρυσίον ἡ φρόνησίς ἐστιν οὐδ' ἀργύριον οὐδὲ δόξα οὐδὲ πλοῦτος οὐδ' ὑγίεια οὐδ' ἰσχὺς οὐδὲ κάλλος'; habemus igitur denuo voces χρυσίον, ἀργύριον, πλοῦτος, et cum voce 'δόξα' cf. 'De tranquill. an.' l. l.: 'οὔτ' ἀξίωμα γένους οὔτε μέγεθος ἀρχῆς'.[2]) — In eis quae sequuntur demonstratur omnia cum prudentia coniuncta esse 'ἡδὺ καὶ ἔνδοξον καὶ ὠφέλιμον', sine prudentia 'δύσχρηστα καὶ ἄκαρπα καὶ βλαβερά'[3]), cum unice prudentia nos vi omnibus rebus apte utendi instruat. Nonne haec sententia ('φρόνησίς .. ἐστι τὸ πᾶσι καλῶς χρῆσθαι') aperte alludit ad l. 'De tranquill. an.' 4 fin.: 'τὸ φρονεῖν τὸν αὐτὸν βίον ποιεῖ καὶ ἄριστον καὶ ἥδιστον'? Cf. etiam c. 5, 6, 8 fin. et 'De exilio' c. 4, 600 C fin. — De singulis haec adnotatione digna sunt: ''Ἡδύ' eadem significatione redit 'De tranquill. an.' 4 fin. (ἥδιστον) et 'De virt. et vit.' 1, 100 C (ἡδέως). Ad 'ὠφέλιμον' cf. 'De tranquill. an.' 5 init.: ἐν ᾧ τὸ οἰκεῖον ὠφελήσει μάλιστα' et 'De exilio' l. l.: 'ἐν ᾧ μάλιστα καιρῷ βοηθεῖν πέφυκε'. 'Δύσχρηστα' — 'De exilio' l. l. 'ἄχρηστα'. Ibid. c. 2 fin. voces 'δύσχρηστον' et 'βλαβερόν' exstant.

Sequentia verba mirum quantum concinunt cum libri 'De virt. et vit.' c. 2 init. Contendit enim Plut. 'De fort.' l. l. haec: 'ἄνευ

1) Quae cum ita sint, Schlemm l. l. p. 97 adn. non recte iudicat 'arctissime has sententias cohaerere'. Contra bene intellexit Iphicratis exemplum non aliunde a Plutarcho insertum esse, sed suo iure locum suum tenere.

2) Quo ex loco apparet Plutarchum non pendere ab Aristone Stoico; nam negat sanitatem idem esse atque prudentiam; Ariston autem vel 'ἀρετὴν ὑγίειαν ὠνόμαζε' ('De virtute morali' 2, 440 F). Cf. de hac definitione Gieseckium p. 71.

3) Cf. Schlemm p. 97 sq.

(φρονήσεως) *βαρύνει καὶ καταισχύνει τὸν κεκτημένον*' scil. qualecumque bonum ei contigit. Iam cf. 'De virt. et vit.': '*ἡ δὲ κακία καὶ τὰ λαμπρὰ φαινόμενα καὶ πολυτελῆ καὶ σεμνὰ μιγνυμένη λυπηρὰ καὶ ναυτιώδη καὶ δυσπρόσδεκτα παρέχει τοῖς κεκτημένοις*', ut in utraque commentatiuncula eadem sententia pari modo illustretur. Sequitur versus illius Hesiodei (OD. v. 86), quo Prometheus Epimetheum admonet ne Iovis dona accipiat, interpretatio[1]) et referuntur quidem illa dona ad '*τὰ τυχηρὰ καὶ τὰ ἐκτός*' (cf. 'De tranquill. an.' c. 16, 474 D '*τῶν τυχηρῶν*'). — Deinde exponitur nos nihil usquam in ulla arte proficere posse, nisi in ea per longum temporis spatium exercitati simus, et finitur tota disputatiuncula Demosthenis enuntiato quodam (Orat. Olynth. I 23), quod Plut. ex collectaneis suis petivisse videtur, iterum non tam apte ad extrema verba antecedentia adnexo.[2])

CAPVT V.

De libello '*Εἰ διδακτὸν ἡ ἀρετή*' inscripto.

Ex eisdem commentariis atque commentatio 'De fortuna' inscripta pars quaedam effluxit parvuli libelli, cui titulus est 'An virtus doceri possit'[3]); nam ut ibi Plut. in universum comprobaverat qualemcumque artem nos discere debere, cum nihil casu nobis accidat, sic in hoc libello de virtute idem constare demonstrat. Accedit quod in utraque dissertatione quam vehementissime eos qui fortunae aliquid tribuunt perstringit.

Quae sententiae in c. 1 eo stabiliuntur, ut Plut. explicet nos '*ψάλλειν καὶ ὀρχεῖσθαι καὶ ἀναγιγνώσκειν γράμματα καὶ γεωργεῖν καὶ ἱππεύειν*' nec non '*ὑποδεῖσθαι, περιβάλλεσθαι, ἀλεί-*

1) Similis exstat huius versus interpretatio in commentationis 'De poet. aud.' inscriptae c. 6 p. 23 E. Cf. Giesecke p. 109. Schlemm p. 55 sq. 100, qui hoc interpretamentum ad Zenonem revocat. Ceterum commemorare licet hos duos libellos ('De fortuna' et 'De poetis audiendis') valde inter se affines esse. De mythi Promethei explicatione, quam Stoicis vindicavimus, cf. etiam Duemmleri Academica p. 212. Schlemm p. 55 sq. 94 sq.

2) Cf. Schlemm p. 100 (cf. ibid. p. 92 sq. de Plutarchi studiis Demosthenicis).

3) Ultima huius capitis verba male corrupta sunt, cum perperam repetantur verba '*τὸ εὐτυχεῖν παρὰ τὴν ἀξίαν*'. Inter se opponuntur '*κακῶς φρονεῖν*' et '*κακῶς πράττειν*', uti post vocem '*ἀλλὰ*' voculam '*καί*' addere et proxima verba falso iterata delere necessarium sit.

φεσθαι, οἰνοχοεῖν, ὀψοποιεῖν' opera ac labore discere debere, quoniam 'ταῦτ' ἄνευ τοῦ μαθεῖν οὐκ ἔστι χρησίμως ποιεῖν'. Eadem negotia cottidiana in libro 'De fort.' laudantur, ubi cf. c. 5 init.: 'μουσικὴν (τέχνην) ('An virtus': ψάλλειν) καὶ περὶ ἀρτυσιν ὄψων, ἣν μαγειρικὴν ὀνομάζομεν' ('An virtus': ὀψοποιεῖν). Paulo infra legimus: 'τούς τε παῖδας καὶ ὑποδεῖσθαι καὶ περιβάλλεσθαι διδάσκομεν' ('An virtus': 'ὑποδεῖσθαι μανθάνουσι, περιβάλλεσθαι καὶ ἀλείφεσθαι'), et in capite 6 Plut. negat nos posse 'συρίζειν ἄμουσον' ('An virtus': ψάλλειν) vel 'ἀναγιγνώσκειν ἀγράμματον' ('An virtus': ἀναγιγνώσκειν γράμματα) vel 'ἱππεύειν ἄνιππον' ('An virtus': ἱππεύειν).

Concluditur 'An virtus' 1 fin. ex his exemplis ineptum tantum hominem credere posse haec omnia nos sane discere debere, contra 'τὸ εὖ βιοῦν' esse 'ἀδίδακτον καὶ ἄλογον καὶ ἄτεχνον καὶ αὐτόματον'; cf. iterum 'De fort.' 5 init.: 'θαυμαστὸν οὖν ἐστι, πῶς αἱ μὲν τέχναι τῆς τύχης οὐ δέονται πρὸς τὸ οἰκεῖον τέλος, ἡ δὲ πασῶν μεγίστη καὶ τελειοτάτη τέχνη καὶ τὸ κεφάλαιον τῆς ἀνθρωπίνης εὐφημίας καὶ δικαιώσεως οὐδέν ἐστιν' et prae ceteris paulo infra p. 99 D med.: 'τὰ δὲ μέγιστα καὶ κυριώτατα ... οὐ παρακαλεῖ τὴν φρόνησιν;'

In capite 2 accuratius exponitur nos ipsam tollere virtutem, si 'ἀδίδακτον' eam esse statuamus, et in eis quae sequuntur Plut. iterum respicit ad eos qui 'ἱστόν' vel 'βιβλίον' vel 'λύραν' adhibent, id quod nullo modo facere possint, si non ipsam tegendi vel legendi vel psallendi artem didicerint. Deinde auctor demonstrat plerosque perperam arbitrari se 'γάμον καὶ πολιτείαν καὶ ἀρχὴν μεταχειρίσασθαι' posse, quamquam nec cum uxore bene consuescere nec rei publicae muneribus apte fungi didicerint. Simili modo dicit 'De fort.' c. 6, postquam eadem ratione atque loco quem tractamus negavit hominem συρίζειν posse ἄμουσον vel ἀναγιγνώσκειν ἀγράμματον: 'παρακελευόμενος .. μὴ ἄρχειν ἀνόητον ὄντα .. μηδὲ γαμεῖν κρατούμενον ὑπὸ γυναικός'; ad ultima haec verba conferre iuvat etiam 'De virt. et vit.' 2 init., 'De tranquill. an.' 12 med., ubi eisdem versibus comicis (Meineke IV 57) exponitur quam turpe sit si 'ἡ γυνὴ κρατεῖ πάντων'. — Cum tota sententia bene convenit 'De fort.' c. 4 init. — In proximis Plut. narrat paedagogum quendam a Diogene vapulasse, cum discipulum suum modeste edendi artem non satis diligenter docuisset, qua historiola Plut. evincere vult nos ne edere quidem honeste posse, nisi iam a pueris id didicerimus; nec aliter 'De fort.' c. 5 liberorum educationem collaudat, e qua idem fere concludit atque

'An virtus' l. l., cum pergat: 'ὡς οὐδὲ τούτων γιγνομένων ἀπὸ τύχης, ἀλλ' ἐπιστάσεως καὶ προσοχῆς δεομένων.' — Quae cogitationes per dissertatiunculae capitis 2 alteram partem continuantur, ubi fusius de paedagogi officiis disputatur; nec vero nostra interest accuratius in hanc rem inquirere.[1])

Immo iam ad c. 3 examinandum nos convertamus. Ubi iterum noster evincit falso plerosque statuere 'τῶν μικρῶν καὶ παιδικῶν' esse 'διδασκαλεῖα, τῶν δὲ μεγάλων' contra 'καὶ τελείων ἄλογον τριβὴν καὶ περίπτωσιν εἶναι'. Quibuscum verbis conferas 'De fort.' c. 5 init., ubi eodem modo a minoribus transgressus efficitur ad maiora et vocibus 'μεγάλων καὶ τελείων' respondent superlativa 'μεγίστη καὶ τελειοτάτη'.

Paulo infra Chaeronensis contendit homines infitiantes virtutem doceri posse virtuti 'τὸν λόγον ὥσπερ ὄμμα' eripere et simillimum in modum dicit 'De fort.' 2 fin., quamquam ibi paulo aliter sententiam convertit: 'ὥσπερ ὄμματα τὴν εὐβουλίαν (= 'An virtus': 'τὸν λόγον') ἐκκόψαντες αὐτῶν τοῦ βίου τυφλὴν χειραγωγὸν λαμβάνωμεν;'

Sequitur in libello 'An virtus' idem Iphicratis enuntiatum quod iam 'De fort.' c. 6 nobis innotuit. At hoc loco eadem histo-

1) Cf. Giesecke p. 62, 1. Ceterum animadvertas, quaeso, Platonis enuntiatum quoddam (Clitoph. p. 407 C) cum in hoc libello 439 C tum 'De vitioso pudore' c. 16 redire, at in utraque commentatione satis commutatum esse. Pro Platonis 'ἐν τῷ ποδί' legimus in utroque libro 'τοῦ ποδός'. Sequitur apud Platonem et 'De vitioso pudore' l. l. 'πρὸς τὴν λύραν καὶ ἀμετρίαν', quae ad verba ex Clitophontis dialogi verbis postea demum sequentibus 'ἀμέτρως καὶ ἀναρμόστως' 'An virtus' l. l. haud ita apte additum est 'καὶ ἀναρμοστίαν'. — Verba 'ἀδελφὸς τῷ ἀδελφῷ' solum 'An virtus' l. l. exstant; contra 'φίλος — φίλῳ' (φίλοι — φίλοις) in utroque scripto Plutarcheo nec vero apud Platonem legimus, idemque cadit in vocem 'διαφέρεται' (διαφερόμενοι), uti in utroque libro Plut. Platonis verbis novum membrum inseruerit; contra proxima verba 'πόλεις — πόλεσι' cum utroque Plutarchi loco tum apud Platonem usurpantur. — Porro Plato dicit: 'τὰ ἔσχατα δρῶσι καὶ πάσχουσιν'; Plut. haec verba utroque loco voce 'τε' coniungit; praeterea legimus 'De vit. pud.' l. l. 'τὰ κάκιστα' pro 'τὰ ἔσχατα'. Ibid. ultima verba ex Platonis primis verbis conficta sunt; non inveniuntur 'An virtus' l. l. — In utroque igitur volumine Platonis verba partim servata partim eundem in modum commutata sunt, ut dubitari nequeat quin iam auctor quem Plut. adhibuit Platonis Clitophontem laudarit nec non in singulis mutilarit. — Accedit quod etiam Plato in Clitophonte quaerit an virtus doceri possit (c. 4), qua re aliquo modo stabilitur Plutarchum non ex memoria Platonis verba afferre, sed auctore usum esse qui et ipse, Clitophonte laudato, de virtute docenda disseruerat.

riola multo accuratius enarratur, cum etiam hominis cum Iphicrate colloquentis nomen ex eo lucremur; erat enim Callicles, Chabriae filius, qui 'De fort.' l. l. voce '*τις*' significatur.

Sub capitis fine Plut. *φρόνησιν* — ut per totam 'De fort.' disputatiunculam — summis laudibus cumulat, quoniam sine ea '*τῶν ἄλλων τεχνῶν ὄφελος οὐδὲν οὐδ' ὄνησίς ἐστιν*'. Iam cf. 'De fort.' c. 4 fin.: '*αἱ τέχναι μικραί τινες εἶναι λέγονται φρονήσεις*'. Paulo infra in libello 'An virtus' *φρόνησις* nuncupatur '*ἡγεμὼν καὶ κόσμος ἁπάντων*' qui '*εἰς τὸ χρήσιμον ἕκαστον καθίστησιν*', et eadem definitio 'De fort.' c. 6 init. his continetur verbis: '*ἡ φρόνησίς ἐστι .. τὸ πᾶσι .. καλῶς χρῆσθαι δυνάμενον καὶ δι' ὃ τούτων ἕκαστον ἡδὺ γίγνεται καὶ ἔνδοξον καὶ ὠφέλιμον.*' Praeterea optime huc quadrat 'De tranquill. an.' 5 init.: '*δεῖ .. νέμειν ἑκάστῳ τόπον, ἐν ᾧ καὶ τὸ οἰκεῖον ὠφελήσει μάλιστα.*'

Quibus omnibus argumentis satis comprobatum videtur scriptiunculas 'De fortuna' et 'An virtus doceri possit' inscriptas artissimo vinculo inter se conexas esse; nec mirum est quod etiam libellus iam a nobis percensitus satis breviter abruptus est et omni caret exordio; nam ne hic quidem liber fragmentum est, sed schedula tantum a Plutarcho in suum usum obiter composita.[1])

CAPVT VI.

De commentariolo, qui inscribitur '*Πότερον τὰ τῆς ψυχῆς ἢ τὰ τοῦ σώματος πάθη χείρονα*'.

Nec non inter Plutarchi schedas referendus est alius eius libellus '*πότερον τὰ τῆς ψυχῆς ἢ τὰ τοῦ σώματος πάθη χείρονα*' inscriptus, qui magni nobis erit pretii. — Cuius in voluminis capite 1 Chaeronensis postulat, ut ad hominis mala accuratius cognoscenda, animo corpori opposito, quaeramus utrum '*διὰ τὴν τύχην ἢ δι' ἑαυτοὺς ἀθλιώτερον ζῶμεν*'. Iam vides etiam in hac commentatione de fortuna agi.

Ac principium quidem disputationis petitur a versu Homerico (*P* 446), quo poeta edocet miseriorem esse hominum bestiarum condicione. Similiter Plut. 'De fort.' 3, 98 D dicit: '*τύχῃ γε καὶ*

1) Cf. de hoc libello, quem Xylander non recte a Plutarcho abiudicavit, Volkmannum, Plutarch II 93.

φύσει γενέσεως ἀμείνονι τὰ πλεῖστα τῶν ἀλόγων κέχρηται'. — At in eis quae sequuntur Plut. exponit tamen nos bestiis superiores esse, cum acceperimus 'τὸν λογισμὸν καὶ τὴν ἐπιμέλειαν καὶ τὴν πρόνοιαν'. In commentationis de qua agimus initio dubitat num 'διὰ τύχην' animalibus inferiores simus; pro certo id habet in libro 'De fort.'. At etiam ibi nos prudentia et ratione quam maxime bestias anteire docet; nam conferre licet c. 3 fin., qui dilucide ad libri 'Corporisne an animi' hunc locum alludit.

Ut in duabus dissertationibus 'De fort.' et 'An virtus doceri possit', sic etiam in hoc libello disseritur de ratione quae inter hominem et fortunam intercedat, et uti in illis sic etiam hic Plut. evincere conatur plane nihil fortunam caecam valere, ut eandem habeas atque 'De tranquill. an.' c. 17 sententiam, ubi fortunae vis refertur ad 'μικρὸν μέρος τοῦ ἀνθρώπου, τὸ σαθρὸν καὶ τὸ ἐπίκηρον', cui opponitur sapientis mens quae casu opprimi nequeat.

Similiter loco a quo exspatiati sumus Plutarchum corpus et animum inter se conferre iam indicavimus, et corporis quidem mala ad φύσιν referuntur — cf. 'De tranquill. an.' l. l. 'ὅθεν οὐ δεῖ παντάπασιν ἐκταπεινοῦν οὐδὲ καταβάλλειν τὴν φύσιν'; cf. ibid. c. 11 init. et fin. —, contra animi mala non nisi ex eo ipso effluere, minime e fortunae vi et voluntate exponitur ('κακία δὲ καὶ μοχθηρία περὶ ψυχὴν ἔργον ἐστὶ πρῶτον, εἶτα πάθος αὐτῆς'). Similem corporis et animi comparationem cum alias tum 'De exilio' 2 init. invenimus, ubi haec exstant: 'τὸ μὲν γὰρ σῶμα πιέζεται τῷ τοῦ βαρύνοντος ἄχθει, ἡ δὲ ψυχὴ τοῖς πράγμασι πολλάκις τὸ βάρος ἐξ αὐτῆς προστίθησιν'; et cum loco nobis proposito νόσος et κακία sibi opponuntur, quarum illa naturae, haec ipsius animi opus sit, id in memoriam nobis revocat 'De tranquill. an.' 17, 475 E, ubi legimus: 'ἡ τύχη δύναται νόσῳ περιβαλεῖν, .. κακὸν δὲ .. οὐ δύναται ποιῆσαι τὸν ἀγαθόν.'

Ut loco quem tractamus Plut. affirmat 'κακίαν καὶ μοχθηρίαν πάθος' ipsius animi esse, sic e contrario 'De virt. et vit.' 1 fin. contendit 'ἡδονὴν' ex ipso animo, non 'ἔξωθεν' nasci; utriusque autem, et πάθους et ἡδονῆς, causam ipsum esse animum exponit 'De tranquill. an.' 14 init.

Ea quae sequuntur perturbata videntur, cum Plut. duas res sibi repugnantes non satis apte conglutinaverit. Ac primum quidem malae illius animi affectionis remedium quoddam hoc modo describit: 'οὐ μικρὸν δὲ πρὸς εὐθυμίαν ὄφελος, ἂν ἰάσιμον ᾖ τὸ χεῖρον καὶ κουφότερον καὶ ἄσφυκτον.' Iam vocibus 'πρὸς εὐθυμίαν' ad commentationis 'περὶ εὐθυμίας' indolem reicimur,

nec credo esse quemquam quin perspiciat eadem transgrediendi formula, qua auctor noster tam saepe in illo libro usus est, etiam hic novum tranquillitatis adminiculum induci, cum Chaeronensis dicit: 'οὐ μικρὸν δὲ πρὸς εὐθυμίαν ὄφελος' etc., quibus ipsis verbis aperte significatur hanc sententiam non arcte cum prioribus cohaerere, sed progredi aliquo modo sententiarum ordinem; nam cf. 'De tranquill. an.' 6, 464 F 'καὶ τοῦτο πρὸς εὐθυμίαν μέγα', 8, 469 B 'ἀγαθὸν τοίνυν .. πρὸς εὐθυμίαν', c. 10 init., 12 init., 15 init., et fere ad verbum cum loco de quo agimus conspirat c. 19, 476 F: 'τοῦτο γὰρ ἐφ' ἡμῖν κείμενον οὐ μικρόν, ἀλλὰ μέγα πρὸς εὐθυμίαν πάρεστι.' Voces 'ἰάσιμον' et 'ἄσφυκτον'[1]) ex arte medica petitae sunt, quod non nullius esse momenti ex eis quae de Plutarchi consuetudine similitudinibus ad corporis morbos spectantibus inventa sua exornandi disserui satis elucet.[2])

Ipsum autem εὐθυμίας adminiculum quod in animo habet et fabula Aesopea illustrat est 'ἡ περὶ τὸ ἦθος εὐτροπία ἐπὶ πολλὰ ταῖς χρείαις ἀμειβομένη', i. e. facilitas quae qualemcumque vitae statum aequo animo accipit et fert. Haec in capitis primi indolem, ubi explicatur animum humanum sui mali ipsam unamque esse causam, minime quadrare in propatulo esse mihi videtur. Nonne illa εὐτροπίας laude Plutarchus ipse concedit, id quod certis verbis in capite 1 negaverat, τύχην aliquid valere ad beatam vitam parandam? Quod si fieri nequit, quid sibi vult facilitas 'ἐπὶ πολλὰ ταῖς χρείαις ἀμειβομένη'? Quae cum ita sint, in capitis 1 fine duo membra inter se plane contraria conectuntur, uti duo excerpta auctorem conglutinasse consentaneum sit, quorum alterum optime cum commentatione 'De tranquill. an.' congruit ibique locum suum tenere potest, praesertim cum simillimae cogitationes ibi exstent (c. 4^2, 5, 6^1; cf. e. g. c. 4: 'τοὺς βίους αἱ διαθέσεις συνεξομοιοῦσιν αὐταῖς').

Illustratur autem illa εὐτροπία vulpis et pardi coram iudice 'περὶ ποικιλίας' certantium lite, et excipitur vulpis oratio alia oratione, quam hominem secum ipso habere deceat. — Nec vero duae hae orationes certo rationis vinclo cohaerent, sed unam propter ποικιλότητα et vulpini et humani animi rhetorica, ni fallor, causa coniunctae sunt. Nam altera hac oratione ab ipso homine habita

1) Cf. 'De virt. mor.' 7 init. 'ἄσφυκτον καὶ ὑγιαῖνον'.

2) Non recte Giesecke p. 111 haec omnia quae exposui Aristonei coloris specimina esse conicit. Etiam alios Stoicos, maxime Chrysippum, corporum morbos cum animi morbis comparasse ex Cicerone (Tuscul. IV 23) accipimus. Cf. H. Weber l. s. s. p. 60.

Plut. ad capitis 1 indolem redit, easdem cogitationes quas ibi delineaverat fusius continuans, cum denuo demonstrat *τὰ πάθη* ex ipso animo nostro oriri. Accedit aliud argumentum: in capite 1 corpus eiusque morbi animo eiusque perturbationibus opponuntur, idemque fit in capite 2 l. l. — Quae cum ita sint, facere non possumus quin statuamus Plutarchum sententiam illam ad animi facilitatem spectantem inseruisse deliberationibus plane aliis, quae ad humanorum malorum causas intellegendas pertinent.

Iam exponit, Democriti vestigia premens, animum esse quasi aerarium permultis malis refertum quae non aliunde in eum influant sed ex ipso vitio nostro nascantur, cum dicit: '*ἃς* (scil. malorum fontes) *ἀνίησιν ἡ κακία*', nec aliam sententiam amplectitur c. 1 fin.: '*κακία . . περὶ ψυχὴν ἔργον ἐστὶ πρῶτον, εἶτα πάθος αὐτῆς.*' — Ut nostrum maxime animum inspiciamus Plut. praecipit 'De tranquill. an.' 8, 9 fin., 14, 15; 'De exilio' 2, 3, 4 et prae ceteris 'De tranquill. an.' 10 init., ubi legimus: '*μέγα πρὸς εὐθυμίαν ἐστί, τὸ μάλιστα . . αὑτὸν ἐπισκοπεῖν*', idemque 'De virt. et vit.' 1 postulat, ubi '*τὸ ἦθος*' '*πηγή*' nuncupatur eadem ratione atque loco quem tractamus ('*ἐγγείους . . πηγὰς ἐχόντων*'). — '*Ταμιεῖον*' ad animum conversum redit etiam 'De tranquill. an.' 14 init.

Omnia mala ex vitiis hominum effluere Chaeronensis certis verbis contendit fusiusque comprobat 'De virt. et vit.' c. 2, qua de re iam supra verba fecimus. Praeterea conferre licet 'De tranquill. an.' 11 init., ubi Plut. praecipit: '*ἐντὸς γένου* ('Animine an corporis': '*ἂν δὲ σαυτὸν ἔνδοθεν ἀνοίξῃς . .*') *καὶ κατόψει . . πολλὰς ἀηδίας ἐνούσας αὐτοῖς*' ('Animine an corporis': '*πολυπαθὲς κακῶν ταμιεῖον εὑρήσεις*'), uti iterum tibi persuadeas hos duos libros admodum inter se affines esse. Sic noster in utraque commentatione concedit esse nonnulla mala minoris momenti quae natura nobis mittat; cf. 'Animine an corporis' 1: '*νόσος μὲν γὰρ ἐν σώματι φύεται διὰ φύσιν*'; c. 2: '*τὸ σῶμα νοσήματα καὶ πάθη φύσει τ' ἀνίησιν*' = 'De tranquill. an.' 11 init.: '*πολὺ τὸ δύσζηλον ἡ φύσις ἔχουσα καὶ τὸ βάσκανον*'; c. 17 init.: '*τῶν ἀβουλήτων τὰ μὲν φύσει τὸ λυποῦν καὶ βαρῦνον ἐπιφέρει.*'

Ista commenta in libello de quo agimus excipiuntur comparatione illa nobis iam satis nota inter corporis et animi morbos instituta, quos ea prae ceteris in re inter se differre accipimus quod illos quidem certis indiciis praesentire et cognoscere possimus, hi vero nos fugiant, ut multo gravius periculum nobis afferant, quoniam homo animo aegrotans '*οὐκ ἔχει κρίσιν, ἐν οἷς πάσχει,*

πάσχει γάρ, ᾧ κρίνει'. Ad verba '*τὰ μὲν ἐν σαρκὶ νοσήματα*' cf. 'De tranquill. an.' 17 init., 'De exilio' 1 fin., qui loci ex Menandro deprompti sunt, et 'De virt. et vit.' 3 init.

Continuatur animi et corporis malorum comparatio in capite 3, ubi Plut. docet eum morbum pessimum esse cuius nullum habeamus sensum.

Omnium malorum turpissimum ei videtur '*ἡ ἄνοια, δι' ἧς ἀνήκεστος ἡ κακία τοῖς πολλοῖς συνοικεῖ καὶ συγκαταβιοῖ καὶ συναποθνήσκει*'. Idem simillima ratione de vitio semper in homine habitante exponitur 'De virt. et vit.' 2, ubi vitium hominum '*σύνδειπνος καὶ σύγκοιτος*' dicitur et voci '*συνοικεῖ*' respondet participium '*συνοικοῦσα*'. — Praeterea commemorandum est Plutarchum non solum '*ἄνοιαν*' ut gravissimum malum sugillare, sed pari modo 'De tranquill. an.' c. 17 ut summa *εὐθυμίας* adminicula praedicare '*μαθήματα καὶ λόγους*'.

Sub capitis fine febris exemplo comprobatur morbos '*μετ' ἀναισθησίας*' graviores esse quam eos qui cum sensu quodam coniuncti sint.[1]) Saepius noster ad febrem alludit in omnibus fere his scriptis; e. g. 'De tranquill. an.' 8 init., 'De virt. et vit.' 4 fin., 'An virtus' 3 init.

In capite 3 accuratius demonstrari '*τὰ πάθη ψυχικά*' maximi esse periculi iam indicavi; in singulis Stoici perstringuntur propter nimiam virtutum molem quam excoluerint.[2]) — Paulo infra (501 C med.) Euripidis Orestes (v. 258) laudatur uti 'De tranquill. an.' 2 init., quo loco sequuntur verba '*κακὸν μὲν ἀναισθησίας σώματι φάρμακον ἀπονία*' iam supra collata. — In sequentibus *τὰ πάθη* definiuntur ut '*σφοδρότητες ὁρμῶν· διὸ τὴν ψυχὴν ἠρεμεῖν οὐκ ἐῶσιν*'. — Similiter nimia cupiditatis vis describitur 'De virt. et vit.' 2 fin, ubi edocemur vitium posse '*κινεῖν μόνον καὶ διαγριαίνειν τὰ πάθη*'[3]); cf. etiam 'De tranquill. an.' 7 fin.: '*αἱ γὰρ σφοδραὶ περὶ τὰ πράγματα πτοῖαι .. ἐγγεννῶσιν .. δυσκολίας*' et c. 12 init.: '*ἡ φιλαυτία ποιοῦσα ... πάντων ἐπιδραττομένους ἀπλήστως*.' — '*Ἠρεμεῖν*' idem significat atque voces *γαλήνη, εὐδία, ἡσυχία* in libris 'De tranquill. an.' et 'De virt. et vit.'

1) Cf. 'De tranquill. an.' 2 init.: '*κακὸν μὲν ἀναισθησίας σώματι φάρμακον ἀπονία*'. Ceterum Plut. versum poetae tragici ignoti (Nauck, frg. adesp. 361) affert, quo utitur etiam 'De audiendo' 12; 'De cohib. ira' 6; 'De garrul.' 1; 'Quaest. Sympos.' III 9, 1.

2) De Agaves exemplo cf. Giesecke p. 112 (cf. etiam Horatii sat. II 3, 303 sq.).

3) Cf. 'De tranquill. an.' 1 fin., 'De virt. mor.' 7, 446 DE.

In capitis 3 fine haec vitia enumerantur: *θυμοί, φιλονεικίαι, ἔρωτες, λῦπαι.* Iterum habes pluralis formam satis memorabilem, quam, ut alia omittam, 'De tranquill. an.' 2, 465 D invenimus ('*λῦπαι*'). Praeterea pluralis ibid. exstat in capite 7, ubi voci '*θυμοί*' respondent '*ὀργαί*', voci '*φιλονεικίαι*' vox '*δυσμενείας*'. Similis pluralium enumeratio 'De virt. et vit.' 2, 100 F nobis occurrit, et paulo infra *θυμός* et *ἀκολασία* castigantur (= *θυμοί* et *ἔρωτες*). Cf. etiam totius libelli de quo disputamus finem, ubi iterum reprehenduntur *θυμός, φιλονεικία, ἐπιθυμία.*

In priore capitis 4 parte animi affectiones cum tempestatibus quibus mare turbatur conferuntur, uti ipse *λογισμός* sit '*ἀκυβέρνητος καὶ ἀνερμάτιστος ἐν ταραχῇ καὶ πλάνῃ*' etc. Quae similitudo a naufragio petita in memoriam nobis revocat 'De tranquill. an.' c. 17, ubi Plut. bonum animi statum vitae gubernatorem dicit, et quod hoc loco animum variis affectionibus perturbatum cum navi in mari tempestuoso iactata confert, hoc bene cum comparatione illa concinit qua 'De tranquill. an.' c. 19 animum tranquillitate et laetitia fruentem serenum quasi placatumque mare (*εὐδίαν καὶ γαλήνην*) esse demonstrat (cf. 'De tranquill. an.' c. 17, 476 A).

Nec vero hoc loco hanc quaestionem expedire in animo est.

In altera capitis 4 parte Plutarchus vocibus '*αὐτὸς ὁ καιρὸς*' ad suae aetatis pravam condicionem alludit et, ne '*πολλὰ λέγειν τῶν παθῶν*' coactus sit, satis vivaciter tumultum describit qui quoque anno oriri solet, iudicii die a proconsule Sardes indicto.[1])

Denique addam mea ex sententia ne hanc quidem scriptiunculam a librariis detruncatam esse; immo ut tres alii libelli antea percensiti a Plutarcho ex collectaneis suis, e quibus magna ex parte etiam commentatio '*περὶ εὐθυμίας*' inscripta hausta videtur, obiter conficta est.

CAPVT VII.

De quaestiuncula, cui titulus est '*Εἰ αὐτάρκης ἡ κακία πρὸς κακοδαιμονίαν*'.

Similem in modum non publici iuris factus nec perfectus videtur libellus '*εἰ αὐτάρκης ἡ κακία πρὸς κακοδαιμονίαν*' inscriptus, nec facere possum cum Usenero (Fl. Jb. 139, 381) coniciente frag-

1) Cf. Volkmann, Plutarch I 62 sq.

mentum tantum nobis servatum esse plenioris commentationis, fortasse eius quae in Lampriae catalogo commemoratur sub nr. LXXXV '*Ἀμμώνιος ἢ περὶ τοῦ μὴ ἡδέως τῇ κακίᾳ συνεῖναι*'; nam mirum esset tot fragmenta quot perlustravimus in scriptis Moralibus exstare, ut rectius iudicare mihi videar omnes has commentatiunculas a Plutarcho non expolitas sed schedas esse, quibus quasi materie occasione data ad libros maiores conscribendos et exornandos uti volebat.

Nec assentiri possum Hensio (Teletea p. LXXXIX, adn.), cuius ex sententia hic libellus 'cum truncatus nec mediocriter depravatus' tum a Plutarcho prorsus abiudicandus est, quod cur putet hic homo doctissimus non satis intellego; nam totius huius quaestiunculae argumentum, quo comprobatur unam vitiositatem hominem infelicem reddere, fortunam nihil contra sapientem valere, cum omnium libellorum supra tractatorum indole tam bene convenit, ut mihi quidem eodem fere tempore et ab eodem auctore atque illi conscripta esse videatur.

Nec eo Hense niti potest quod Cynicam haec commentatio redolet doctrinam; nam Cynicorum apophthegmata quae profert non ignota fuisse Chaeronensi ex aliis eius scriptis elucet, quo accedit quod partim eaedem partim similes historiolae atque in hoc volumine de Diogene, Metrocle, Cratete, Theodoro atheo, Socrate etiam in libris 'De tranquill. an.' et 'De exilio' narrantur. Et cum haud male Hense evincere studet non dubitare licere 'quin ex Bione sumpserit auctor colores haud ita paucos', nonne hoc bene quadrat in suam, Heinzii, Gieseckii sententiam, secundum quam Borysthenita fuit praeter Aristonem Stoicum primarius Plutarchi auctor?

At iam ad ipsum libellum quem tractamus paucis examinandum nos accingamus.

In primo capite noster — similiter atque in libello 'De fortuna' — principium petit a versu quodam Euripideo (frg. 775 N); at capitis initium male mutilatum est, pari modo atque libri 'De philosophando cum principibus' prima verba, quae nullo modo restitui possunt. Exponebatur autem ibi sine dubio homines qui externorum bonorum satis caducorum causa fortunae subditi fierent corpus suum quasi vendere stultissima ratione, cum illorum bonorum, ubi ea accepissent, '*ἀπολαῦσαι δι' ἀσχολίαν*' non possent.

Fortuna personata inducitur ut 'De tranquill. an.' 17 et saepius, qua de re postea agemus; hoc loco id tantum moneam aptum esse hunc usum Plutarchi stilo nec necessario Cynicum prodere auctorem.

Totius libri cardo in eo versatur quod comprobatur sufficere vitium ad homines infelices reddendos; nonne eadem sententia accuratius adumbratur 'De virt. et vit.' c. 2, ubi Plut. etiam contrarium demonstrat ad veram beatitudinem nihil nobis opus esse nisi virtutem? Idem profitetur 'De tranquill. an.' c. 19 nec non 'Animine an corporis etc.' l. l. nobis persuadere vult ipsum animum infelicitatis suae unicam esse causam. Quae cum ita sint, comprobari nequit hunc librum Plutarcho suppositum esse; immo cum aliis scriptis quae supra perscrutati sumus arctissimo filo coniunctus est. At Tantali exemplum, quocum homo qui nimia cupiditate vexatus nulla re frui potest confertur, Bionem indicare Hensio videtur, quia etiam Teles, Bionis assecla, p. 25, 5 (ed. Hense) simili ratione Tantali exemplo utatur.[1]) — Cui coniecturae adstipulari non possum eam maxime ob causam quod Plut. Tantalo 'ἀσχολίαν' opprobrio vertit; intima autem Plutarchi ex sententia otium, quod 'σχολή' vel 'ἠρεμεῖν' vel 'γαλήνη' nuncupat, ad beatam vitam necessarium est (cf. 'De tranquill. an.' 6; 'De exilio' sparsim; 'De virt. et vit.' 3; 'Animine an corporis' 3), uti sine eo nullo bono frui possimus, et similiter atque hoc loco etiam 'De virt. et vit.' c. 4 exponitur divitias cum 'ἀπληστίᾳ' coniunctas inutiles esse. Quod autem Chaeronensis hanc sententiam Tantali exemplo illustrat non mirum est; nam Tantalum Graecis prae ceteris specimen fuisse nimiae cupiditatis satis notum est, ut facillime Plut. ipse in hoc exemplum incidere potuerit nec opus ei fuerit Cynicis auctoribus.[2])

Sequitur historiola de Sicyonio illo Homerico (Ψ 297 sq.) enarrata qui Agamemnoni equam dono dabat, ut bello liber fieret, quam narratiunculam Hense iterum ad Bionem refert, quippe qui saepius Homeri versus accersiverit (!).[3]) At etiam hoc exemplo Plut. nihil nisi εὐπορίαν seu σχολὴν ἄλυπον comprobare studet (cf. etiam 'De exilio' 3, 600 A, ubi vox 'εὐπορία' usurpatur, et 'De tranquill. an.' c. 14, 473 D).

In eis quae sequuntur auctor noster demonstrat permultos esse homines qui perperam credant eum tantum esse 'ἄλυπον' qui

1) Cf. Horatii Sat. I 1, 68. Heinze, De Horatio Bionis imitatore p. 20.

2) Giesecke p. 74 censet Aristonem Chium prae ceteris Tantalum adamasse, non Bionem, ut Heinze et Hense putant.

3) Bio non solebat, ut Plut. l. l. facit, Homerum afferre tantum ad suas sententias comprobandas; sed quam maxime facetiis suis eum illusit. Cf. Schol. ad Horat. Sat. II 2, 60. Wachsmuth, Sillographi p. 77. Henr. Weber, l. l. p. 27 sq. — Eodem Sicyonii exemplo Plut. etiam 'De poet. aud.' 12 init. utitur.

'πρακτικός' sit, et commemoratione dignum videtur Plutarchum plane alia proferre 'De tranquill. an.' c. 2, ubi eos vehementer perstringit qui 'τὸ εὐθυμεῖν' coniunctum esse necessario cum 'ἀπραξίᾳ' putent. — At is tantum qui obiter rem examinat suspicari potest Plutarchum his duobus locis sententias profiteri sibi repugnantes, cum hic commendet quietem, ibi activam vitam laudibus efferat; immo utroque loco iudicium fert iusto acrius; revera hi duo loci inter se conectendi sunt, cum 'τὸ ἄγαν' solum ('De tranquill. an.' c. 16 init.) auctor vituperare et tollere velit et 'De tranquill. an.' 2 quidem nimiam inertiam, contra 'An vitiositas' 1 fin. nimiam sedulitatem respuat. — Accedit quod libellus quode agimus in singulis bene cum illa dissertatione concordat; castigantur enim loco quem tractamus ei qui apud reges et proceres honores captant et 'ὠθοῦνται δι' αὐτῶν εἰς αὐλὰς καὶ προπομπὰς καὶ θυραυλίας', quibuscum verbis conferas 'De tranquill. an.' 3, 466 C: 'διὰ ταῦτα προαγωγὰς ἐν αὐλαῖς διώκουσι'. Eiusmodi homines Plutarcho inani spe agitari et vexari videntur ('πλανᾶται τριβόμενος ἔν τισιν ἐλπίσιν καὶ προπηλακιζόμενος'); nec aliter invehitur in homines ineptae spei deditos 'De tranquill. an.' c. 18 fin. et c. 19 init.

Praeterea in utraque commentatione eos impugnat qui sua condicione numquam contenti aliis semper invident. Cf. 'De tranquill. an.' c. 3: 'προαγωγὰς ... διώκουσι καὶ παρελθόντες εὐθὺς βαρύνονται', quibus verbis egregie respondet 'An vitiositas' c. 1 fin.: 'ἂν δὲ καὶ τύχῃ τινός, ὧν ποθεῖ, περιενεχθεὶς καὶ σκοτοδινιάσας πρὸς τὸν τῆς τύχης πεταυρισμὸν ἀπόβασιν ζητεῖ', et cum sequentibus verbis 'μακαρίζει τοὺς ἀδόξους καὶ ἀσφαλῶς ζῶντας' (cf. 'De tranquill. an.' l. l.: 'φεύγουσι τὴν ἀγοράν, εἶτα τὴν ἡσυχίαν οὐ φέρουσι') bene conspirat 'De tranquill. an.' 10 init., ubi pro voce 'μακαρίζει' usurpatur 'εὐδαιμονίζουσιν' (cf. autem paulo infra 470 E fin. 'μακαρίζουσι').

Accedit aliud. 'An vitiositas' l. l. Plut. contendit homines potentia quadam praeditos ἀδόξοις invidere, ἀδόξους contra eis qui se superiores sint, nec aliter iudicat 'De tranquill. an.' 10, ubi cf.: 'πρὸς τοὺς ὑπερέχοντας ἀντιπαρεξάγουσιν' = 'An vitios.': '(τὸν) ὑπὲρ αὐτοὺς φερόμενον'. 'De tranquill. an.' l. l. occurrunt haec: 'τῶν ὑπὲρ ἑαυτοὺς ἐνδεεῖς ὄντες' = 'An vitios.': 'ὑπὲρ αὐτούς'. Antecedunt in l. 'An vitios.' verba 'ἄνω βλέποντες', quibuscum cf. 'De tranquill. an.' 9 fin.: 'ἔξω βλέποντες'.

At 'De tranquill. an.' c. 10 init. deest sententia libri 'An vitios.' loci de quo agimus propria, qua edocemur alterum alterius, suam

neglegentem, exoptare condicionem eamque, ubi adeptus sit, iterum respuere. — Contra eandem sententiam 'De tranquill. an.' c. 3 adumbrari supra vidimus, ut hi tres loci dilucide se suppleant et amplificent et iterum manifestum sit non recte homines doctos commentatiunculam 'An vitiositas ad infelicitatem sufficiat' inscriptam a Plutarcho abiudicare.

In capite 2 auctor noster fusius demonstrat unice vitium homines in infortunia intrudere, uti sit '*πυρὸς ἡ κακία καὶ σιδήρου βιαιοτέρα*'. Idem exponi 'De virt. et vit.' 2—4, ubi (100 F) e. g. vox '*διατίθησι*' simili notione atque l. l. usurpatur, et 'Animine an corporis' c. 2 iam supra vidimus; prae ceteris autem viva ratio, qua vitium quasi hostis in animum invadens eumque captum tenens describitur, in memoriam nobis revocat 'De virt. et vit.' c. 2, ubi cf. verba '(*κακία*) *συνοικοῦσα τοῖς σπλάγχνοις*' = 'An vitios.': '(*κακία*) *συνελθοῦσα τῇ ψυχῇ*'.

In eis quae sequuntur Plut. docet vitium homines quasi tormentis vexare; iam cf. 'De tranquill. an.' 19, 477 A. Ibid. (476 F) legimus: '*ἄλλας ἀναιρεῖ λύπας ὁ λόγος, τὴν δὲ μετάνοιαν αὐτὸς ἐναργάζεται δακνομένης . . τῆς ψυχῆς καὶ κολαζομένης ὑφ' αὐτῆς.*' Pari modo auctor 'An vitios.' l. l. negat hominem seu tristitia seu timore seu paenitentia exagitatum miseram animi condicionem tollere posse. Alludit igitur ad paenitentiae vim et crudelitatem, quippe quae nos cogat '*βοῆσαι*' et '*τριχῶν λαβέσθαι*' etc., idemque fere profert 'De tranquill. an.' 19, 476 F, ubi *μετάνοιαν* in animo nostro sedentem '*αἱμάσσουσαν καὶ νύσσουσαν*' describit. In eodem capite paulo infra contendit culpae conscientiam hominem facere '*ἐπιθρηνούμενον τοῖς ἁμαρτανομένοις*', nec aliter 'An vitios.' l. l. accipimus vitium animum lacrimis ('*θρήνων*') implere. Praeterea quam maxime huc quadrat 'De tranquill. an.' 20, 477 E, ubi homines '*ἐν ὀδυρμοῖς τὰ πολλὰ καὶ βαρυθυμίαις καὶ μερίμναις ἐπιπόνοις διατρίβοντες*' perstringuntur. Verbo '*διατρίβοντες*' respondet 'An vitios.' l. l.: '*συνέτριψε*', voci '*βαρυθυμίαις*': '*βαρυθυμίας*', ut utroque loco lacrimae et *βαρυθυμία* coniunctae sint. — Etiam '*λύπη*' in l. 'An vitios.' ad vitium refertur — cf. 'De tranquill. an.' 19: '*λύπας*'. *Λῦπαι* et *θυμοί* coniuncta sunt 'Animine an corporis' c. 3 fin.; iracundia etiam in libello quem tractamus vitiis assignatur, nec non *φόβος*, de quo vide 'De virt. et vit.' 2, 100 F. — Similia commenta, quae multo maioris momenti sunt, ultimo huius libelli capite continentur; at priusquam haec exhaurire possumus, ea quae antecedunt brevissime percurrere oportet.

Capitis 3 prae ceteris indole permoti homines docti[1]) statuerunt hanc commentationem petitam esse ex Cynicorum et maxime Bionis scriniis; fingitur enim in hoc capite certamen coram iudice actum, quo *Κακία* et *Τύχη* ut vivae personae certant, utra celerius hominum vitam miseram reddere possit. Eadem igitur interrogandi et certandi ratio usurpatur atque in libello 'Animine an corporis etc.' De ipso huius capitis argumento, quo comprobatur omnem fere potentiam penes vitiositatem, nullam penes fortunam esse, post ea quae de aliis Plutarchi voluminibus exposui verba facere supersedeo; disserendum nobis est de forma.

Uti civitates locationem templorum vel colossorum proscribere solent artificesque audiunt de opere conducendo certantes, sic Plut. fingit publice scripto proposito *ἔκδοσιν* proscriptam esse, qua invitentur ei qui vitam humanam ut miseram reddant operam dare velint, et venire ad hanc '*ἐργολαβίαν*'[2]) *Τύχην* et *Κακίαν*.

Eodem modo apud Plutarchum personatum invenimus vitium in huius libri capp. 2, 4, 5, 'De virt. et vit.' 2, 'Animine an corporis' 2 et saepius. — Simili ratione '*τὰ πράγματα*' loquentia introducuntur 'De exilio' c. 1, '*ὁ λογισμός*' 'De tranquill. an.' c. 16.

Haec consuetudo abstractas res voce induendi, personatas in publicum vocandi Cynicis quam maxime familiaris erat[3]), id quod perpaucis tantum exemplis comprobare mihi liceat. Apud Teletem '*περὶ αὐταρκείας*' 5, 11 (ed. Hense) Diogenes dicit se *Κακίας* vocem audivisse '*ἑαυτὴν αἰτιωμένην*'·

'*οὔτις ἐμοὶ τῶν δ' ἄλλος ἐπαίτιος, ἀλλ' ἐγὼ αὐτή.*'[4])

In eodem Teletis fragmento (p. 3, 2 Hense) inducitur etiam *Τύχη* ut '*ποιήτρια*' cuique homini quasi mimo suum *πρόσωπον* praebens, quae comparatio[5]) Telete teste a Bione Borysthenita conficta est reditque etiam in Teletis libri '*περὶ περιστάσεων*' epitoma p. 40, 1 H. Idem Teles etiam '*περὶ ἀπαθείας*' 48, 3 H. ho-

1) Cf. Usener, l. l. Giesecke p. 89.

2) Cf. '*ἐργολαβοῦντα*' apud Teletem 16, 16 (ed. Hense).

3) Nuperrime Henr. Weber l. l. p. 22, 44, 60 sq. de hac re disputavit; at more suo Cynica cum talibus quae ne umbram quidem Cynici auctoris prae se ferunt commiscuit. Cf. etiam Hirzel, Der Dialog I, 372 sq. 378, 2.

4) Hic versus detortus ex Homeri versu J. 335 notissimus fuisse videtur; nam exstat etiam apud Plutarchum, 'De tranquill. an.' 19, 477 A et apud Stobaeum, Floril. 24, 15.

5) Duemmler (Academica p. 6; 94, 1) cogitat de Archelao, Antisthenis dialogo; cf. Gercke, Archiv für Geschichte der Philosophie V, 210.

minem contra *Τύχην* loquentem facit. — Nec non Bio — ut Plut. — etiam *τὰ πράγματα* hominum more loqui fingebat (Teles p. 3 et 4 Hense) et *Πενίας* composuit orationem (ibid. p. 4, 6; 5, 7).

Nec vero mihi persuadere possum Chaeronensem totum in hoc vivo loquendi genere pendere a Cynicis; nam nemo est quin sciat iam sophistas, veluti Prodicum, talia admodum amasse, et nostro iure Platonem conferre possumus, qui in Critone Socratem legum orationem cum amicis communicantem facit. Cleanthem Stoicum voluptatis et virtutum, Chrysippum iustitiae imaginem excogitasse decantatum est.[1]) De Crantore vide Hirzel, Der Dialog I, 372.

Quae cum ita sint, rectius conicias Plutarchum non auctorem quendam Cynicum sequi, sed, cum semper solitus sit scripta sua variis coloribus depingere, ipsum hanc Vitiositatis et Fortunae certamen excogitasse. Accedit quod simile corporis et animi certamen invenimus 'Animine an corporis' c. 1, ubi iterum '*ἀγών*' describitur de eadem plane quaestione institutus, utrum '*διὰ τὴν τύχην ἢ δι' ἑαυτοὺς ἀθλιώτερον ζῶμεν*' (cf. c. 2).

Quam quaestionem in hoc libello solum delineatam commentatio 'An vitiositas' fusius amplificat. Ergo idem est utriusque scripti argumentum eademque est forma, ut denuo pateat non licere homini via ac ratione progredienti alterum Plutarcho vindicare, alterum pro supposito habere. *Τύχη* multis instrumentis instructa est, quibus homines se cruciaturam minatur quaeque in memoriam revocant illa '*τὰ ἐκτός*' quibus plerique homines vexentur (cf. 'De tranquill. an.' 5 init., 6, 17; 'Animine an corporis' 1; 'De exilio' 2). — Vitiositas contra caret omnibus rebus exteris ('*μηδενὸς δεομένη τῶν ἔξωθεν*'). — Accedit quod ne laetitiam quidem egere externis rebus elucet ex libri 'De virt. et vit.' capite 1 ('*τὸ δ' ἡδέως ζῆν καὶ ἱλαρῶς οὐκ ἔξωθέν ἐστιν*'), et idem cadere in *Κακίαν*, cui et ipsi alienis rebus non opus sit, Plut. loco de quo agimus comprobare studet.

Sequitur longa Vitiositatis oratio, qua singula mala quibus fortuna homines in infimam infelicitatem se detrusuram gloriatur singillatim refellit. Eandem argumentandi rationem deprendimus 'De tranquill. an.' c. 4 et prae ceteris c. 6, ubi pari modo singulorum malorum consolationes proferuntur et ipsa mala sic reiciuntur, ut Plut. clarorum virorum exemplis demonstret ea nullam fere vim habere.

1) Cf. Henr. Weber, l. l. p. 60 sq. Hirzel, Der Dialog I, 373.

Ipsa exempla in l. 'An vitiositas' magna ex parte Cynica sunt; nec vero licuit Gieseckio (p. 69) hanc ob causam conicere Plutarchum Borysthenitam sequi, praesertim cum etiam Socrates, Decius Romanus, Indorum gymnosophistae qui dicuntur a Plutarcho collaudentur.

Ac primum quidem reicitur paupertas Metroclis Cratetei exemplo; nec aliter Plut. negat paupertatem malum esse 'De tranquill. an.' c. 6 et 'De virt. et vit.' c. 1 fin. — Sequuntur '*δουλεία καὶ δεσμὰ καὶ πρᾶσις*', quae nihil ad beatitudinem nostram debilitandam valere Diogenis dicto quodam comprobatur, quo etiam Musonius usus est[1]) cuique simile habes 'De tranquill. an.' c. 4. Quo loco Diogenis apophthegma Socratis in carcere cum amicis philosophantis exemplo excipitur, nec non 'An vitios.' l. l. Diogenem sequitur Socrates '*μάλ' εὐκόλως*' poculum veneno repletum exhauriens. 'De tranquill. an.' l. l. accipimus Socratem ante mortem philosophatum esse cum discipulis; hoc loco solum commemoratur aequo ac sereno animo eum mortuum esse; utrumque coniungitur in libelli 'De exilio' exordio ('*Σωκράτης δὲ φάρμακον πίνων ἐφιλοσόφει*'), quem locum ex eodem atque librum 'De tranquill. an.' commentario effluxisse supra exposui, ad quem etiam hunc scriptiunculae 'An vitios.' locum referre possumus.

Nimirum huius capitis quod examinamus exempla Chaeronensis ex variis collectaneis contexuit; sic Socratis et Diogenis enuntiata ex uno excerpto petivit; contra ea quae sequuntur aliunde sine dubio sibi assumpsit; mortem enim igne acceptam malum esse negat Decii et Indorum (cf. Cic. Tuscul. V 78) exemplis allatis.

Maioris momenti sunt ea quae sequuntur, ubi auctor operam dat ut nobis persuadeat minime pro malo habendum esse, si '*ἐξ οὐσίας λαμπρᾶς καὶ οἴκου καὶ τραπέζης καὶ πολυτελείας εἰς τρίβωνα καὶ πήραν καὶ προσαίτησιν ἐφημέρου τροφῆς*' inciderimus, quoniam haec fuerint '*εὐδαιμονίας ἀρχαὶ Διογένει, ἐλευθερίας Κράτητι καὶ δόξης*'.

Aperte huc spectat 'De tranquill. an.' c. 4 init.: '*Κράτης δὲ πήραν ἔχων καὶ τρίβωνα παίζων .. ὥσπερ ἐν ἑορτῇ τὸν βίον διετέλεσε.*' In eiusdem libri capite 19 legimus: '*οἰκία πολυτελής*' = 'An vitios.': '*οἴκου καὶ πολυτελείας*'. '*Οἰκία*' redit etiam 'De virt. et vit.' 1 (cf. c. 4 init.: '*οἰκοδόμει περιπάτους*'); contra '*τραπέζας*' nobis suppeditat 'De fortuna' c. 5 fin., ubi etiam adiectivum '*πολυτελεῖς*' occurrit. 'De virt. et vit.'

1) '*Περὶ φυγῆς*' apud Stobaeum, Flor. II 74, 15 sq. Meineke.

c. 1, 100 C et c. 4 init., 'De fortuna' c. 5, 99 E, 'De tranquill. an.' c. 19, 477 A ex uno eodemque commentario deprompta esse supra nobis persuasimus, eidemque commentario quin 'An vitios.' c. 3, 499 CD verba 'ἀλλ' ἐξ οὐσίας' usque ad 'Κράτητι καὶ δόξης' assignanda sint eo minus dubitare possumus, quod loco quo servata sunt sententiarum nexum male perturbant, cum in prioribus et in eis quae sequuntur de variis mortis generibus disseratur; qua re comprobatur Plutarchum ex collectaneis suis non satis apte — pari modo atque 'De fortuna' c. 5 fin. (cf. supra p. 100 sq.) — haec verba inseruisse; aliter enim intellegere non possumus, cur sententiarum ordinem tam male dilaceraverit, nisi statuimus eum conglutinasse varia excerpta nullo vinculo inter se coniuncta et incidisse in volumen quoddam quo hominum clarorum contra mortem constantia compluribus exemplis illustrabatur; nam equidem alias perspicere non possum, cur tam diu haereat in crudelibus necibus enarrandis, quae ad rem haud multum valent.

Sic sub capitis fine Theodori athei exemplo demonstrat revera non esse malum in crucem vel ad palum affigi. Quod Theodori dictum pervulgatum erat; nam usurpatur etiam 'De exilio' c. 16, 606 B et a Cicerone, Tuscul. I 42. Etiam Teles, 'περὶ φυγῆς' p. 23, 3 H. Theodori nomine omisso ad illud enuntiatum alludit. — Deinde Plut. nonnulla de Scytharum[1]), Hyrcanorum, Bactrianorum[2]) consuetudine mortuos sepeliendi addit, quae in totius capitis argumentum minime quadrare iam e sequentibus verbis elucet: 'τίνας οὖν ταῦτα κακοδαίμονας ποιεῖ;', quae non ad istos flosculos undique collectos spectare possunt, sed ad ipsa mala in capitis 3 priore parte reprobata. Ceterum talia collectanea quibus varia sepulturarum genera describebantur vulgata fuisse ex Teletis 'περὶ φυγῆς' libro apparere videtur, ubi similia atque apud Plutarchum l. l. enarrantur.[3])

Iam nos convertamus ad c. 4, ubi Chaeronensis denuo sententiam illam satis superque nobis notam secutus explicat fortunae,

1) Quae Plut. de Scythis profert apud Teletem desunt et petita sunt ex Herodoto IV, 71.

2) Cf. Teles, 23, 3 H.

3) Bionem commentarium 'περὶ ταφῆς' scripsisse a Telete expilatum (i. g. coniecerunt Hense, l. l. p. LXXXVIII, Giesecke, l. l. p. 28) satis improbabile esse mihi videtur; contra talem libellum Chrysippum composuisse constat, a quo pendent Cicero, Tuscul. I 107 sq. et Sextus Empir. III 226 sq. Cf. Hense, l. l., ubi aliorum hominum de hac quaestione inventa laudantur.

vitio non adiuvante, contra homines nullam esse vim (*'οὐκοῦν οὐκ ἔστιν ἡ τύχη κακοδαιμονίας τελεσιουργός, ἂν μὴ κακίαν ἔχῃ συνεργοῦσαν'*). — Sub capitis fine Plut. exponit nihil nocere nobis posse *τύχην*, nisi habeamus *'ἴδιον ἕλκος ἐν ἑαυτῷ καὶ κακὸν . . . ἐντὸς σαρκός, ὅπως τὰ προσπίπτοντα ἔξωθεν οἰκτρὰ καὶ ὀδυρτὰ ποιήσῃ'*.

Plane eadem exstat sententia 'De virt. et vit.' c. 2. Praeterea quam maxime huc quadrat 'Animine an corporis' c. 2, ubi similiter *'ἐντός'* et *'ἔξωθεν'* sibi opponuntur et praeterea legimus: *'τὰ ἐν σαρκὶ νοσήματα'* = 'An vitios.' l. l.: *'κακὸν ἐντὸς σαρκός'*.

Restat ut quam brevissime duas alias commentationes perlustremus, in quibus Plutarchus de doctrina sua morali in universum disputat: dico libros *'Πῶς ἄν τις αἴσθοιτο ἑαυτοῦ προκόπτοντος'* et *'Περὶ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς'* inscriptos. Nec vero in animo est has duas dissertationes hoc loco exhaurire; sed ea tantum commemorare mihi proposui quae cum libellis supra adumbratis conveniunt.

CAPVT VIII.

De dissertatione, quae inscribitur *'Πῶς ἄν τις αἴσθοιτο ἑαυτοῦ προκόπτοντος'*.[1])

Atque in priore quidem volumine, quod Sossio Senecioni amico Romano dedicavit, Plut. Stoicam illam doctrinam impugnat qua docebatur nos nullo modo facere posse, ut in virtute progrediamur (*'ἐν τῷ φιλοσοφεῖν οὔτε προκοπὴν οὔτε τινὰ προκοπῆς αἴσθησιν εἶναι'*).[2])

Ut in aliis commentatiunculis quas excussimus sic etiam in hoc scripto auctor non tam subtilibus ratiocinationibus intimam doctrinam suam evolvere et comprobare quam amicos ad honestiorem beatioremque vitam adducere studet.

In capitis 1 initio nobis verba occurrunt: *'ἡ κακία πᾶσιν περιτιθεμένη'* = 'An vitios.' 2 init.: *'ἡ κακία διατίθησι πάντας ἀνθρώπους'*. — In eis quae sequuntur exponitur discipulum non posse progredi *'ἐν μουσικοῖς ἢ γραμματικοῖς'*, nisi quid novi

1) Disputavit de hoc libro J. H. Mücke, 'De Plut. duce, quomodo suos quisque in virtute profectus possit animadvertere', Lipsiae 1791.

2) Cf. 'De communibus notitiis' c. 9 et 10. Zeller III 1, p. 255 sq. 270 sq.

semper addiscat. Eandem sententiam noster profitetur 'De fortuna' 6 med. et 'An virtus' 1 fin. ('ψάλλειν μανθάνουσιν οἱ ἄνθρωποι .. καὶ ἀναγιγνώσκειν γράμματα .. ταῦτ' ἄνευ τοῦ μαθεῖν οὐκ ἔστι χρησίμως ποιεῖν').[1])

Deinde Chaeronensis, uti solet, corporis morbos cum animi vitiis confert, ut demonstret nos nec illis liberari posse nisi 'νοσήματος ὑπείκοντος .. αἴσθησιν' aliquam habeamus (cf. 'Animine an corporis' c. 3), nec tolli posse vitia ex animo, 'εἰ μηδὲν ἡ ψυχὴ μεθίησι μηδ' ἀποκαθαίρεται τῆς ἀβελτερίας'.[2]) Similiter requirit 'De tranquill. an.' 4 fin., ut 'τὴν πηγὴν τῆς εὐθυμίας ἐν αὐτοῖς οὖσαν ἐκκαθαίρωμεν'. Cf. c. 19, 477 B 'ψυχὴ καθαρεύουσα πραγμάτων .. πονηρῶν' et 'De prof. in virtutibus' c. 3 init. 'τοῦ λόγου διαφωτίζοντος ... τὴν ψυχὴν καὶ διακαθαίροντος'. In eodem capite 3 (76 CD) Plutarchus suadet, ut a minoribus paulatim ascendamus ad maiora, idemque plane praeceptum invenimus 'De tranquill. an.' c. 18, 476 C. P. 76 D exstant verba 'τῷ παρείκοντι κατὰ σχολὴν τῆς κακίας ἐπιτιθεμένης (cf. supra 'ἡ κακία περιτιθεμένη') καὶ πρὸς τοὐναντίον ἀνθυποφερούσης', quibus *Κακία* quasi viva femina describitur, uti ad ea alludant quae supra de librorum 'An vitios.' c. 2, 3, 4, 5, 'De virt. et vit.' c. 2, 'Animine an corporis' c. 2 disputavimus. In capitis fine Plut. praedicat hominem 'ἡμέρας τε καὶ νύκτωρ ἀεὶ τῇ κακίᾳ διαμεμαχημένον', quibuscum verbis congruit 'De virt. et vit.' 2, 101 A: 'ἡ κακία .. οὐ παντάπασι ταῖς ὁρμαῖς ἐκδίδωσιν ἑαυτήν, ἀλλ' ἀντιτείνει καὶ μάχεται πολλάκις.'

Nova igitur his verbis similitudo efficitur qua *Κακία* bellum cum homine gerens fingitur, pari ratione atque 'An vitios.' c. 3, ubi *Τύχη* cum eo dimicat.

Quae similitudo variatur libelli de quo agimus capitis 3 exordio, ubi Plut. fingit hominem accinctum esse contra vitium idque mittere ad eum 'ἡδονάς τινας ἢ ῥᾳστώνας ἢ ἀσχολίας ἐπὶ σπονδαῖς', quibuscum sapientem nullo modo pacem pangere deceat. — Ἀσχολία castigatur etiam 'De tranquill. an.' 2 init.; ῥᾳστώνη ibid. c. 18 fin. et 19 init. (cf. ῥᾳθυμία 'De prof. in virt.' 4 init.). — Recogita etiam pluralia ad singula vitia significanda usurpata (cf. supra p. 110). — Similem in modum Plut. c. 5 fin. homines iubet contra vitii 'κατασπασμούς' adhibere '(τὰς) ἐξερείσεις καὶ ἀνακρούσεις τοῦ φρονήματος', quas velut milites sint

1) Cf. Giesecke, l. l. p. 30, adn. 1.
2) Ἀβελτερία exstat etiam 'De tranquill. an.' c. 11 init. et 12 init.

describit. Ceterum ultimo capitis 3 verbo 'τὸ λειπόμενον' respondet ultimum capitis 5 verbum 'τὸ ἀπολειπόμενον'. Cf. etiam c. 8, 79 F.

In capite 4 hominis amantis condicio sic describitur:

'ὅτῳ δ' ἔρωτος δῆγμα παιδικῶν'

πρόσεστι, μέτριος μὲν ἄν σοι φανείη καὶ πρᾶος ἐν τῷ παρεῖναι ... ὅταν δ' ἀποσπασθῇ καὶ χωρὶς γένηται, θεῶ φλεγόμενον ... καὶ δυσκολαίνοντα πᾶσι πράγμασι' etc. Singulae voces simili notione etiam in aliis scriptis nobis occurrunt; prae ceteris cf. 'De tranquill. an.' 7, 468 C, ubi legimus 'ἤπιος φαίνῃ καὶ μέτριος'.

In capitis 6 priore parte homines inducuntur condicionem viri in rei publicae muneribus versantis perperam praedicantes. Ubi haec prae ceteris verba animadvertenda sunt: 'ἡλικάς τινας ἐν αὐλαῖς βασιλέων εὐημεροῦντας ... ἢ κατιόντας ὑπὸ πλήθους ἐπ' ἀγορὰν εἰς ἀρχήν τινα ἢ συνηγορίαν.' — Quas res nullam veram beatitudinem praebere accipimus etiam 'An vitios.' 1, 498 C, ubi voces 'αὐλάς' et 'εὐημερίας' redeunt, eandemque sententiam invenimus 'De tranquill. an.' 3, 466 C, ubi habes 'αὐλάς' et 'ἀγοράν', et prae ceteris 'De exilio' 11, 603 F et 12, 604 B, ubi legimus 'θύραις ἡγεμόνος' = 'De prof. in virt.' l. l. 'ἐν αὐλαῖς βασιλέων'. — Paulo infra (78 C) auctor exponit haec: 'οὐ γὰρ οἷόν τε παύσασθαι ζηλοῦντας (cf. 'De tranquill. an.' c. 11 init.), ἅπερ οἱ πολλοὶ θαυμάζουσιν (cf. 'De tranquill. an.' 9 fin., 11 init.), οἷς ἂν μὴ τὸ θαυμάζειν ἀρετὴν ἐγγένηται. πρὸς μὲν γὰρ ἀνθρώπους θρασύνεσθαι καὶ δι' ὀργὴν ἐνίοις παρέστη καὶ διὰ παραφροσύνην· ὧν δὲ θαυμάζουσιν ἄνθρωποι πραγμάτων οὐκ ἔστιν ἄνευ φρονήματος ἀληθινοῦ ... καταφρονῆσαι'.

Nonne totius fere commentationis 'De tranquill. an.' indoles bis verbis continetur?

Quibus cogitationibus voce 'διό', qua Plut. aliquid novi inducere solet, exempla nonnulla adduntur a Solone, Diogene, Agesilao, Aristotele, Zenone petita. Eosdem Solonis tres versus atque hoc loco Plut. etiam 'De tranquill. an.' c. 13 affert.[1]) Accedit utroque loco epistula ab Aristotele ad Antipatrum missa, qua Stagirita gloriatur se non inferiorem esse Alexandro, cum rectum habeat de deis iudicium; nec non vel singula fere ad verbum concinunt et in eo tantum differunt quod in l. 'De tranquill. an.' Chaeronensis ipsa Aristotelis verba repetit, contra 'De prof. in virt.' l. l. eorum

1) Bergk, P. L. Gr. II p. 47. Cf. Plut., 'De cupid. divit.' 4, 524 E.

argumentum solum refert. Comparare liceat utrumque locum inter se.

De tranquill. an.	De prof. in virt.
Ἀριστοτέλης δὲ πρὸς Ἀντίπατρον γράφων, οὐκ Ἀλεξάνδρῳ μόνον, ἔφη, προσήκει, μέγα φρονεῖν, ὅτι κρατεῖ πολλῶν ἀνθρώπων, ἀλλ' οὐχ ἧττον οἷς ὑπάρχει περὶ θεῶν, ἃ δεῖ, δοξάζειν.	*Ἀριστ. πρὸς Ἀντίπ. περὶ Ἀλεξάνδρου γράφων, ἔφη μὴ μόνον ἐκείνῳ προσήκειν ὅτι πολλῶν κρατεῖ, μέγα φρονεῖν, ἀλλ' οὐδὲν ἧττον, εἴ τις ὀρθῶς γιγνώσκει περὶ θεῶν.*

Sequitur in l. 'De prof. in virt.' Zeno qui, Theophrasto propter magnum discipulorum numerum praedicato, dixit: '*ὁ κείνου μὲν χορὸς μείζων, οὑμὸς .. δὲ συμφωνότερος*', et 'De tranquill. an.' l. l. simillimum Stratonis dictum affertur, qui '*ἀκούσας, ὅτι πολλαπλασίους ἔχει Μενέδημος μαθητάς, 'τί οὖν', ἔφη, 'θαυμαστόν, εἰ πλείονές εἰσιν οἱ λούεσθαι θέλοντες τῶν ἀλείφεσθαι βουλομένων;*' — Accedit tertius locus quo ad liquidum deducitur Plutarchum totam hanc exemplorum seriem ex uno commentario in suos libros transtulisse; cf. enim 'De se ipsum citra invidiam laudando' c. 16, 545 A, ubi Aristotelis litterae eisdem fere verbis atque 'De prof. in virt.' l. l. laudantur. Excipitur autem ibi haec epistula eodem Agesilai dicto quod anteit in l. 'De prof. in virt.' Comparare iterum utrumque locum liceat.

De ipsum citra invidiam etc.	De prof. in virt.
Περὶ τοῦ Περσῶν βασιλέως μεγάλου καλουμένου ὁ Ἀγησίλαος· 'τί δ' ἐμοῦ γε μείζων ἐκεῖνος, εἰ μὴ καὶ δικαιότερος;'	*Ἀγησίλαος περὶ τοῦ μεγάλου βασιλέως· 'τί γὰρ ἐμοῦ μείζων ἐκεῖνος, εἰ μὴ καὶ δικαιότερος;'*

